








TRACTATUS DE GRATIA.

TRACTATUS

DE GRATIA.

AUCTORE

PATRICIO MURRAY,

IN COLLEGIO S. PATRICII APUD MAYNOOTH, IN HIBERNIA,
SAC. THEOL. PROFESSORE.



DUBLINII:

M. H. GILL ET FILIUS, 50, UPPER SACKVILLE-ST.

1877.

PRÆFATIO.

In hoc opere componendo, eum non in sola expositione et defensione doctrinæ definitæ versari volui, sed etiam, quantum pro ratione operis compendiosi et in usum scholarum destinati liceret, in enarratione quarundam quæstionum scholasticarum, necnon et plurium sententiarum, quæ vel omnino libere disputabiles sunt, vel, etsi magis receptæ et probatæ, non sunt tamen aperte definitæ. Ad hoc consilium sequendum duabus causis non levibus adductus sum.

Causa prima hæc est. In hoc argumento de Gratia, præ quovis alio, doctrinam definitam perspicue indicari oportet, ita ut ab opinionibus liberis expedite distinguatur. Apud enim non unum auctorem, ex altera parte, propositiones reperi ut minus sanas notatas, quæ omnino sanæ sunt; ex altera vero, propositiones allegatas ut obligatorie tenendas, quæ tamen sine ulla nota negarentur, imo quæ forsan multo minus probabiles essent. Ut autem doctrinæ definitæ a placitis scholasticis secernantur et

expediantur, necessarium plane est ut hæc placita plus minus exponantur. In ista secretione conficienda, si quid profecerim, id, maxima saltem ex parte, operi R. P. Perrone, nuper ex hac vita, dierum et meritorum pleni, a Deo evocati, acceptum refero: ille enim, in hac materia feliciter enodanda, scriptoribus quos vidi antecedentibus longe præstat.

Causa altera. Ex sententiis supra memoratis haud paucæ sunt, quæ, etsi non definitæ, probabiles sunt aut multo probabiliores aut etiam moraliter certæ, quæ non solum ad doctrinam definitam explicandam, illustrandam, complendam inserviunt, sed etiam in se cognitu jucundæ et utiles sunt. Quot sunt sententiæ in theologia speculativa—ut nil dicam de morali et ascetica—quæ, etsi nullomodo ab Ecclesia definitæ, fructuose addiscuntur, mente volvuntur et recoluntur?

Verumtamen, quoniam sunt qui nonnisi brevius curriculum theologicum absolvere possunt, in horum usum paragraphos quosdam aut paragraphorum partes, quæ prætermitti possunt, asteriscis notavi. Horum signorum numerum docti Professores, pro suo quisque judicio et ut res postulet, vel augeant vel deminuant vel ipsa signa alio transferant.

Quod vero attinet ad disputationem 8, de modo concordiæ gratiæ et libertatis, non solum ex aliorum sed ex mea propria experientia, persuasum mihi est ista systemata, ex enarrationibus pressioribus quæ apud auctores communiter in scholis adhibitos inveniuntur, clare intelligi non posse. De argumento hujus disputationis altum silere nefas esse duxi. Censeo igitur aut totam, vel fere totam, disputationem legendam esse, aut totam prætermittendam.

PATRICIUS MURRAY.

Ex ædibus Coll. S. Patricii.
18 *Decemb.* 1876.

TRACTATUS DE GRATIA.



PARS PRIMA.

TRACTATUS DE GRATIA.

DISPUTATIO PRIMA.

NOTIONES PRÆVIÆ DE GRATIÆ NATURA ET DIVISIONIBUS.

§ 1. *De Natura Gratiæ.*

1. Et in Scriptura et apud auctores profanos nomen *gratiæ* plures habet significationes, v. g. favorem aliorum quem quis sibi conciliet (Genes. xxxix. 4); corporis venustatem (Esth. xv. 17; Prov. xxx. 30); &c. In hoc tractatu adhibetur ad significandum *donum* seu beneficium, et quidem a Deo creaturæ intellectuali collatum. Sed, quoniam duplex esse potest ejusmodi donum, naturale et supernaturale, arctius hic adhuc restringitur ad donum *supernaturale* tantùm significandum. Ad hoc, quod quodammodo primum est totius hujus tractationis fundamentum, clare et definite intelligendum paulo fusius in limine explicanda sunt hæc duo vocabula *naturale* et *supernaturale*.

2. Sicut gratiæ ita et naturæ multæ sunt significationes

v. g. universus hic mundus visibilis; principium quo hic mundus regitur et ordinatur; &c. In hoc vero tractatu *natura* alicujus entis est ejusdem essentia, i. e. conjunctio eorum quibus res illa in suo esse constituitur, seu, id est quod est. Ad essentiam quidem a theologis et philosophis novus additur conceptus ut sit natura: natura enim alicujus entis est ejusdem essentia, quatenus hæc est principium operationum quæ per illud eus, ut causam operatricem aut instrumentalem, vel fiunt vel fieri possunt. Natura ergo hominis illud est quo homo fit; et proinde non includit v. g. sanctitatem aut immortalitatem, quia homo, etsi nec sanctus nec immortalis, vere homo est.

3. Variarum significationum quas habet vox *naturale* hæ sunt præcipuæ. 1°. Naturale aliquando dicitur id omne quod habet aliquid ab origine seu ortu suo, sive ad ipsam rei naturam pertinens sive non. Hoc sensu dicimur (Ephes. ii. 3) "natura filii iræ," quia nascimur peccato subditi. Hoc sensu dici potest justitiam originalem fuisse Adæ naturalem. 2°. Naturale aliquando dicitur quod indebitum quidem est (n. 11, &c.), sed naturæ non modo non opponitur verum etiam ei convenit atque eam perficit; sive in ordine naturali, qualis esset in homine integritas (d. 2, n. 7) sine gratia sanctificante; sive in ordine supernaturali, qualis esset gratia. 3°. Naturale aliquando dicitur quod fit secundum cursum naturæ ordinarium, id est, quod non est miraculosum. 4°. Naturale alicui creaturæ aliquando dicitur id cujus ista creatura capax est active aut passive per potentiam obedientialem: n. 5.

4. 5°. Proprie vero, et prout in sequentibus accipitur, naturale id vocatur quod est vel ipsa natura (n. 2), vel continetur in natura, vel fluit ex principiis naturæ, vel ei

debetur (n. 17). Hinc corpus et anima, utriusque facultates, quæcumque per istas facultates operamur, naturalia sunt. Naturale nobis est habere corpus humanum et animam rationalem, cogitare, sentire, manducare, ridere, contristari, &c. ESTIUS, in 2 lib. sentent. d. 19, § 9, et d. 25, § 4; BELLARM. de gratia prima hominis, c. 5; SYLVIUS, in I part, q. 95, a. 1, quær. 2; MONTAGNE (Curs. Comp. x. 24); PERRONE, de Deo Creat. n. 338.

5. Potestas *obedientialis* ad aliquid efficiendum in eo est, qui, etsi rem istam nullomodo efficere potest, capax tamen est, natura ejus manente eadem, alias facultates novas recipiendi, quarum ope rem efficere potest. Sic homo etiam in statu naturæ puræ potestatem haberet obedientialem Deum intuitive videndi, quam non habet v. g. lapis aut equus.

6. Potestas *proxima* aliquid agendi in eo est qui ope facultatis quam habet, absque alio auxilio, agere potest. Potestas *remota* in eo est cujus facultates præsentes non sufficiunt ad agendum, sed sufficiunt ad assequendam potestatem proximam agendi. Sic, si quis fidelis tentatione gravi impugnetur, cujus impetum sustinere non potest, gratiam orandi proximam habet, qua potest alias gratias proxime sufficientes comparare. Sic, inscius linguæ Latinæ non potest opera Ciceronis interpretari, sed scientiam hujus linguæ studio accquirere potest. PERRONE, n. 331. SUAREZ (Proleg. 4, c. 1, n. 5) potentiam remotam et obedientialem tanquam vocabula idem significantia adhibere videtur. Hæc distinctio clare insinuatur in Conc. Trid. sess. 6, c. 11 :—"Deus impossibilia non jubet sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis; et adjuvat ut possis."

7. Sicut *naturale*, proprie et præsertim in materia de

gratia, id significat quod est vel ipsa natura rei, vel in ista natura continetur, vel ab ea fluit, vel ei debetur ; ita, e contrario, *supernaturale* vocamus id quod naturæ rei superius est et excellentius, quod nec in ea continetur, nec ex ea fluit, nec ei debetur. Sed, cum supernaturalis diversæ sunt species, ea hic species accurate definienda est, de qua in hoc tractatu sermo habetur.

8. 1°. Esse potest in uno ordine entium aliquid pure naturale, quod in alio ordine esset omnino supernaturale. Sic multa sunt in angelis naturalia, quæ in homine plane supernaturalia essent; ut esse invisibilis, transire in momento temporis a loco in alium locum longinquum, &c. Multa sunt in homine naturalia, quæ in bestia supernaturalia essent, ut usus sermonis : Numer. xxii. 28, 30. SALMANTIC. d. 1, n. 7.

9. 2°. Ut aliquid simpliciter et omni ex parte naturale sit, non solum in se tale esse debet, sed etiam naturali modo haberi debet. Hinc aliud est supernaturale *per se* aliud *per accidens*. Supernaturale est per accidens quod quidem in natura rei continetur, aut ex ea fluit, aut ei debetur, sed hic et nunc non naturaliter sed miraculose habetur; ut in homine cæco aut muto, cui visus aut oratio per miraculum redderetur. Supernaturale per se est quod nullomodo continetur in natura rei, neque ex ea fluit, neque ei debetur; quodque ergo naturali modo haberi non potest. Hoc modo supernaturale esset homini ambulare super aquam, volare avis instar per aerem. Supernaturale per se aliquando vocatur supernaturale quoad entitatem seu substantiam.

10. 3°. Alia est distinctio supernaturalium quæ proprie ad materiam hujus tractatus spectat. Supernaturale enim vel ordinatur ad sanctificandam creaturam in via, et eam

attollendam ad possessionem Dei per beatificam visionem in patria; vel non ordinatur ad hæc (d. 3, n. 48; d. 9, n. 2, &c.). Prioris speciei est gratia gratum faciens, et etiam, etsi haud ita proxime, gratia gratis data: n. 25. Posterioris speciei esset, v. g. donum aliquod infideli modo supernaturali datum, ob ejus merita præclara naturalia; aut auxilium indebitum ad eliciendum opus moraliter tantum bonum: d. 3, n. 27. SALMANT. d. 3, n. 24; HAUNOLD. Theologia Speculativa, l. 3, n. 1, &c.; MONTAGNE, Disp. Prævia, § 2; VIVA, Theologia Dogmatica, Pars 5, d. 1, q. 2; &c.[1]

11. Jam explanandæ sunt locutiones istæ *Debitum naturæ*, *Indebitum naturæ*, *Exigentia naturæ*. Quæstio esse

[1] MONTAGNE, l. c., rejectis aliis definitionibus *supernaturalis*, eam ut unice veram recipit, quæ comprehendit conjunctionem cum Deo per gratiam in via vel per visionem beatificam in patria. At melius in se, et, ut puto, usui auctorum magis consonum videtur, supernaturale in genere prius definire, et deinde in suas species partiri, ut supra factum est. Male pro se affert plures theologos, qui, etsi dicunt conjunctionem istam excellentissimum esse supernaturale, attamen nequaquam affirmant aliud non esse vere et proprie supernaturale. E contrario essentiam supernaturalis in eo ponunt, quod naturæ ambitum, exigentiam, &c., superet. Insuper parum sibi convenit doctus hic auctor, definiendo gratiam, "proprie et stricte sumptam," ut "donum *supernaturale* creaturæ intellectuali gratis a Deo concessum *in ordine ad vitam æternam*." Si supernaturale necessario significet dictam cum Deo conjunctionem, postrema hæc verba supervacanea et inutilia sunt.

NOTA. Post hæc scripta, apud quemdam auctorem doctum loquendi usum adhibitum vidi, secundum quem supernaturale quod non ordinatur ad sanctificationem creaturæ, qualis esset integritas naturæ mera (d. 2, n. 7), *præternaturale* vocatur; quod autem ad istam sanctificationem ordinatur, *supernaturale* unice vocatur. Hic sane usus loquendi, cui nihil obstare videtur, valde utilis esset.

non potest de debito naturæ a priori et ante ejus existentiam: solus enim Deus necessario existit.

12. 1°. Dici non potest debitum alicui naturæ a Deo, quod creatura istam naturam habens meruit. Meritum enim supponit non tantum naturam jam existentem, sed etiam aliquid naturæ superadditum, in quo fundatur meritum. Nulla creatura, ut sic, potest aliquid merere a Deo.

13. 2°. Nec dici potest debitum naturæ alicui, quod Deus ei impertitur per modum medii quo possit finem quemdam attingere, in quem Deus eam creavit. Debitum enim tunc naturæ non est sed, ut ita dicam, sapientiæ Dei; qui quem finem creaturæ statuit assequendum, ei facultatem assequendi elargitur: vid. LESSIUS, de Perfectionibus Divinis, l. 13, n. 2. 3°. Nec dici potest debitum naturæ, sed fidelitati Dei, quod creaturæ dandum promiserit.

14. 4° Sed quæstio esse potest de debito naturæ eo sensu, ut, posita ejusdem creatione, Deus ex sapientia sua aut justitia hanc vel illam qualitatem ei tribure teneatur. Sic, e. g., quæri potest an Deus hominem creare potuerit, sine sensu visûs aut sine brachiis, aut sine aliis quæ nunc ad naturam ejus quoad corpus aut animam pertinent? De quæstione sic posita satis obscure loquuntur quidam theologi. Sed mihi certa est sententia affirmans Deum posse quamcumque creaturam facere, quibusvis qualitatibus vel donis aut datis (non moraliter malis) aut demptis. Deus enim omnium Dominus est supremus, et nihil quodcumque creaturæ cuicumque debet. SYLVIUS, 1. 2, q. 109; SUAREZ, Opusc. 4, d. 2, s. 2, n. 39.

15. Nec contra hoc *objiciatur*, inutilem et insipientem fore ejusmodi actum creationis, v. g., creare corpus humanum absque anima vel absque anima rationali.

16. *Resp.* Hoc totum pendet ex fine *operantis* Dei ; et, si, ut jam (n. 13) dictum est, Deus creet aliquid ad finem certum et definitum, media dare debet quibus finis ille attingi possit. Sed spectato fine *operis*, omne ens creatum manifestat omnipotentiam Dei, quocumque modo creetur. Hic est finis *intrinsecus* omnis entis creati; quod autem ordinetur ad hunc vel illum finem est quid *extrinsecum* ex parte entis, et liberum ex parte Dei.

17. 5°. Est autem sensus rectus, in quo a theologis aliquid dicitur esse debitum raturæ, nempe, "secundum conditionem naturæ: puta si dicamus debitum esse homini quod habeat intellectum, voluntatem, et alia quæ ad naturam humanam pertinent, ... non quasi Deus creaturæ obligetur, sed quia justum est ut ejus ordinatio impleatur; quæ quidem talis est, ut talis natura tales habeat conditiones seu proprietates." SYLVIUS, l. c. Ex isto debito oritur *exigentia naturæ* ut id habeat quod ei hoc modo debetur.

18. Aliud est debitum *speciei* aliud debitum *individuo.* Sic, homini debetur ut habeat animam rationalem, duos oculos, manus, &c. Sed hoc speciei debetur, ita ut genus humanum ea omnia semper habeat: sed non debetur individuis, quorum quidam nascuntur et manent cæci, surdi, &c. Concursu Dei generali servatur ea quam species habet integritas: sed interveniunt aliquando causæ singulares, quibus ordo generalis in his et illis individuis turbatur, quæ ut impedirentur necessarius esset concursus specialis, qui tamen non debetur, sed tantum generalis. ESPARSA, l. 4, q. 6 ; SALMANT. d. 1, n. 6 ; d. 2, n. 5, 24, 25.

19. Quid verbis *supra vires naturæ* significatur ex dictis, n. 5, 6, satis constat. Vires enim naturæ sunt vel proximæ

vel remotæ vel obedientiales vel nullæ. Sed de usu communi istorum verborum notandum est, semper atque affirmatur aliquid esse supra aut secundum vires naturæ, vires intelligi proximas aut remotas, non autem, nisi id diserte exprimatur, vires obedientiales.

20. Ex dictis, n. 14, constat omne datum a Deo ad extra esse gratuitum, et naturæ creatæ nihil absolute et rigorose deberi. Si ergo vocabulum *gratia* significet, prout revera significat *donum gratuitum*, omnia quæcumque a Deo habet homo, corpus, anima, sanitas, bona externa, &c., gratiæ vocari possunt. Istorum donorum alia ad integritatem corporis et animæ dantur, alia ad commodum vitæ temporalis, alia in ordine ad vitam æternam.

21. Verum, ex usu S. Scripturæ, præsertim N. Testamenti, Patrum et Ecclesiæ, gratia absolute ad dona hujus ultimi generis significanda circumscribitur. "Et ratio reddi potest ; nam gratia dicta est quia gratis datur naturæ jam existenti ; sed sola supernaturalia dona omnino gratis a Deo conferuntur comparatione naturæ ; nam quæ naturalia sunt, illi aliquo modo sunt debita ; ergo gratia proprie supernaturale donum significat." SUAREZ, Proleg. 3, c. 2, n. 3. Gratiæ sic intellectæ definitio supra (n. 10, not.) obiter allata eadem, quoad rem, ab omnibus theologis traditur : *Donum supernaturale creaturæ intellectuali gratis a Deo concessum in ordine ad vitam æternam.* Sensus singulorum verborum hujus definitionis vel ex se vel ex dictis vel ex dicendis sat clarus est. Gratia donum est superans omnes vires et exigentiam et debitum sive naturæ sive personæ, ex pura Dei benevolentia creaturis suis intellectualibus collatum, et quidem eo fine tum operis tum operantis, ut eas in via sanctas et Dei amicos reddat, et ei in patria per visionem beatificam in æternum conjungat.

Ex posthac dicendis patebit gratiam excedere vires et exigentiam omnis creaturæ et creatæ et creabilis. Insuper suo loco paucis inquiretur de natura gratiæ.

22. Præter hanc gratiam, quæ elevans est, datur et alia gratia quæ adjuvat et non elevat, quæ pure medicinalis vocatur. Gratia autem potest esse simul et elevans et medicinalis : d. 4, n. 2. "Quatenus gratia hominem lapsum sanat ab infirmitate, quam per amissionem doni integritatis contraxit, eique præbet vires ad bene agendum, ad superandas tentationes atque ad malum declinandum, gratia *medicinalis* nuncupatur; quatenus autem hominem elevat ad statum supernaturalem, gratia *elevationis* vocari consuevit." PERRONE, n. 14. Vid. SUAREZ, l. 2, Præelud. n. 1.

§ 2. *Divisiones Gratiæ.*

23.—I. Gratia est vel increata vel creata. Prior est ipse amor Dei, quo ab æterno nos diligit, et nostram sanctificationem et gloriam vult: seu est Deus quatenus nos amans: "Deus charitas est . . . . . Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos." Similia alibi sæpius habentur. SUAREZ, Proleg. 3, c. 3, n. 5. An vero ipsa persona S. Spiritûs justis substantialiter insit, et ergo alia ratione gratia increata vocari possit, vid.,d. 9, n. 8, &c.

24.—II. Gratia creata est vel interna vel externa. Externa est omne extra nos ad nostram sanctificationem conducens, cujusmodi sunt prædicatio Evangelii, exempla bona, leges Ecclesiæ, &c. Ex his quædam in hunc finem a Deo aut ab Ecclesia definite statuta sunt, ut prædicatio Evangelii ; alia vero accidentaliter et occasionaliter operantur, ut si mors proximi subita aliquem timore salutari percelleret.

25.—III. Gratia interna alia est gratis data, alia gratum faciens. Illa est charisma supernaturale alicui datum primario et per se in salutem aliorum, quale est donum miraculorum, inspirationis, &c. Hæc per se et primario ordinatur ad salutem illius cui eam elargitur Deus. "Addendum vero est gratiam gratum facientem ita dari in bonum recipientis, ut possit etiam et debeat in aliorum utilitatem redundare et exerceri: et e converso gratiæ gratis datæ, licet ad aliorum utilitatem dentur, nihilominus qui eas recipit potest et debet, per earum usum, propriam spiritualem utilitatem et profectum procurare. Sed hoc pertinet ad secundariam et quasi extrinsecam intentionem et diligentiam hominis operantis: secundum fines autem proprios et quasi intrinsecos ipsarum gratiarum sumitur distinctio data modo explicato." SUAREZ, l. c. c. 4, n. 7. Hinc in definitionibus interposita sunt verba "primario et per se."

26. Omnis sane gratia gratis datur; sed usu venit ut gratia quæ ad aliorum salutem primario datur appellatione ista antonomastice notetur. Nec sine ratione: "Est enim quædam gratia quæ hanc solam proprietatem gratiæ habet, quod gratis detur . . . . . Alia vero est gratia, quæ ita gratis datur, ut hominem Deo gratum et amabilem aliquo modo reddat." *Idem*, ibid. n. 1. Insuper notandum est (ex *eodem*, n. 18–20), gratiam gratum facientem, in genere moris, altioris ordinis et perfectionis esse, quam gratis datam. "Quia dona gratiæ gratum facientis de se et ex intentione dantis referuntur ad uniendam animam cum Deo, quod est optimum in genere moris; gratiæ autem gratis datæ de se non hoc conferunt."

27.—IV. Gratia gratum faciens, de qua sola in hoc opere tractatur, alia est actualis, alia habitualis. Horum verborum sensus, ultra eum quem statim menti ingerunt,

infra plenius enarrabitur. Gratia actualis est donum per se transeuns, habitualis per se permanens; prior ad secundam se habet ut motus ad terminum.

28.—V. Gratia actualis dividitur 1°, in gratiam intellectus, et gratiam voluntatis. Ut ipsa verba satis sonant, altera quæ etiam illustrationis vocatur, ad intellectum illuminandum datur; altera, quæ etiam inspirationis vocatur, ad voluntatem inclinandam.

29.—VI. Dividitur 2°, in sufficientem et efficacem. Prior est quæ dat veram facultatem opus faciendi, quod tamen non fit; altera est qua fit opus. In his omnes theologi conveniunt; de iis in quibus inter se variæ scholæ dissentiunt, vid. d. 8.

30.—VII. Dividitur 3°, in eam quæ prævenit et excitat ad bonum faciendum, et eam qua cooperante bonum illud efficitur. Prior vocari potest *præveniens, excitans, operans ;* altera, *subsequens,* utpote quæ prævenientem subsequitur, *adjuvans, concomitans, cooperans.* Etsi apud quosdam theologos non una est istorum verborum interpretatio, nullum in re dissidium est. SUAREZ, l. 3, c. 20, n. 4, &c., c. 23, n. 3; WIGGERS, q. 111, n. 11. Et sane omnino adæquata est divisio in gratiam quæ prævenit opus et eam quæ comitatur, secundum orationem quæ litaniis sanctorum subjungitur :—" Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te cœpta finiatur;" et verba S. Pauli, "Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere," Philip. ii. 13.

31.—VIII. Gratia habitualis alia est *prima,* quæ a peccatore justum facit; alia *secunda,* quæ est augmentum gratiæ habitualis jam habitæ.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE STATIBUS HUMANÆ NATURÆ.

SECTIO PRIMA.—*Observationes Præviæ.*

1. *Status* plures habet significationes ; sed hic accipitur ut *Modus se habendi totius naturæ humanæ in ordine ad suum ultimum finem.* Ita SUAREZ, Proleg. 4, n. 1, TOURNELY, MONTAGNE, et ceteri omnes. Quidam tamen apponunt conditionem immobilitatis seu firmitatis, saltem ex se. Ita SALMANT. d. 1, n. 4, HENNO, BILLUART, &c. Hanc sane qualitatem habet status in suo termino : sed de solo statu hominis in via hic sermo est.

2. Duplex ejusmodi status esse potest, secundum duplicem finem ad quem homo destinaretur, nempe, naturalis et supernaturalis. Homo in statu naturali præceptis naturalibus teneretur, et ei ad hæc servanda auxilia omnino naturalia darentur. Post vitam in isto statu recte transactam, beatitudinem naturalem assequeretur, in qua Deo ut auctori naturalium perfecte conjungeretur, ipsum cognoscendo abstractive, ut aiunt, seu per creaturas, omnipotentiam ejus et sapientiam et cetera attributa, prout in creaturis naturalibus elucent, clare videndo, eumque sic cognitum in æternum amando. Homini in statu supernaturali præcepta imponerentur supernaturalia, v. g.

supernaturalis amoris Dei, et ad hæc implenda concederentur auxilia supernaturalia.

3. Status utriusque et naturalis et supernaturalis diversæ esse possunt species, secundum diversam copiam et dispositionem mediorum, quæ in alterutro statu ad proprium finem assequendum concederentur.

4. Status naturæ ergo esse potest vel *puræ* naturæ vel naturæ *amplificatæ*. Status naturæ puræ is est qui, ex altera parte, ea omnia habet quæ tali naturæ debentur ut sit talis; ex altera vero parte, nihil ultra hæc, seu bonum seu malum, habet. Natura pura est vere natura, et nihil amplius.

5. Natura ergo humana pura eas omnes habet proprietates et facultates, quæ ad istam naturam efficiendam desiderantur; aliis autem proprietatibus et facultatibus prorsus caret. Ex una parte igitur corpus habet humanum, animam rationalem, &c. Ex altera vero parte, 1°, caret peccato, 2°, caret omni gratia habituali et actuali, 3°, auxilia ad finem suum assequendum pure naturalia habet, 4°, et hæc mere sufficientia—saltem eo sensu quo hoc vocabulum adhibetur a MOLINA (d. 8, n. 89, &c.): Thomistæ vero dicunt auxilia sufficientia (secundum eorum usum verbi) omnibis dari, efficacia quibusdam. "Neque ista auxilia etiam efficacia huic statui derogarent; quamvis enim cuilibet hujus naturæ individuo non deberentur, forent tamen debita speciei naturæ, eaque suæ providentiæ deberet Deus, ne frustra naturam ad aliquem finem condidisset, si nullum ejus individuum hunc finem assequeretur." BILLUART, d. 2, a. 1, § 1. Et 5°, fami, siti, morbo ceterisque hujus vitæ miseriis subjiceretur, 6°, et concupiscentiæ et ignorantiæ, et 7°, mortalis esset. Ratio, quod attinet ad immunitatem a peccato, patet; peccatum enim est

vitium quod nullomodo pertinet aut pertinere potest ad ullius creaturæ naturam. Cetera obvia sunt.

6. Quod ad defectum gratiæ attinet, status naturæ puræ a statu in quo nos nascimur in eo differt, quod in priori statu defectus iste esset mera *negatio*, in posteriori vero est *privatio*. In illo gratia nec esset, nec esse deberet; in hoc, secundum ordinationem Dei, esse debet et tamen non est. Theologi communiter assimulant hominem in priori statu nudo, qui nunquam vestes habuit, in posteriori autem nudato et vestibus spoliato. BELLARM. de Gratia Primi Hominis, c. 5. Alia ab aliis datur comparatio: "Si aulicus propter culpam excludatur ab aula, ad quam ex benevolentia regis fuerat admissus, est ipsi poena et exilium: at quod rusticus ad eam non admittatur, non est poena et miseria, sed tantum carentia boni indebiti." BILLUART, d. 2, ad. Object. 3.

7. Status naturæ amplificatæ varios gradus habere potest, secundum numerum et qualitatem donorum indebitorum, quæ naturæ puræ adjicerentur. De illo solo gradu loquuntur theologi, quæ efficit naturam, quam vocant *integram*. Status hic idem est atque ille, in quo Adam fuit usque ad lapsum, dempta omni gratia, et idcirco dempto fine isto supernaturali, ad quem gratia ordinatur. In statu igitur naturæ integræ homo 1°, immunis esset ab omnibus hujus vitæ miseriis, 2°, esset immortalis, 3°, careret ignorantia et 4°, concupiscentia. Quidam (ut SALMANT. d. 1, n. 29) videntur immortaliatem ab hoc statu excludere. Sed quæstio est de nomine: reapse enim utraque natura, mortalis et immortalis, cetera habens dona jam nominata, esset integra; sed natura immortalis esset perfectius integra. Vid. autem PERRONE de Deo Creat. n. 298, not.

8. In rigore (d. 1, n. 10) status naturæ integræ est supernaturalis. Sed quoniam usu venit ut auctores, in hac materia de Gratia, ea tantum supernaturalia vocent, quæ ordinantur ad vitam æternam in visione beatifica habendam, idcirco melius vocatur simpliciter naturalis. SUAREZ, de Opere sex dier. l. 3, c. 17, n. 1.[1]

9. Quod attinet ad statum supernaturalem, ut divisiones inutiles (quod nobis videtur : vid. PERRONE, l. c.) evitemus, verba de eo tantum statu faciemus, in quo positus est Adam antequam peccavit. In eo statu, qui status *innocentiæ* aut *justitiæ originalis* nuncupatur, præter dona integritatis jam memorata, homo gratia sanctificante augetur, et ad finem supernaturalem destinatur.

10. Status naturæ *lapsæ* is est in quo homo ponitur excidendo a statu innocentiæ. Loquimur de statu actuali; esset enim natura lapsa, quæ excideret ab ullo alio statu, v. g. integritatis. Status hic est vel naturæ lapsæ *reparatæ*, qualis est ille in quo nos, miserente Deo, versamur, vel est naturæ lapsæ *non reparatæ*.

*11. Alii theologi (ut HERINCX, de Deo Creatore, d. 6, n. 78; VIVA, d. 5, q. 1, a. 1.) justitiam originalem ut quid distinctum a gratia habituali habent et ut habitum specialem ; alii vero (ut SUAREZ, l. c. c. 20) per justitiam originalem significant collectionem omnium perfectionum et donorum, tum supernaturalium tum per se naturalium, quibus auctus est Adam. Sed, ut notat idem HERINCX, ibid., et insinuat BILLUART, d. 2, a. 1, § 3, non est de re inter theologos dissidium, sed tantum de significatione vocis. Verumtamen secundus istius locutionis sensus usui loquendi communi congruentior esse videtur.

[1] Sed, vid. d. 1, n. 10, *Nota*.

12. Docent omnes theologi, et quidem dogma fidei est, Adamum ante lapsum habuisse gratiam sanctificantem. Communior et probabilior sententia tenet eum hanc gratiam in ipso instanti creationis recepisse: opposita tamen sententia, quæ affirmat eum in naturalibus creatum esse, omnino libera est, neque ullam censuram meretur. In decreto Tridentino, ut primum adumbratum est, habebatur vocabulum *conditus*, in cujus locum repositum est vocabulum *constitutus*: "Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse . . . . anathema sit." Sess. 5, can. 1. Vid. Estius in 2 Sentent. d. 25, § 1, 2.

13. De statu protoparentum duo sunt errores hæreticorum inter se omnino contrarii. "Pelagiani enim, Sociniani, Arminiani, quibus rationalistæ adstipulantur, negant protoparentes in ortu suo donis supernaturalibus fuisse exornatos, contenduntque talem nunc hominem esse, qualis olim conditus fuit, nempe sine gratia et sine peccato, ut inde inferant, nullam esse gratiæ necessitatem, nullum originale peccatum, nullam proprie dictam redemptionem et reparationem. Contra vero Lutherani, Calvinistæ, Jansenistæ, statum, in quo homo conditus seu constitutus fuit eidem debitum fuisse contendunt ac naturalem, ut inde eruant hominem lapsum destitutum esse libero arbitrio, concupiscentiam verum esse peccatum aliaque ejusmodi, quæ sanæ doctrinæ adversantur." Perrone, de Deo Creat. n. 294.

SECTIO SECUNDA : *Doctrina Catholica probatur et defenditur.*

§ 1. *De statu in quo primi parentes conditi sunt.*

14. PROPOSITIO I.—*Primi parentes eximiis donis et corporis et animæ aucti sunt, neenon et gratia sanctificante.*

15. Quoniam omnes theologi Catholici inter se de hac propositione consentiunt, et rarissime, si unquam, inter illos et Protestantes de ea hodie movetur controversia, non tam argumentando quam enarrando verba faciemus, ea proferentes quæ a theologis communiter vel ut omnino certa vel ut probabiliora traduntur.

16. I. Quoad corpus : 1°, "certissimum est primos homines, quoad omnem membrorum integritatem perfectos fuisse creatos, id est, cum omnibus partibus organicis, et sensibus omnibus internis, sine ullo defectu vel impedimento ad operationes membrorum et sensuum perfecte exercendas. Ita docent, vel potius ut manifestum supponunt, Patres et Theologi et ceteri scriptores iu Genesim." SUAREZ, op. cit. l. 3, c. 3, n. 3.

17. 2°. "Circa secundam perfectionem dicendum est primos homines in perfecta ætate, et totius corporis omniumque membrorum augmento consummato fuisse creatos." Ibid. n. 4. Quænam vero fuerit ætas ista disputatur. Secundum eundem auctorem (n. 6) verisimilior sententia affirmat Adamum creatum fuisse qualis esset annorum triginta quatuor plus minusve. Rationem qua suadetur hæc sententia ibidem videas.

18. 3°. "Circa tertiam perfectionem de temperamento et dispositione ac pulchritudine corporis : Imprimis assero primos homines habuisse magnam et consummatam perfec-

tionem in his omnibus, quæ ad corpus pertinent, quantum, uxta conditionem sui status et naturæ, illis expediebat." Ibid. n. 8.

19. 4°. Horum omnium donorum, quasi corona et perfectionum perfectione, immortalitate auctus est Adam. Quo sensu et modo enarrat idem Doctor eximius, c. 14. "Primo ergo dicimus Adamum fuisse aliquo modo immortalem, id est, potuisse nunquam mori, si vellet, seu nunquam fuisse moriturum, si non peccasset. Hoc de fide tenendum est. Probatur primo ex Scriptura, Genes. ii. 'In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.' Quem locum de morte animæ Pelagius interpretatus est, quia Adam in die, in qua peccavit, non statim secundum corpus mortuus est, sed tantum secundum animam. . . . . Nihilominus certa fide tenendum est, comminationem illam fuisse de morte corporis. . . . . Denique expresse id testatur Apostolus ad Rom. v., dicens: 'Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors:' ubi aperte explicat comminationem Genesis de morte corporali, quæ sine peccato in mundum non intrasset. Et ideo cap. vi., addit: 'Stipendia peccati mors; gratia autem Dei vita æterna.' Sicut ergo sine gratia comparari non potest vita æterna, ita nec mors intraret, si peccatum non fuisset, &c."

*20. Dicimus secundo "hominem non habuisse ante peccatum naturalem, ut ita dicam, immortalitatem, neque gratuitam illam, quæ corporibus gloriosis tribueretur, sed potius ex vi suæ intrinsecæ compositionis et dispositionis fuisse mortalem, licet ex dono Dei futurus fuisset expers mortis, ac subinde aliquo modo immortalis, si non peccasset. Sic dixit Augustinus: 'Aliud est non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus, aliud est

autem posse non mori, secundum quem modum primus homo creatus est immortalis.' Et infra concludit: 'Mortalis ergo erat conditione corporis animalis: immortalis autem beneficio conditoris.' Dicit autem 'corporis animalis,' ut immortalitatem corporis gloriosi excludat."

*21. Mors duplici modo evenire potest, violenter et a causa extrinseca, v. g., ab igne; naturaliter et a causis intrinsecis, quæ vires corporis sensim attenuant, earumque defectionem et mortem denique inducunt. Contra primas causas probabilior et communior sententia dicit Adamum tutum esse conservandum, non per aliquam intrinsecam dipositionem corporis, qua omnis externa vis nociva quasi propulsaretur, sed per eximiam ipsius Adami prudentiam, adjuvante speciali Dei providentia, quæ, etsi in se supernaturalis, statui innocentiæ esset connaturalis. Contra causas alteras immunis conservaretur, partim usu cibi et potûs communis qui in isto statu saluberrimi essent, et corpus quotidie alerent et reficerent mirifice; partim vero esu fructûs ligni vitæ, qui, occasionibus datis, vires coporis naturaliter decursu temporis paullatim deficientes recrearet, illudque ab omni nævo liberum servaret, donec veniret tempus, a Deo præfinitum, quo, terminato viæ cursu, vivus in cælestem patriam raperetur. De his videatur idem auctor ibidem late disserens.

22. 5°. Quod in jam dictis satis includitur et significatur, protoparentes ab omni morbo immunes erant et ab omni dolore et eruciatu a fame, siti aut alia quacumque causa deveniente.

23.—II. Quoad dona animæ. 1°. De gratia sanctificante, in qua creati sunt protoparentes, satis dictum est, n. 12. *Haud pauci Patres verba Genes i. 26 ("Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram"), ita

interpretantur, ut "imago" ea significet quæ in homine naturalia sunt, "similitudo" vero ea quæ supernaturalia. SUAREZ (ibid. c. 8, n. 31), etsi hanc interpretationem ut spiritualem valde probabilem vocat, alteram ut maxime literalem et sensum primarium continentem antefert, quæ affirmat utrumque vocabulum, per hendyadim, adhiberi ad idem gravius et perfectius significandum. Ita etiam A. LAPIDE in loc.; PETAVIUS, l. 2, c. 2, n. 13, apud quem varias videas interpretationes.

24. 2°. De fide est Adamum, violando præceptum de fructu vetito non comedendo, graviter peccaturum et statum suum amissurum, prout de facto graviter peccavit et statum amisit. Insuper, fatentur omnes, ait SUAREZ, c. 13, n. 2, eum potuisse alia gravia præcepta violare et ideo gratiam sanctificantem amittere, etiamsi de fructu vetito non comederet. *Sed disputatur an, alio quocumque gravi peccato admisso, non solum a gratia sanctificante sed etiam a toto statu illo rectitudinis et felicitatis delaberetur. Contra quosdam auctores a SUAREZIO, ibid. n. 3, citatos et alios post eum, ut HERINCX, pars 2, d. 6, n. 25, negantes, mihi longe probabilior videtur sententia affirmans, quam WIGGERS, n. 75, communem vocat. Vid. argumenta apud eosdem et alios, maxime aput SUAR. Quicquid de hoc dicitur, certum est apud omnes solo peccato mortali amitti statum illum. Hinc oritur quæstio de peccato veniali, durante illo statu, admisso. Plures, Scotistæ præsertim post Scotum, tenent Adamum peccare potuisse venialiter, saltem ex levitate materiæ. Plures, Thomistæ præsertim post S. Thomam, tenent "non potuisse statum originalis justitiæ integrum permanere, si homo venialiter peccaret: quia ipsummet peccatum veniale formaliter est diminutio quædam illius status." SUAR.

ibid. n. 10. In opere de Gratia, Prolegom. 4, c. 3, n. 4, idem affirmat:— "Si homo peccasset venialiter, eo ipso esset dignus aliqua poena: ergo vel omnino amitteret illum felicem statum propter solum peccatum veniale, quod durissimum est, vel durante statu poenalitatem aliquam esset luiturus, quod statui repugnat." Planum est has rationes (quibus non temnendas solutiones opponunt Scotistæ) æque valere pro omni specie venialis peccati, sive tale sit ex levitate materiæ sive ex defectu deliberationis. Sane, in statu adeo puro et excelso, minimum peccatum, præsertim deliberatum, magnum esset malum, magna deformitas, magna infelicitas, excepto mortali, omnium maxima: et hoc est quod me valde in sententiam Thomisticam semper inclinavit. Attamen immunitas hæc a peccato veniali non orta est ex intrinseca necessitate, neque ex eo quod in statu isto nulla esset materia levis, sed ex speciali Dei protectione, "quæ ita regebat mentem hominis, ut infallibiliter in hujusmodi peccatum non consentiret:" n. 27. Vid et VASQUEZ, d. 148.

25. 3°. Scientia protoparentum, in rebus et naturalibus et supernaturalibus, perfecta fuit. Hæc propositio quæ communis est Patrum et theologorum (ESTIUS, l. 1, dist. 23, § 3), satis clare in ipsa Scriptura significatur, præsertim Ecclesiastic. xvii. 5, &c, :—"Consilium, et linguam, et oculos, et cor dedit illis excogitandi: et disciplina intellectus replevit illos. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum:" &c. Hic significatur scientia et naturalis et supernaturalis, quæ quanta utraque fuit ex amplitudine verborum constat. Unde, ait A. LAPIDE, in locum, "Fuit Adam doctissimus philosophus et absolutissimus theologus." *Latus scientiæ naturalis ambitus demonstratur verbis, Genes. ii. 19, 20 :—" Formatis igitur,

Dominus Deus de cunctis animantibus terræ, et universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam ut videret quid vocaret ea: omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, et universa volatila cœli, et omnes bestias terræ." "Ex quo loco omnes scholastici colligunt, habuisse tunc Adam scientiam singulorum animalium, ut convenienter ad naturam uniuscujusque eis nomina imponeret. Ita enim exponit dicta verba Eusebius . . . . Nam quod dicitur, 'Ipsum est nomen ejus,' exponit, hoc est, in ipsa natura, seu convenienter ad naturam rei impositum est. Hoc autem fieri non poterat, nisi et cum perfecta scientia ipsorum animantium, et cum magna peritia alicujus linguæ, et proprietatis omnium verborum ejus." SUAREZ, c. 9, n. 2. Unde S. THOMAS, 1 p, q. 94, a. 3:—" Adam scivit naturas omnium animalium; et pari ratione habuit omnium aliorum scientiam. . . . . Sic institutus est a Deo, ut haberet omnium scientiam in quibus homo natus est instrui. Et hæc sunt omnia illa quæ virtualiter existunt in primis principiis per se notis, quæcumque scilicet naturaliter homines cognoscere possunt." "Quis dubitet Christianus, eos qui in hoc seculo, ... ingeniosissimi apparent, ... si illius [Adami] ingenio comparentur, distare longe amplius quam celeritate a volucribus testudines distant?" S. AUGUSTINUS, Opus imperfectum contra Julianum, l. 5, c. 1. Hæc de scientia naturalium, de scientia vero supernaturalium videatur SUAREZ, c. 18. Etsi uterque parens scientia pollebat eximia, minor tamen fuit in Eva: "ob quod diabolus fidentius ipsam quam Adamum primo tentare aggressus fuit, ut SS. Patres annotarunt." HERINCX, n. 79.

26. Istam scientiam ab ortu infusam habuit Adam,

utpote qui, pro munere suo doctoris et capitis humani generis, posteros suos eam docere deberet. Hi autem posteri "nec nascerentur, ut ipse creatus fuit, in perfecta ætate, nec hanc scientiæ plenitudinem haberent, sed facile acquirerent." BILLUART, D. 2, a. 1.

27. 4°. Appetitus inferiores et passiones, in statu innocentiæ, rationi perfecte subjectæ erant, ita ut nullum earum motum involuntarie sentire potuerunt protoparentes, magis quam manus aut pes alicujus hominis liberi et sani eo non volente se movere potest. Hoc patet ex Genes. ii. 25; iii. 7, 10, 11. Ab omni motu concupiscentiæ ante peccatum immunes erant, quæ, semel admisso peccato, eos acriter statim impetere cepit. Duo sunt circa hanc materiam notanda. 1°. "Ut fiat in homine hæc concordia et subordinatio appetituum duo requiruntur: unum est, ut appetitus inferior non moveatur priusquam a superiori imperetur: aliud est ut voluntati appetitus sensitivus ad nutum, et sine ulla resistentia, obediat." SUAREZ, c. 12, n. 10. 2°. Passiones versari possunt circa bonum, ut amor rei quæ amore digna est; vel circa malum, ut dolor aut tristitia. Hæ in statu innocentiæ esse non potuerunt; illæ non solum in eo statu esse potuerunt sed debuerunt, attamen, ut dictum est, imperio rationis subjiciebantur. Ibid. n. 28, 29.

28. 5°. Homo in statu innocentiæ dominium habuit in omnia animalia ipsi inferiora, et id non tantum quoad potestatem sed etiam quoad potestatis usum, ita ut iis ad nutum uti potuerit. Patet ex Genes. i. 29, 30. Dominium hoc in se naturale est, et ideo post lapsum permansit, ejusque traditio post diluvium renovata est: Genes. ix. 2, 3. In duobus vero discrepat dominium hominis innocentis a dominio lapsi et præternaturale fuit. 1°. Domi-

nium innocentis habitum est et adhibitum fuisset modo quodam nobiliori. 2°. Bestiæ, quæ nunc feræ et feroces sunt, tunc omnino cicures fuere et imperio hominis obedientes. SUAREZ, c. 16.

29. 6°. Ex his omnibus conjunctis, et ex "paradiso voluptatis" (Genes. ii. 15), cujus oblectamenta et amoenitates tot tantæque fuere, ut omnes caperent sensus, et singulis iis suas proprias delicias dulcissimas et purissimas offunderent, exsurrexit felicitas quædam ineffabilis, quæ vitam vere beatam et, extra visionem Dei, beatissimam efficiebat.

30. Hic non abs re erit notare, "quiddam injunctum operæ manualis parenti primo [ex Genes. ii. 15]. 'Voluit Deus,' ait Chrysostomus, 'parvam quamdam et moderatam curam penes hominem esse tam in custodiendo quam in excolendo. Nam omnis adhuc laboris expers erat cultura illa; et occupationis aliquid ei suppeditabat citra dolorem et ærumnam.' Etenim nihil est otio perniciosius, præsertim inter affluentes commoditates ac delicias, quibus hortus ille refertus erat." PETAVIUS, l. 2, c. 6, n. 2.

31. De statu innocentiæ in hypothesi ejusdem continuationis, plures a theologis ponuntur quæstiones, ex quarum inquisitione haud parum et voluptatis et utilitatis captabitur; sed prorsus extra materiam præsentem jacent. De iis ex altera parte videatur SUAREZ, l. 5, per totum; ex altera scriptores præsertim Scotistici, HERINCX, KICK, &c.

§ 2. *De statu in quo homines condi potuerunt.*

32. Doctrina Catholica quæ hic firmanda est, ait PERRONE (n. 341, not.), "maximi momenti est; cum annulus, ut ita dicam, sit, qui cetera doctrinæ Catholicæ capita adnectit circa peccati originalis effectus, libertatem, Christi gratiam," &c. Id hodie eo magis verum est, quod in

scriptis quibusdam, nuper editis et late dissipatis, doctrinæ de hoc argumento minus probatæ et valde periculosæ, ne dicam, et definitionibus Ecclesiæ repugnantes, recrudescere inceperunt.

33. Doctrina Lutherana et Calviniana affirmat originalem justitiam non solum debitam fuisse Adamo et naturalem, sed fuisse partem ejus naturæ essentialem. Dicit Lutherus fidem et amorem Dei in eo non minus naturalia fuisse, "quam naturale est, quod oculi lumen recipiunt." "Hæc probant justitiam esse de natura hominis, eâ autem per peccatum amissâ, non mansisse integra naturalia, ut delirant scholastici." Luther. in Genes. iii., apud Moehler, l. 1, § 6.

34. Quod attinet ad errores Baii, sequentia ex dissertatione de iisdem erroribus a D. SCHEEBEN, Moguntiæ nuper edita, sumuntur (p. 6, &c.). Præponitur novæ editioni eximii opusculi CASINII, "Quid est Homo?" quam annotationibus optimis auxit eruditus iste theologus:—

"Falsum est, Baium censuisse hæc bona [ad statum primi hominis pertinentia et per peccatum originale deperdita] ita naturalia, ut ad essentiam constitutionemque primi hominis pertinuerint, adeo ut, iis sublatis, homo jam non homo esset. Quod si aliquando dixisse videtur, ut quum ait, hominem esse creatum ad juste (meritorie) agendum, sicut avem ad volatum, non proinde vim formamque illam, qua juste vivitur (justitia sanctitatis), ita ad substantiam hominis pertinere vult, ut ad substantiam avis alas; sed tantum affirmat eadem *necessitate finis*, non *essentiæ*, homini convenire dona sanctitatis et integritatis, ut bene beateque vivat, qua avis natura alas exigit ut volatum, ad quem per se destinata est, consequi possit. . . . . . Naturale quoad bona originalis justitiæ definit id quod sit *debitum* naturæ,

ut *bona* salvaque sit, quodque a sapientissimo ejus auctore Deo necessario conferri debeat, non necessitate essentiæ, sed necessitate exigentiæ, ut ita dicam, qua scil. natura exigit id, sine quo esse quidem, non vero necessarium finem obtinere possit. Hanc exigentiam hocque jus naturæ ait per peccatum originale sublatum, ac proinde bona illa originalia, a Deo non ex jure naturæ, sed supra jus naturæ per novam singularemque gratiam reddi et ideo post peccatum esse supernaturalia, utpote jus et exigentiam naturæ, culpæ obnoxiæ, superantia. . . . . Quare error ejus capitalis in eo est, quod naturæ plus quam veritas habet attribuit, atque ita *quadamtenus* (formaliter) cum Pelagianis convenit, quatenus nempe primo homini nihil aliud concedit, quam quod ad ejus naturam pertineret. Sed alia ex parte (materialiter) toto cœlo ab illis differt, quum ea bona ad naturam refert, quæ illi prorsus ab ea removebant. Negabant enim Pelagiani a Deo tributam immortalitatem, immunitatem a concupiscentia, plenam legis notitiam, impulsum ad Deum amandum eique obediendum. Baius contra ea ipsa ad conditionem naturæ prout e manu Dei prodit, oppido necessaria esse definit."

35. Catholica doctrina affirmat statum innocentiæ, in quo constitutus est Adam, complectentem integritatem et sanctitatem, ei prorsus indebitum fuisse et gratuitum Dei beneficium. Hoc constat ex doctrina in Baio damnata, sed adhuc clarius et definitius ex censura 16 et 17 Bullæ, "Auctorem fidei," præsertim ex censura 16 :—"Doctrina synodi de statu felicis innocentiæ, qualem eum repræsentat in Adamo ante peccatum, complectente non modo integritatem, sed et justitiam interiorem cum impulsu in Deum per amorem charitatis, atque primævam sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam: Quatenus complexive

accepta innuit statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia et conditione humanæ naturæ, non gratuitum Dei beneficium: Falsa; Alias damnata in Baio et Quesnellio; Erronea; Favens hæresi pelagianæ." Non solum ergo, inter propositiones olim damnatas in globo (de Ecclesia, D. 17, n. 48, &c.), damnata est propositio affirmans statum præfatum *aut* esse sequelam creationis, *aut* debitum esse exigentiæ naturæ, *aut* non esse gratuitum Dei beneficium; sed ipsa propositio per se damnata est ut *falsa* et *erronea.*

36. Non defuerunt theologi qui docerent 1°, etsi gratia actualis Adamo post lapsum et posteris ejus deinceps nullo titulo debita fuerit, imo indignis divinâ misericordiâ donatam esse; attamen 2°, eam Adamo innocenti "aliquo titulo debitam esse," quia si ei defuisset, non sua culpa cecidisset, "quoniam non est talis creaturæ constitutio, ut possit sine gratiæ adjutorio vitare peccatum;" et insuper 3°, etsi "gratia sanctificans et supernaturalium virtutum habitus, et consequenter integritas et originalis justitia hæc omnia complectens primo homini debita nequaquam fuerint, atque Deus posset creaturam rationalem condere absque talibus ornamentis;" attamen 4°, "non potuit a Deo condi *natura integra omni supernaturali auxilio exspoliata,* non ex parte ipsius naturæ, quasi gratia foret hujus pars, &c. . . . sed ut creatura rationalis, ad imaginem Dei condita, et supernæ beatitudinis capax, ad hanc, quam promereri et acquirere nequaquam poterat naturalibus arbitrii viribus, posset superadditis divinarum gratiarum donis pertingere." Hanc doctrinam propugnat BERTI, et illis ipsis verbis (mutatis tantum inflexionibus quorundam verborum et nominum), Additamentum lib. 12, c. 1, vers. *Habent,* c. 3, vers. *Primum;* Augustin. Systema, d. 1. c. 1,

§ 5, vers. *Jam.*, proferens NORISIUM et alios non paucos affirmantes impossibilem esse statum puræ naturæ: n. 4-6. Ampliorem hujus systematis enarrationem habebis ex objectionibus earumque solutionibus infra dandis.

37. Hoc systema re idem cum Baiano esse, saltem in principio primario, mihi compertum est, et ergo posse damnari ut falsum et erroneum imo ut hæreticum: non est tamen adhuc ab Ecclesia damnatum. Quomodo autem distinctione potentiæ divinæ absolutæ et ordinariæ se expediant quidam hujus systematis defensores, vid. infra, n. 109.

38. Quidam tenent Deum potuisse creare hominem ad finem pure naturalem et sine gratia, sed non potuisse eum creare sine eo saltem dono integritatis, quo excluditur concupiscentia. Ad hanc sententiam plane inclinat ESTIUS, l. 2, d. 25, § 6; quæ, etsi longe minus a doctrina probata recedens, rejicienda est. An vero eadem esse posset in statu naturæ puræ concupiscentia gravis et molesta, quæ in nostro statu lapso existit, vid. n. 83-87.

39. Probata possibilitate status naturæ puræ, eo ipso probatur doctrina Catholica definita. Ne ergo eadem bis repetamus, satius esse putamus unicam ponere propositionem, quæ istam possibilitatem affirmet.

40. PROPOSITIO II. *Deus potuit protoparentes in statu naturæ puræ permanenti creare: seu: status naturæ puræ possibilis est.*

41. ARGUMENTUM I. ex propositionibus damnatis. Propositiones Baianæ ad rem sunt 21, 23, 24, 26, 55, 78, 79. Harum præcipuæ sunt:—

"Humanæ naturæ sublimatio et exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ con-

ditionis, et *proinde* naturalis dicenda est, et non supernaturalis:" 21.

"Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio:" 26.

"Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur:" 55.

"Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio:" 78.

"Falsa est doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine justitia naturali:" 79.

His adjungenda est propositio Quesnellii :—"Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturæ sanæ et integræ:" 35.

42. Ergo 1°, gratia sanctificans, qua ad tantam sublimationem evectus est homo ut fieret consors divinæ naturæ, ei indebita fuit: absque sublimatione ejusmodi prorsus integra fuit ejus natura: naturalis proinde non fuit ista gratia sed supernaturalis (B. 21, 79, Q. 35). 2°. Dona integritatis omnia pariter naturalia non fuere, sed indebita (26). 3°. Imo creari potuit homo ut in eodem statu permanenti esset (manifesto enim in propositione significatur status permanens), in quo nos nascimur: sed status in quo nascimur idem est ac status naturæ puræ, dempto peccato originali: n. 6 (55). 4°. Immortalitas primi hominis, et ergo immunitas a morbo et ærumnis, quibus ultimo inducitur mors, beneficium gratiæ fuit, et non conditio naturalis (78).

43. Nota 1°, propositiones damnatas esse simpliciter, nulla istarum distinctionum, quas finxerunt BERTI et alii, interposita: 2°, eas damnari in sensu auctoris; sed nec B. nec Q. tenuerunt dona integritatis aut sanctitatis esse de essentia hominis: n. 34.

*44. Contra hoc argumentum *objicit* BERTI. 1. Aliquæ ex istis propositionibus Baianis damnatæ sunt "propter acre in aliorum opiniones judicium, et nimiam in vellicandis doctorum sententiis arrogantiam." Additam. c. 1.

*45. *Resp.* 1°. Nego. Ista ratio damnationis nullibi in Bulla Pontificis insinuatur, nedum memoratur. Ipsa ejus verba contrarium satis clare sonant:—"Quas quidem sententias, . . . quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore, et proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas et in pias aures offensionem immittentes, respective . . . damnamus," &c.

*46. 2°. Distinguo: Ob dictam causam damnatæ sunt aliquæ: Esto: Ob eam solam: Nego.

*47. 3°. Esto: Sola ex allatis propositionibus in qua auctor aliquis impetitur est 79: sed propositio hæc quoad rem convenit cum prop. 21.

*48. 4°. Sed hodie omnis locus dubitandi prorsus sublatus est, per censuram propositionis Pistoriensis supra datæ, n. 35. Ibi enim declaratur hanc doctrinam de statu innocentiæ esse in Baio damnatam, et ibidem iterum damnatur appositis censuris propriis.

*49. *Object.* 2. Jure damnatus est Baius, affirmans dona status innocentiæ naturalia esse, et non gratiæ beneficium. Altera vero sententia ab isto errore discrepat, affirmans ea esse supernaturalia et ex gratiæ beneficio. *Idem*, ibid.

*50. *Resp.* Distinguo: Verbis discrepat: Concedo: Re discrepat: Nego. Utraque sententia negat possibilitatem naturæ puræ. Quod Baius, sibi cohærens, vocat debitum et naturale, altera sententia vocat indebitum et supernaturale: *vocat* quidam, sed longe aliud *facit*. Quod ex dicendis infra magis patebit.

*51. *Object.* 3. "Naturam puram non impossibilem esse sed actu a Deo conditam autumavit" Baius. Ergo ab ejus errore prorsus discrepat sententia altera. *Idem,* ibid.

*52. *Resp.* Nego antecedentem, quæ falsissima est; vel, ut magis pateat quantum hic auctor verbis ludit, Distinguo: Naturam puram eo sensu conditam autumavit, quod dona ista quæ omnes Catholici pro supernaturalibus et indebitis habent, ille naturalia et debita fecit: Concedo: Naturam puram eo sensu quo hæc locutio ab omnibus theologis, et ab ipso Bertio, intelligitur: Nego.

*53. *Object.* 4. Jure damnati sunt Baianistæ impossibilitatem naturæ puræ propugnantes "ex hæretico erroneoque principio, quod integritas, sanctitas et originalis justitia sit naturalis conditio, naturæ proprietas et creationis sequela: nostrates vero ex principio opposito, quod rationali creaturæ constitutus sit finis supernaturalis et excedens naturæ ordinem; ideoque ei divina Providentia nulli denegans media ad consecutionem finis necessaria, conferenda duxerit auxilia supernaturalia, quæ neque ex principiis naturæ oriuntur, neque spectant ad naturæ proprietates, neque naturam ejusque creationem consequuntur." *Idem,* Dissert. 2, c. 1, § 4, n. 6.

*54. *Resp.* En quantum iterum verbis ludit, seu potius sibi aperte contradicit, et sic agendo plane ostendit suam doctrinam non posse a censura Baianismi vindicari. Quæstio enim non est, an, si Deus rationali creaturæ constituat finem supernaturalem, sua providentia teneatur media ad istum finem assequendum necessaria, i.e. media supernaturalia, elargiri. Nullus enim unquam hoc negavit, aut etiam in dubium revocavit. Sed quæstio est an posset Deus creaturam rationalem, v.g. hominem, condere in

finem pure naturalem, ita ut nullo titulo, sive providentiæ suæ sive exigentiæ creaturæ, ei donum quodcumque supernaturale impertire teneatur. Huic quæstioni, sed, ut ex dictis et dicendis constat, modo satis implicato, negative respondent auctor noster et qui cum eo sunt.

*55. *Object.* 5. Ibid. § 5, n. 2, plura capita doctrinæ recenset idem auctor, in quibus a Baio prorsus recedit. Ergo censura hujus illum non ferit.

*56. *Resp.* 1°. Doctrinas Baio ascribit, quas, quoad rem et sensum, Baius nequaquam tenuit, v. g. "merita primi hominis ex solius naturæ viribus comparata" fuisse. Tantum enim abest ut iste gratiam et adoptionem in Adamo negaret, ut in errorem extremum oppositum incideret, dicendo hæc dona ei debita fuisse et naturalia (n. 41). 2°. Quæcumque sint discrepantiæ, in hoc, quod caput est, ambæ sententiæ conveniunt, nempe, statum naturæ puræ esse impossibilem.

57. ARGUMENTUM II. ex S. AUGUSTINO et S. THOMA, quos maxime ad suas partes attrahere conati sunt adversarii. "Homo ad Dei similitudinem factus est; tamen quia non est unius ejusdemque substantiæ, non est verus filius; et ideo fit gratia filius, quia non est natura." S. AUG. contra Maximum, l. 2, c. 15, n. 2. "Manifestum est quod illa subjectio corporis ad animam, et inferiorum virium ad rationem, non erat naturalis: alioquin post peccatum mansisset, cum etiam in dæmonibus data naturalia post peccatum permanserint." S. TH. 1, q. 95, a. 1, in corp.

58. ARGUMENTUM III. ex ratione theologica. Id omne possibile est quod non repugnat. Status autem naturæ puræ non repugnat, ut ex solutionibus objectionum constabit.

Solvuntur Objectiones contra Propositionem.

59. *Object.* 1. Finis ultimus creaturæ rationalis est beatitudo supernaturalis in visione Dei intuitiva. Atqui Deus non potest condere creaturam absque ordinatione ad suum ultimum finem. Ideoque non potuit condere hominem sine gratia: ad istum enim finem assequendum necessaria est gratia.

60. *Resp.* Nego primam propositionem simpliciter, vel Distinguo: Finis ultimus &c., si creatura creata sit in hunc finem, quomodo de facto omnis creatura rationalis (angelus et homo) creata est (SUAR. proleg. 4, c. 1, n. 13): Concedo: Non potest Deus non ordinare creaturam ad finem istum; seu ejusmodi elevatio non est donum Dei pure et omni ex parte gratuitum et indebitum: Nego. Tanta enim et tam ineffabilis omnemque naturam creatam et creabilem tantopere excedens est elevatio illa, qua creatura fit filius Dei adoptivus, consors naturæ divinæ, felicitatem qua ipse Deus felix est participare destinatus (" intra in gaudium *Domini tui*"), ut jure longe potiori queri possit lutum adversus figulum se non esse factum in vas honoris, quam queri possit creatura ulla, etiam excellentissima quæ cogitando fingi potest, se non esse ita elevatum : inter lutum enim et figulum (qui non est nisi lutum anima rationali informatum) infinite minor est distantia, quam inter creaturam excellentissimam et Deum. Num, quia Deus creaturam dono intellectûs rationalis auxit, ideo teneatur eam alio dono infinite præstantiori cumulare ?

61. *Urgetur.* 1. Ea creatura non potest in statu naturæ puræ constitui, cui inest naturaliter appetitus innatus ad ipsam visionem Dei intuitivam. Sed ejusmodi

appetitus omni creaturæ rationali inest. BERTI, Dissert. 2, c. 1, § 6, n. 2, cum aliis quos citat.

62. *Resp.* Nego minorem absolute et simpliciter, vel Distinguo : Inest creaturæ rationali, ut sic, et ergo inesset homini in statu naturæ puræ : Nego absolute : Inest homini, ut nunc est : Subdistinguo : Inest iis qui fidem habent, saltem si bene instituti fuerint, et vitam Christiano dignam ducant, ejusmodi desiderium ; et iis inest per gratiam Dei : Concedo : Iis inest qui fidem non habent, vel qui, etsi fideles sint, male vivunt; vel ulli inest innatum et naturaliter : Nego.

63. Existere in homine appetitum beatitudinis innatum omnes tenent : sed eum esse appetitum beatitudinis visionis Dei intuitivæ, non solum nullo argumento firmatur, sed argumentis, ut mihi videtur, evidentibus impugnatur. 1°. Si ejusmodi desiderium existeret innatum, paganis, mahumetanis, &c. inesset. Sed illud iis non inesse ex documentis omnigenis et negative et positive manifestum est : negative, in scriptis enim v. g. Homeri, Aristotelis, Platonis, Ciceronis nulla fit mentio ejus, nulla extat significatio, ne minima quidem : positive, ut patet ex notione paradisi quæ apud Græcos, Romanos, Indos, &c. valuit aut valet. Apud infideles non solum non est, sed nec esse potest, desiderium beatificæ visionis, utpote rei ipsis prorsus ignotæ. Si quidam acatholici, qui nomen Christianum tenent, accuratam habent notionem essentialis beatitudinis cœli, eam innatam non habent sed ex institutione, quomodo et alias habent doctrinas Catholicas.

64. 2°. Tantum abest ut appetitus iste sit homini naturalis et innatus, ut etiam qui fidem veram habent, sed rebus terrenis et voluptatibus dediti vivunt, eum nunquam sentiunt, nisi forsan ex aliqua causa accidentali extrinseca,

v. g. concione audita gravi et vehementi, exstimulante gratia.

65. 3°. Imo illi etiam qui Christiane vivunt non sine auxilio gratiæ, cum frequenti oratione et meditatione, hoc desiderium in seipsis excitare possunt. Naturâ ad sensibilia adeo proni sumus, ut nonnisi cum conatu studioque ad ista pure spiritualia et supernaturalia cogitanda, multo magis appetenda, nos erigere possimus. Nonne ideo desolatione desolata est universa terra quia tam pauci sunt qui suum finem ultimum unquam considerant, nedum assequi cupiunt?

66. 4°. Etsi concederetur homini, qui creatus est ad finem supernaturalem, Deum indidisse appetitum hujus finis naturalem, num exinde sequitur Deum non potuisse eum creare ad finem pure naturalem, et sine tali appetitu?

67. *Urgetur.* 2. Est in homine naturaliter potentia videndi Deum. Sed appetitus tanti boni assequendi per se emanat ex potentia illius assequendi.

68. *Resp.* Distinguo majorem: Potentia obedientialis: Concedo: Potentia alia, sive remota sive proxima: Nego: d. 1, n. 5, 6. "In homine non est potentia activa nec passiva naturalis ad visionem ipsam beatam, neque ad gratiam, respectu cujus illa visio est finis connaturalis: appetitus autem naturalis sequitur ex potentia naturali, nam obedientialis non sufficit, est enim quasi potentia neutra. Quis enim dicat naturam humanam habere appetitum ad unionem hypostaticam, etiamsi habeat capacitatem obedientialem ejus? Ergo eadem ratione non habet anima humana naturalem appetitum ad gratiam sanctificantem; ergo neque ad virtutes per se infusas; ergo nec ad actus earum, multoque minus ad actum visionis Dei,

qui est supremus finis ultimus connaturalis gratiæ." SUAREZ, l. c. n. 21. Videatur idem, de Ultimo Fine, D. 16, s. 2.

*69. *Urgetur* 3, ex S. Thoma, 1. q. 12, a. 1: "Cum ultima hominis beatitudo in altissima ejus operatione consistat, quæ est operatio intellectus; si nunquam essentiam Dei videre potest intellectus creatus, vel nunquam beatitudinem obtinebit, vel in alio ejus beatitudo consistet quam in Deo; quod est alienum a fide. . . . . Inest homini nàturale desiderium cognoscendi causam, cum intuetur effectum; et ex hoc admiratio in hominibus consurgit. Si igitur intellectus rationalis creaturæ pertingere non possit ad primam causam rerum, remanebit inane desiderium naturæ." Similia habet, contra Gentes, l. 3, c. 50. Duplici ergo ratione existit in homine naturale desiderium videndi Deum intuitive: 1°, quia alioquin beatitudinem non haberet, vel in creaturis haberet; 2°, quia intellectus, viso effectu, naturaliter desiderat videre causam.

*70. *Resp.* Hi textus primo et levi obtutu doctrinæ nostræ non leviter adversari videntur, sed penitius inspecti nullo negotio cum ceteris textibus, in quibus S. Doctor istam doctrinam clare tuetur, conciliari possunt. 1°. Ad summum loquitur de homine ut nunc est, ut patet ex verbis "potest," "obtinebit," &c. Sed sunt theologi (ut, inter vivos, MARTINET, Th. Dogm. l. 3, a. 7, prop. 2, § 2) qui tenent homini in præsenti statu inesse desiderium istud, et simul tenent possibilitatem status naturæ puræ, in quo tale non esset desiderium.

*71. 2°. Attamen satis plane significat se non de desiderio innato loqui, sed desiderio per fidem immisso. Loquitur enim de desiderio quod oritur ex contemplatione

effectus, i. e. ex contemplatione hujus mundi tanquam ab uno Deo omnipotenti creati. Jamvero etsi ratione bene demonstrari potest existentia Dei creatoris, de facto tamen cognitio Dei veri, etiam ex revelatione habita, lapsu temporis in universo fere genere humano deperdita est, nec nisi per revelationem et gratiam fidei moraliter recuperari potuit. Loquitur ergo S. Thomas de cognitione Creatoris hoc modo comparata.

*72. Primum ergo textum sic interpretor. In præsenti ordine non potest homo suum finem ultimum assequi, nisi videndo Deum ut in se est; quia, cum ad id creatus est, non est medium inter beatitudinem istam et beatitudinem in alio quam in Deo *in se viso.* In statu autem naturæ puræ, cum finis ultimus et beatitudo patriæ illius status non esset Deus ut in se et intuitive, sed ut in creaturis et abstractive, visus et dilectus, beatitudinem haberet homo, non in alio quam *in Deo*, sed in alio quam in Deo *in se et intuitive viso.* Et hoc non solum non est alienum a fide, sed fidei omnino consonat.

*73. Alterum textum sic enodo. Inest homini in præsenti statu, ex fide et gratia, connaturale desiderium videndi Deum ut in se est: quia hic finis est secundum conditionem hujus status, et fides et gratia dant vires ad hunc finem cognoscendum et desiderandum: Concedo: Inesset in alio statu in quo non esset finis iste, nec essent vires ad eum aut cognoscendum and desiderandum: Nego.

*74. Aliam distinctionem interponunt quidam theologi (ut Billuart, Obj. 1°.), distinguentes inter desiderium inefficax et efficax. Prius mihi nihil aliud esse videtur quam velleitas quædam, ut si rusticus diceret, "vellem esse regem:" et ejusmodi desiderium puræ naturæ inesse posse concedunt. Desiderium efficax seu absolutum esset in

rustico qui diceret, "volo esse regem," et, hoc possibile esse judicans, paratus esset media adhibere ad se regem constituendum: et desiderium tale omnino excludunt a natura pura. Mihi videtur, sapientioribus me remittenti, in statu naturæ nullam fore cognitionem aut notionem ordinis et beatitudinis supernaturalis, utpote rerum quæ naturæ puræ totum ambitum tantùm transcendunt, et proinde nullum earum utpote ignotarum cupidinem, sive absolutam sive conditionatam.

*75. *Urgetur* 4, ex S. AUGUSTINO, Confess. l. 1, c. 1:— "Laudare te vult homo, aliqua portio creaturæ tuæ. . . . . Tu excitas ut laudare te delectet: quia fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te." Ergo homini inest desiderium naturale visionis beatificæ, quæ eâ solâ satiari potest.

*76. *Resp.* 1°. Non solum ex antecedentibus et consequentibus, sed ex ipso textu objecto, constat S. AUG. loqui de homine in præsenti solo statu—"fecisti"—"nos"—"cor nostrum." 2°. Inquieta et sollicita sunt corda hominum, nec bonis et oblectamentis terrenis satiari possunt. Num ergo sequitur eos appetere id quo solo plene exsatiari possunt? Fideles pii, lumine fidei et gratia acti, desiderium hoc habent: qui vero fide carent nunquam de objecto talis desiderii cogitant, imo illud prorsus nesciunt. Queritur Horatius (Satir. 1, lib. 1, "Qui fit., Mæcenas,") neminem esse qui sua sorte contentus vivit, omnes inquietos esse: num ergo voluit omnes aut ullos quietem illam appetere, quæ in visione beatifica invenitur?

77. *Object.* 2. Omnis creatura rationalis tenetur diligere Deum amore appretiative summo. Atqui dilectioni huic promissum est beatificæ visionis præmium.

78. *Resp.* 1°. Distinguo primam propositionem: Amore

naturali aut supernaturali, secundum statum in quo constituta est creatura: Concedo: Amore supernaturali etiam in statu naturali: Nego. 2°. Distinguo prop. secundam: In ordine supernaturali: Concedo: Naturali: Nego.

79. *Object.* 3. Repugnat dari statum in quo homo gravibus impeteretur tentationibus, absque auxilio sufficienti ad eas vincendas. In statu autem naturæ puræ graves essent tentationes, sicut in nostro statu; et tamen deesset gratia, quæ omnino necessaria est ad eas superandas: d. 4, n. 29.

*80. *Resp.* Tres sunt causæ tentationum, diabolus, mundus, caro. I. Mihi semper valde probabilis visa est opinio quæ affirmat Deum non permissurum esse diabolum tentare hominem in statu naturæ puræ: "tum quia tentatio a diabolo non est mere naturalis, sed est bellum ultra vel supra naturam ex altiori providentia permissum, ut bene observarunt Cajetanus in hac quæst. art. 2, Alvarez, l. 5, respons. c. 4, n. 17, et Suarez de Gratia l. 1, c. 23, n. 3 [vid. etiam ibid. n. 25, et c. 24, n. 28; c. 28, n. 4, et proleg. 4, c. 9, n. 16, 17]; at in puris naturalibus nihil esset supra vel contra naturam hominis, sed juxta illam gubernaretur a Deo. Tum denique et præcipue, quoniam ex suppositione quod Deus decerneret nullum gratiæ auxilium conferre homini, ut utique statueret, si illum in puris naturalibus conderet, ad suavem illius providentiam spectabat nullatenus permitterre, quod versutissimus ac potentissimus hostis diabolus eum tentationibus urgeret, et ab illo statu in alium deteriorem brevi ac facile dejiceret. Incredibile quippe videtur, quod Deus optimus ex una parte nullas vires indebitas homini conferret vel promitteret, et ex alia parte exponeret hominem tentationibus illius hostis, cui nulla potestas comparatur super terram. . . . . . Unde absque dubio si non conferret homini in eo statu gratiam,

minime daret diabolo ut eum tentaret licentiam." SALMANT. n. 256. Eandem sententiam ut verisimilem tenet SUAREZ, sed paulo hæsitantior, ut ex inspectis locis supra indicatis patebit.

*81. Si vera sit illa sententia, permagnum sane est discrimen ex hoc solo capite inter statum naturæ puræ et nostrum. 1°. Immanem esse non solum malitiam sed etiam sedulitatem et calliditatem et potentiam diaboli, ex multis testimoniis Scripturæ et Patrum manifestum est: Luc. xxii. 3, 31; 2 Cor. xi. 14; Ephes. vi. 10-17; 1 Pet. v. 8; &c., &c. 2°. Doctrinæ S. THOMÆ (1. q. 114, a. 3 et 1. 2. q. 80, a. 4), nempe non *omnia* hominum peccata ex suggestione diaboli fieri, nequaquam adversatur illa plurium Patrum et theologorum sententia, quæ affirmat nullam esse *gravem* tentationem cui se non immisceat, vel immediate et per se, vel mediate excitando malos homines: vid. SUAREZ, de Angelis, l. 8, c. 19, n. 25, in fine; vid. et commentariolum a nobis Anglice scriptum de Spiritismo, et in Revisione Dubliensi editum (*Dublin Review*, N.S., vol. 9, p. 253, &c., October, 1867). 3°. His adde servitutem in qua, post lapsum, a diabolo tenebatur Adam, qui per offensam prævaricationis incurrebat "cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli." Conc. Trid. Sess. 5, can. 1.

*82. II. "Sub mundo comprehenduntur et pravi homines, et mala eorum consilia vel exempla, et cetera objecta sensibilia concupiscentiam excitantia." SUAR. proleg. 4, c. 9, n. 14. "Duplicem mundus aciem producit contra milites Christi. . . . . Blanditur enim, ut decipiat; terret, ut frangat." S. AUGUST. Sermo. 276, n. 2. Mundum ut nunc est esse *per se* praviorem mundo in statu naturæ puræ, et vehementius ad peccatum incitare, nullo

fundamento solido affirmari potest. Sed quoniam mundus plerumque non agit per se, sed diabolus per eum agit, eoque tanquam instrumento utitur ad nos corrumpendos ac depravandos ("Omnes insidiæ, quascumque nobis spiritales nequitiæ prætendunt, maxime per homines aptantur." S. HILARIUS, in Psalm cxxxix. n. 3), merito dici potest mundum nostrum mundo naturæ puræ absolute pejorem esse, imo longe pejorem, et plura et graviora scandala parere.

*83. III. Quod ad concupiscentiam attinet, hæc imprimis notanda sunt. 1°. Quidam theologi comparantes concupiscentiam nostræ cum concupiscentia naturæ puræ, priorem spectant prout passim dominatur in hominibus, et ergo non tantum ut nobis omnibus naturalem, et cum qua nascimur (antecedentem), sed etiam ut voluntarie et per peccata actualia longe graviorem et acriorem factam (consequentem). Censeo de priori concupiscentia sola hic esse posse quæstionem: altera enim non pertinet ad naturam sive puram sive lapsam, sed est effectus operis humani liberi, nempe, peccati actualis. Unde cum proponitur quæstio, an concupiscentia gravior sit in natura lapsa quam in pura esset, semper intelligi debet (ut a SUAREZIO diserte proponitur, Proleg. 4, c. 8, n. 5), "ex vi solius peccati originalis."

*84. 2°. Vires naturæ lapsæ ad bonum morale exsequendum et tentationes superandas, debiliores essent viribus naturæ puræ, "vel ex ignorantia intellectus, vel ex concupiscentia fomitis, vel ex corporis mortalitate seu corruptibilitate," quæ ex peccato originali suborta sunt. SUAR. ibid. n. 14. Quod attinet ad corruptibilitatem corporis, nulla est ratio dicendi eam esse majorem in natura lapsa quam in pura. Idem dicendum est de ignorantia: imo censeo non improbabiliter dici posse Adamum post lapsum

plures reliquias scientiæ religionis naturalis conservasse, quæ in statu naturæ puræ forsan non essent, vel adeo claræ et certæ non essent. Dixi "naturalis," quia de religione supernaturali hic non potest esse quæstio.

*85. Sed quicquid de hoc dicitur, tota controversia (aut saltem præcipua) quæ hic movetur inter theologos est de concupiscentia. SALMANT. tenent vires hominis lapsi esse debiliores viribus naturæ puræ, et id intrinsece et omni tentatione diabolica ab eo relegata; et pro hac sententia fere viginti veteres auctores citant: n. 256, 282, *Confirmatur primo*, 287, *Ultimum:* vid. et BECANUS, d. 2, q. 5, a. 4. Eam quoque inter recentiores amplexi sunt non pauci ceteroquin boni et docti auctores, ut ANTOINE, c. 2, a. 3; TOURNELY, q. 2, a. 3, Object. ex concupisc.; &c. Alii, ut BILLUART, d. 2, a. 3, *Dico*, eam debilitatem extrinsecam vocant, quæ pro intrinseca haberetur a SALM. et revera talis est: alii aliis modis magis etiam obscuris loquuntur.

*86. Nihil est in hac materia definitum ab Ecclesia. Argumentum quod profertur ex prop. 55 Baii damnata (n. 41) infirmum est. Exinde quidem sequitur hominem potuisse creari in eodem statu (dempto peccato) in quo nos nascimur, et ergo sine gratia, &c., cum concupiscentia, &c. Sed non sequitur eandem fore vim et gravitatem concupiscentiæ in utroque statu. Nascimur omnes in eodem statu et cum concupiscentia: sed experientia notissimum est alios aliis longe acriori et vehementiori concupiscentia natura affectos esse. Vid. CROIX, de Peccatis, n. 73.

*87. Attamen multo probabilior, quæ etiam communior esse videtur, sententia affirmat concupiscentiam non esse graviorem in nostro statu quam fuisset in natura pura; et idcirco, cum dicitur hominem lapsum per peccatum origin-

ale etiam in naturalibus vulnerari, tantum significatur eum vulnerari per amissionem justitiæ originalis, qua vires naturales elevatæ sunt et firmæ factæ sunt ad operandum, qua sublata infirmæ evaserunt et impotentes. "Justitia originalis pacem et unionem inter appetitus hominis constituebat, quæ unio per peccatum dissoluta est, ablata justitia, et ita factum est vulnus in natura. . . . . Fuit læsus homo in naturalibus, non quia donum amissum fuerat naturale, sed quia naturalem defectum auferebat, seu illi subveniebat." SUAR. ibid. n. 19; VASQUEZ, 1. 2. d. 138, c. 2; PERRONE, de Deo Creat. n. 367-8.

*88. IV. In natura pura non essent tentationes contra finem supernaturalem aut præcepta supernaturalia, utpote quæ in eo statu non existerent.

89. V. De potentia hominis in statu naturæ puræ superandi graves tentationes, non tantum singulas et divisim sed omnes, duplex est principalis sententia. Prima, quam accipiunt SALMANT., d. 2, n. 262, affirmat hominem illum posse omnes graves tentationes (potentia utique aut remota aut proxima) superare meris viribus naturæ. Essent enim in illo statu graves tentationes, et his teneretur homo resistere, "seu, quod idem est, teneretur servare præcepta naturalia, quantumvis ad eorum transgressionem vehementibus tentationibus urgeretur." Nemo autem tenetur ad impossibile: ergo facultatem habet resistendi: hanc ex gratia non habet, in statu enim naturæ puræ nulla esset gratia; ergo, aliud enim non datur medium, ex viribus naturæ habet.

90. Altera sententia, quam tenet SUAREZ, l. 1, c. 28, n. 4, affirmat "hominem in illo statu, per solas vires naturales rationis et libertatis, secluso omni peculiari adjutorio Dei, non potuisse diu servare totam naturalem legem absque

gravi lapsu." Attamen, ut ipse fatetur (ibid. n. 9), argumentis pro sententia priori allatis motus, hanc suam doctrinam temperat, censens "verisimiliter pertinuisse ad indigentiam illius status, si Deus in illo hominem constitueret, ut sua *liberali* providentia illi conferret aliqua auxilia in substantia quidem naturalia, in modo autem ultra communem causarum naturalium cursum collata, quibus posset homo, si vellet, totam legem naturalem diu servare, omniaque peccata illi contraria vitare. Quod quidem non esset auxilium gratiæ, prout nunc datur, id est, nec in substantia, nec ex parte finis, quia non transcenderet finem et honesta motiva naturalia, esset tamen speciale beneficium in ordine providentiæ naturalis."

91. Sed contra hoc dici potest, quod insinuant SALMANT., ista expositione everti ipsam ideam naturæ *puræ*, quæ, secundum ipsum SUAREZIUM (Proleg. 4, c. 1, n. 3), omnia haberet ei debita ad efficiendam naturam, et nihil amplius. Vel ergo istud auxilium necessarium est, et ergo debitum naturæ, ut possit suum finem a Deo præstitutum attingere; vel non est debitum. Si prius dicatur, ergo non est gratia, aut naturalis aut supernaturalis (nisi eo sensu latissimo quo omnia a nobis Deo data gratiæ vocari possunt, d. 1, n. 20), sed ad ipsas vires naturales pertinet. Si alterum dicatur, ergo non datur naturæ puræ, cui, vi termini, nihil indebitum datur.

92. *Resp.* Hujus difficultatis (mihi olim permolestæ), præ ceteris auctoribus, claræ et absolutæ solutionis principium tradit PERRONE, n. 341 et not.; quod hic paulo amplius explicabimus. Eo quidem sensu natura pura, ut jam vidimus, creari potest, ut et fine supernaturali et gratia ad finem hunc assequendum prorsus in perpetuum careat. Sed tum supremo Dei dominio tum notioni con-

ditionis creaturæ fluxæ et fragilis, qualis vi termini esset homo in puris naturalibus, repugnat ut ulla creatura rationabilis et libera, et omnibus præceptis legis moralis obligata, possit, ex solis suæ naturæ viribus et sine ullo auxilio speciali Dei, omnia officia istius legis etiam ardua facere et tentationes graves adversantes superare, et id non semel tantum et iterum sed per totam vitam; ita ut, sine ullo tali auxilio, finem suum ultimum perfecte assequatur et ideo beatitudinem, naturalem quidem sed in illo ordine summam, in perpetuas æternitates gaudendam.

93. Sicut ergo in præsenti ordine homo justus et sanctus non potest vi illius justitiæ in ea diu, sine gratiis actualibus, perseverare (d. 5, n. 58, &c.); ita et homo in natura pura, adhuc immunis a peccato (sermo enim hic est de natura pura, ut sic, non de natura facta per peccatum impura), non posset sine auxiliis actualibus naturalibus diu in lege sua servanda perseverare. Et, sicut justus ille noster semper ac necessarium est habet gratiam orationis et quidem proxime sufficientem, qua si bene utatur, accipiet gratias illas actuales; ita et homo iste in natura pura haberet, et, si velis, in ipsa sua natura, lumen et auxilium sufficiens ad orandum Deum pro auxiliis actualibus hic et nunc necessariis ut sua præstet officia gravia.

94. Censeo ergo Deum non posse ullum ordinem constituere, in quo creatura rationalis, et ad finem æternæ beatitudinis in suo termino assequendæ destinata, hunc finem, sibi relicta et sine speciali dependentia in Deum et indigentia specialis auxilii Dei, attingere posset. Dari non potest ullus ejusmodi creaturæ status seu ordo, in quo necessaria non esset et præcepto et medio religio et cultus divinus. In cultu autem isto præcipuum locum habet

oratio, orationem dico non solum laudis et gratiarum actionis sed, et id imprimis, orationem petitionis. Esset ergo necessario, in omni quocumque statu talis creaturæ, officium precibus petendi a Deo, et maxime et ante omnia petendi auxilia, quibus ipsa creatura posset finem suum ultimum assequi et etiam efficaciter assequeretur, i.e. aliis verbis, petendi auxilia quibus posset opera suæ legis ardua præstare et graves tentationes vincere. Hæc autem necessitas orandi plane supponit vires ad ista duo efficienda non existere in ipsa natura proxime sufficientes, sed a Deo specialiter auxiliante habendas esse per vires quas habet proxime sufficientes ad orandum.

95. Ut creaturæ ratione expertes, secundum proprios singularum fines agant, sufficiunt sane vires quas jam habent, cum concursu Dei generali seu physico et sine ullo auxilio speciali. Aliter autem se res habet cum creaturis intellectualibus, quæ, cum libero arbitrio gaudent et ad finem beatitudinis perpetuæ ordinantur, idcirco, ut passim docent et probant auctores, providentia speciali seu morali gubernantur.

96. Hæc solutio non solum nullomodo aliena est a doctrina quam propugnamus de status naturæ puræ possibilitate, verum etiam eam haud parum expolit et firmat. Ex altera enim parte, sarta tecta conservatur nostra doctrina, quæ affirmat possibilem esse statum a quo cum fine supernaturali exularet omnis gratia elevans, nihil affirmans de auxiliis medicinalibus seu pure naturalibus; ex altera vero, hæc solutio affirmat impossibilem esse quemcumque statum, in quo creatura rationalis finem suum ultimum beatitudinis etiam naturalis, solis suæ naturæ viribus et absque ullo speciali auxilio Dei, attingere posset. Hæc autem duo inter se plene et integre concinunt. Hac

expositione interposita, sententiæ SUAR. et SALM. (n. 89, 90) forsan inter se conciliari possint.

97. *Object.* 4. Repugnat status, in quo non potest creatura rationalis diligere Deum super omnia. Homo in natura pura non posset ita diligere Deum.

98. *Resp.* 1°. Distinguo majorem: Amore aut naturali aut supernaturali: Concedo: Amore supernaturali: Nego. 2°. Distinguo minorem: Amore supernaturali: Concedo: Amore naturali: Nego. Posse hominem istum elicere actum amoris Dei quæ simplex complacentia est et inefficax a nemine negatur. Posset autem etiam elicere actum amoris Dei propter se et super omnia dilecti, i.e. appretiative summi, et ideo hic et nunc efficacis ad excludendum omne peccatum grave. Sed quanta et qualis sit hæc potestas et quousque pateat quæstio est difficilis, et a nullo quem vidi auctore clare et decretorio modo decisa: vid. SALMANT. d. 2, dub. 3 per totum. Nostri non est eam hic, nisi quatenus postulat objectionis solutio, excutere. Dico igitur breviter, secundum principium jam datum, n. 92, &c., vel posse hominem istum amorem efficacem permanenter habere ex meris viribus naturæ, vel non posse. Si posset, statim ruit objectio. Si non posset (quod omnino verum esse censeo), tunc, ex viribus quas habet proxime sufficientibus ad orandum, potest a Deo obtinere auxilia sufficientia naturalia ad opus illud præstandum.

99. Neque ullius momenti est quod *Urgetur* 1, a BERTI (Additam, l. 12, c. 2.) Dilectio Dei "vitam æternam promereretur, quia et Deus diligit diligentes se, et diligentibus se mercedem hanc repromisit."

100. *Resp.* Distinguo: In præsenti statu supernaturali, in quo amor esse debet supernaturalis, Deus diligentibus se vitam æternam, quæ in visione beatifica habetur, repromisit:

Concedo: Diligentibus se in statu alio, pure naturali, mere possibili, qui nunquam extitit aut existit, subdistinguo: Deus ullam mercedem promisit: Nego: Promitteret, si existeret ejusmodi status: Subdistinguo iterum: Mercedem isti statui et amori, qui solus in eo statu esse deberet et esset, pure naturali convenientem, quæ in felicitate naturali haberetur: Concedo: Mercedem supernaturalem: Nego.

101. *Urgetur* 2, ab eodem, ibid. Non potest esse ullus amor Dei perfectus sine gratia: prout docet S. Augustinus et definit Conc. Trid. Sess. 6, can. 3.

102. *Resp.* ad 1, Distinguo: Amor Dei supernaturalis, et in præsenti statu salutaris: Concedo: Amor naturalis, et in statu naturali salutaris, i.e. qui valeret ad felicitatem naturalem, finem illius status, assequendam: Nego. Ad 2, Nego Patres Tridentinos de statu naturæ puræ sermonem facere, de quo ne cogitabant quidem, sed de solo statu a Deo actu constituto; quod evidens est ex tota serie orationis et capitum et canonum illius sessionis (quam nimis longum esset hic indicare), et ex erroribus quos ibi rejiciunt, qui ad solum præsentem statum spectant:—"Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, *hominem* credere, sperare, diligere aut poenitere posse, *sicut oportet*, ut ei *justificationis gratia* conferatur; anathema sit." Idem de S. Augustino, et de ceteris Patribus qui similia habent, dicendum est.

103. Quod huic opponit idem, ibidem, valde futile et ineptum est, nempe, neque apud August. neque apud Trident. inveniri istam distinctionem, qua significaretur eos loqui de solo statu præsenti. *Resp.* Cum, ex jam dictis, clarum et manifestum fuerit eos de homine in præsenti statu loqui, prorsus supervacaneum esset id his ipsis verbis

disertius et planius, actum agendo, significare. Hic est enim usus loquendi notissimus, et in omni lingua apud omnes gentes excultas solemnis, ut, si ab initio sermonis cujuscumque signo quocumque claro constet te nonnisi de una specie rei verbum facere, non solum opus non sit ut iterum iterumque verbis diserte significes te de alia specie non loqui, verum etiam ita agere inelegans esset, verbosum et tautologia molesta. Sic, ut exempla ex hoc tractatu desumam, theologi disserentes de necessitate gratiæ ad opera salutaria aut de necessitate contritionis ad justificationem, non interponunt perpetuo distinctionem, dicentes se non loqui de gratia pure medicinali aut de justificatione secunda; quoniam ab initio notum est eos loqui de gratia elevante et de justificatione prima.

104. De eo quod subdit hic auctor (ibidem) de duabus propositionibus Baii (34, 36) negantibus duplicem amorem, naturalem et supernaturalem, nempe, eas esse damnatas ob censuræ acrimoniam, vid. supra, n. 45.

105. *Object.* 5. Concupiscentia est natura sua et per se malum (utique morale), et poena peccati. *Idem,* ibid. et c. 13. Est, 1°, per se et natura sua malum; impellit enim in peccatum. Nec solvitur objectio dicendo concupiscentiam esse in se indifferentem, et impellere in bonum sensibile: etsi enim in bonum delectabile honestum impellat, multo sæpius et acrius in delectabile inhonestum excitat. Neque interum opponi potest, eam non parere peccatum nisi libero nostro assensu accedente: stimulat enim ad peccatum, et ad id admittendum cum libero arbitrio se conjungit. Summa ergo difficultatis in eo est, quod sapientiæ et sanctitati Dei repugnat, ut creaturam ejusmodi qualitatem in natura sua insitam habentem faciat. 2°. Concupiscentia poena est peccati, ex Trident. S. 5,

can. 5. Ergo homo creatus in statu naturæ puræ, ideoque sine peccato (n. 5), ea careret.

106. *Resp.* ad *primum.* 1°. Sermo est hic de sola concupiscentia antecedenti et nobis naturali, supra, n. 83. 2°. Non solum non est contra naturam, sed omnino naturale est, ut in homine existat certatio illa carnis adversus spiritum et spiritus adversus carnem. Constat enim homo ex duabus substantiis, quæ eum naturaliter in opposita inclinant. Sicut bestiis naturale est in bonum sensibile per sensus et appetitus tendere; sic homini, quatenus *animali* et ea quæ ipsi cum bestiis communia sunt habenti, naturale est in idem tendere; sed ei, quatenus *rationali*, pariter naturale est ut tendat in bonum spirituale. Hinc pugna concupiscentiæ. "Ignorantia et difficultas [vincendi tentationes graves in natura pura] non imprimuntur naturæ a Deo, quasi ab extrinseco et ut vitium superadditum: sed sunt defectus consequentes naturaliter naturam humanam sibi relictam sicut rubigo comitatur ferrum, et aliæ imperfectiones alias naturas [vid. S. THOMAS, 1, 2, q. 85, a. 6, in corp.] . . . . Hujusmodi defectus non debet refundi in Deum naturæ auctorem, sed in ipsammet naturam, secundum quod ex se est defectibilis, quia facta est ex nihilo." SALMANT. d. 2, n. 269.

107. 3°. Ad objectionem directe. Deus non potuit creare hominem cum concupiscentia eo fine ut ei cedat: nec potuit creare sine viribus aut auxiliis ad eam vincendam sufficientibus. Sed potuit creare cum concupiscentia, non amovens defectum istum naturæ intrinsecum naturalem, sed eum manere permittens ut occasionem meriti. Neque in hoc ulla est repugnantia. E contrario concupiscentia, quæ est fomes peccati, non

magis peccatum est quam externa peccati occasio. Et licet alteri præbere occasionem peccati, si causa sit honesta satis gravis. Deus autem in condendo homine in natura pura, optimum finem haberet, nempe, ut homo propriis meritis beatitudinem suam ultimam assequeretur. Sicut enim in statu nostro beatus est vir, "qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit;" ita in natura pura ejusmodi vir beatus *esset*.

108. Ad *secundum;* n. 105: Distinguo: In præsenti statu concupiscentia poena est peccati, quia nisi propter peccatum originis homo immunis esset ab ea: Concedo: In natura pura esset poena peccati: Nego: quia in illo statu esset vi ipsius status et ante ullum peccatum admissum. Vid. plura apud BILLUART, Obj. 7.

109. *Object.* 6. Etsi de potentia extraordinaria (al. absoluta) potuit Deus creare hominem in natura pura, non potuit tamen de potentia ordinaria (al. ordinata).

110. *Resp.* Duplici præsertim sensu ista vocabula intelliguntur. 1°. Potentia extraordinaria potest facere Deus omnia quæ in se non repugnant, remoto decreto hæc et illa non faciendi. Sic, potentia extraordinaria potest omnes sanctos de cœlo in perpetuum dejicere. Potentia ordinaria facit Deus omnia quæ decrevit facere. Distinctio hoc sensu intellecta sana est: Deus enim non potuit creare hominem in statu naturæ puræ, posito decreto eum in hoc statu non creandi. Non autem in hoc sed in altero sensu eam accipiunt adversarii.

111. 2° Potentia extraordinaria potest aliquid facere Deus, spectata sola omnipotentia, præcisis attributis justitiæ et sapientiæ. Potentia ordinaria potest aliquid facere, spectatis non solum omnipotentia sed ceteris attributis.

"Verum hæc metaphysica præcisio videtur futilis et absona: quod enim est contra Dei sapientiam, bonitatem, justitiam aut quodvis aliud ejus attributum, debet censeri simpliciter et absolute impossibile" (BILLUART, art. 2); et ergo, secundum hunc sensum distinctionis, status naturæ puræ simpliciter et absolute impossibilis esset. Vid. et PERRONE de Deo Creatore, n. 341, not. Videantur et aliæ objectiones apud eosdem auctores. De toto hoc argumento vid. CASINIUS cum notis SCHEEBEN.

TRACTATUS DE GRATIA.

PARS SECUNDA:

DE GRATIA ACTUALI.

DISPUTATIO TERTIA.

DE NATURA ET NECESSITATE GRATIÆ ELEVANTIS: POSITIVE.

§ 1. *De Natura Gratiæ Actualis Elevantis,*

1. Gratia actualis est auxilium indebitum, per se seu ut sic transiens, creaturæ a Deo datum ad opera salutaria efficienda. Hanc gratiam esse creatam apud omnes in confessum venit : imo dari gratiam actualem creatam, ut affirmat SUAREZ, "sine dubio est de fide" (l. 3, c. 1, n. 3); qui ibidem hæc habet:—"Spiritus Sanctus ipse, prout immediate nos adjuvat ad aliquos actus, potest etiam denominari auxilium. . . . Melius vero et proprius vocatur Spiritus Sanctus adjutor noster, quam ipsum adjutorium : nam ab adjutorio quod nobis præbet, extrinsece denominatur adjutor, sicuti a creatione creator: ergo ipsum adjutorium, in rigore sumptum, aliquid creatum est, ab ipso Deo promanans; et ideo in Scriptura solent illa duo distingui: 'Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram' (Psalm. cxxiii, 8), et: 'Deus in adjutorium meum intende' (Psalm. lxix. 2), et: 'Invocavi Dominum . . . . ut non derelinquat me . . . . sine adjutorio' (Ecclesiastic. li. 14). Distinguitur ergo adjutorium ab ipso Deo, tanquam aliquid dandum ab ipso Deo. Eodem modo loquitur Scriptura sacra, ut Psalm.

xix. 5: 'Mittat tibi auxilium de sancto,' et Psalm. cxx. 1: 'Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Auxilium meum a Domino.' Propter hæc igitur dixi in assertione, auxilium internum, proprie sumptum, *semper* esse aliquid creatum. Quia si nomen 'auxilii' extendatur ad omne supernaturale principium nos adjuvans ad sanctam operationem, potest in latitudine auxiliorum dari aliquod increatum: sed de illo dicimus improprie vocari auxilium, cum sit ille principalis adjutor. Ideoque de internis auxiliis, proprie ita vocatis, sine limitatione dicimus esse aliquid creatum: in quo, ut video, nulla est dissensio inter Catholicos."

2. Sed quænam sit hujus gratiæ creatæ essentia, quæstio est apud theologos disputata. Id quod in opinione SUAREZII principale est, præcisis quæstionibus secundariis, mihi longe probabilior doctrina esse videtur; quam etiam censeo apud auctores communius esse receptam. 1°. Gratia excitans, seu gratia qua primum movetur homo ad opus salutare præstandum, est actus vitalis indeliberatus intellectûs vel voluntatis; seu, aliis verbis et plenius, est motus intellectûs aut voluntatis aut utriusque in nobis sine nobis a Deo excitatus ad præstanda opera salutaria. Actus est vitalis, quia actus est creaturæ viventis et attendentis. Deus animam meam excitat, illa tanquam instrumento utens, ex quo hæc et illa motio, ipso Deo movente, elicitur. Sic, v. g., perceptio est actus elicitus intellectûs: cum vero Deus vult ut objectum fidei percipiam, intellectum meum ita movet, ut per hanc motionem actus perceptionis in me sine me eliciatur. Hic actus physice in me et a me (sed non per me, Deus enim solus operatur) elicitus, est donum gratuitum, a Deo datum, ordinatum ad vitam æternam: ergo gratia est.

*3. Quæ contra hanc sententiam a quibusdam auctoribus qui post SUAREZIUM scripserunt (Gallicis præsertim) proferuntur, adeo clare et invicte antea ab ipso disjecta fuerant, ut mirer valde auctores istos id non vidisse. Sic, ad objectionem, quæ communius datur, affirmantem gratiam excitantem, in hac sententia, non esse a solo Deo; quod est contra Scripturam, Concilia et Patres: respondet SUAREZ (c. 3, n. 7), "distinguendo propositionem assumptam, scilicet, primam gratiam fieri a solo Deo. Est enim vera, si particula *solum* excludat hominis consensum, vel etiam si excludat omne meritum, quod maxime Augustinus intendit: non tamen esse veram, si excludat omnem physicam efficientiam intellectus vel voluntatis. . . . . Actus vero ipse ita fit a solo Deo, ut ab illo solo habeat initium, et ipse solus sit principalis causa physica ejus, moralis autem unica: et ita ex parte hominis excluditur omne meritum vel libera cooperatio, non vero physicus concursus potentiæ ad actum vitalem necessarius."

4. Datur gratia excitans tum intellectûs tum voluntatis. Prior autem est excitatio intellectus quam voluntatis: prius est enim ut intellectus erigatur et illustretur ad objectum percipiendum, quam voluntas ad illud desiderandum et assequendum inclinetur. Insuper, motus iste intellectûs non est nuda perceptio objecti, sed est perceptio seu cogitatio objecti, ut est bonum et desiderabile, et idcirco includit judicium aliquod, non quidem necessario perfectum, sed imperfectum — implicitum — æquivalens. Ita, quoad rem, SUAREZ, c. 6. An vero ad omne opus salutare necessaria sit gratia excitans tum voluntatis tum intellectus, videatur infra, n. 109, &c.

5. 2°. Posita gratia pure excitante, et posita mente

exinde excitata ad operandum, adhuc necessarium est auxilium hanc adjuvans ad actualiter operandum. Etsi dicas gratiam excitantem suo modo adjuvare, quod verum est, requiritur tamen ad ipsum opus præstandum non tantum gratia quæ adjuvat *excitando ad operandum*, sed quæ adjuvat *operando*: et hanc vocamus gratiam adjuvantem. *SUAREZ, cum aliis qui eum sequuntur, dicit gratiam adjuvantem "non esse nisi actionem ipsam, qua fit actus fidei vel charitatis vel alii similes: isti autem actus non fiunt in nobis, sine morali et libera cooperatione nostra. Cum autem aliquis actus hujusmodi fit a Deo et nobis, non interveniunt ibi duæ actiones, altera Dei, altera nostra, sed una indivisibilis, quæ ab utroque principio proximo et principali seu universali essentialiter pendet: ergo talis actio fieri non potest in nobis, sine nobis moraliter et libere cooperantibus" (c. 16. n. 4). "Gratiæ excitanti de se resisti potest; et ideo sæpe tantum est sufficiens, quia ei resistitur: adjuvanti autem nunquam resistitur, sed semper est efficax, id est, habet effectum. . . . . Altera pars [hujus assertionis] ex supra dictis est manifesta: quia gratia adjuvans actualis non datur nisi homini actu operanti et consentienti; qui autem consentit non resistit. Item hæc gratia adjuvans est ipse influxus Dei vel habitûs in actum deliberatum voluntatis: qui influxus in re non distinguitur ab actione ipsius hominis: ergo cum hæc gratia actu datur, jam homo non resistit. Quæ rationes probant esse impossibile hominem resistere huic gratiæ: est autem illa impossibilitas composita [in sensu composito], ut ita dicam, et ideo non repugnat libertati. Nam hæc gratia involvit seu habet concomitantem liberum influxum voluntatis; et ideo, eo ipso quod talis gratia dari supponitur, simul etiam supponitur usus liber

voluntatis consentientis, cum quo non stat simul resistentia, quæ fit per actualem dissensum vel negationem consensus, quæ est repugnantia sensus compositi, quia non potest res simul esse et non esse :" ibid. n. 6.

*6. Hæc omnia, quod ad doctrinam attinet, verissima sunt: sed modus loquendi conformari videtur systemati Congruismi (de quo, d. 8). Magis placet alter modus loquendi, quem insinuat idem (ibid. n. 7), utpote, ut mihi videtur, communi sensui fidelium conformior. Etsi ergo omnis gratia excitans sit aliquo modo etiam adjuvans, et omnis gratia adjuvans sit quoque aliquo modo excitans, censeo tamen gratiam adjuvantem, ut sic et proprie dictam, esse omnem gratiam quæ post primam excitantem datur, sive ei assentiatur sive non. Gratia prima excitans semper suum effectum immediatum sortitur, semper excitando; fit enim a Deo in nobis sine nobis. Menti jam excitatæ, et ergo non indigenti aliâ gratiâ ut *excitetur*, dantur gratiæ subsequentes ut *adjuvetur*. Sic, si Petrus, post peccatum admissum, excitetur ad poenitendum, eo ipso percipit honestatem et necessitatem poenitentiæ, et ad eam agendam inclinatur (suppono enim gratiam excitantem et intellectûs et voluntatis); statim gratiam recipit (sive sit eadem continuata sive non, de quo jam, n. 7) qua elevatur et adjuvatur ad ipsum opus poenitentiæ præstandum. Si huic gratiæ cedat, efficax est gratia; si ei resistat, inefficax est. Vid. WIGGERS, q. 111, n. 17.

*7. An gratia adjuvans sit realiter distincta a gratia excitante? Eas numero virtualiter distingui, et adjuvantem excitanti aliquid reale, novum nempe auxilium, superaddere, quicquid obscure dixerint quidam veteres, mihi certum et clarum est. Utrum autem intrinsece discrepent, et diversæ sint naturæ, an vero ejusdem sint naturæ, ita

ut gratia adjuvans nihil aliud essentiâ sit quam excitans data ad adjuvandum, quæstio est parum utilis et fere de nomine. MOLINA (Concordia, q. 14, a. 13, d. 37. 38), late et nervose propugnat sententiam affirmantem gratiam excitantem et adjuvantem numero unam et eamdem esse. Si ei voluntas resistat, manet mere excitans ; si ei volantas cedat, fit adjuvans. Sed diserte docet in gratia ut adjuvante esse novum influxum et actionem ("ipsa quoque *novo* influxu et actione cooperatur eosdem actus") : unde patet quæstionem non esse multi momenti.

8. Qui alias theologorum sententias perpendere velit, eas videat recensitas apud MONTAGNE, q. 2, a. 2, § 2. Ex variis de gratia propositionibus Jansenistarum damnatis unam tantum hic notabimus, quæ est 19 Quesnellii, cujus doctrina prava etiam in aliis ejusdem propositionibus insinuatur:—"Dei gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis." Per verba, "nihil aliud est," videtur auctor significare se velle definitionem gratiæ, quam vocant essentialem, proferre. Sed quicquid de hoc dicitur, duo, ut animadvertit VIVA, in ista propositione insinuantur errores. Primus est, gratiam esse Dei voluntatem, et ergo, cum Dei voluntas nobis non est intrinseca, nec gratiam actualem nec gratiam habitualem nobis intrinsecam esse, sed prorsus extrinsecam. Alter est, gratiam esse Dei voluntatem omnipotentem, quo insinuatur omnem gratiam esse efficacem, seu, gratiæ nunquam resisti. Hi errores suis locis confutantur.

§ 2. *Errores Hæreticorum: Doctrina Catholica.*

9. Duplici et quidem contrario modo de necessitate gratiæ erratum est, per defectum et per excessum. Primo

modo errarunt olim Pelagiani et Semipelagiani, et hodie errant Naturalistæ et alii Rationalistæ. Secundo modo errarunt Novatores et Jansenistæ. De solis prioribus in hac disp. disseritur.

10. I. *Pelagianismus.* Scriptorum Pelagii non extant hodie nisi fragmenta quædam. A Catholicis argumentis pressus, non semel suam doctrinam primam aliquatenus mutavit et verbis captiosis temperavit: quæ omnia ex S. Augustino præsertim deducenda sunt. Sequentia ex ANTOINE desumo, qui in hac hæresi enarranda clarus simul et brevis est (c. 1. a. 1):—

11. "Pelagii hæresim ad hæc duo capita generatim revocat S. Augustinus, nempe quod negaret peccatum originale [supra, d. 2, n. 13], et necessitatem gratiæ actualis, interioris, prævenientis ad quodlibet opus salutare, quæ gratis daretur. Sed ut Pelagianismus circa gratiam melius innotescat, is in quatuor status distinguendus est.

12. 1°. "Primus status est, in quo Pelagiani, omisso nomine gratiæ, docuerunt naturales vires liberi arbitrii sufficere ad servanda omnia mandata, superandas quasvis tentationes, præstanda opera omnium virtutum, et assequendam æternam salutem. Constat ex S. Augustino, Serm. 11, De Verbis Apostoli. . . . .

13. 2°. "Secundus status est, in quo Pelagiani, ad decipiendos Catholicos, et vitandam eorum offensionem ac hæresis notam, nomen gratiæ admiserunt—liberum arbitrium appellando gratiam, eo quod scilicet gratis a Deo, nullis nostris præcedentibus meritis, nobis in creatione concedatur. Constat ex S. Augustino, Serm. 11, De Verbis Apostoli. . . . .

14. 3°. "Tertius status est is, in quo Pelagiani a Catholicis objurgati, quod nullam præter liberum arbitrium admitterent gratiam, novum gratiæ genus agnoverunt,

nempe, legem et doctrinam. Constat ex canone 4 Concilii Carthaginensis et ex S. Augustino variis locis. Legi et doctrinæ addiderunt remissionem peccatorum, ut testatur S. Augustinus, lib. de gestis Pelagii, c. 35; et remissioni peccatorum adjecerunt exempla Christi. Verum hanc legis, doctrinæ, virtutum et exemplorum Christi gratiam dixerunt non esse absolute necessariam, sed sufficere liberum arbitrium ad bonum salutare agendum et malum vitandum, ut constat ex S. Augustino, lib. de gratia Christi, c. 41, ubi Pelagii doctrinam exponens ait:— . . . . 'ut videlicet tanquam viâ demonstratâ [exemplo Christi], qua ambulare debeamus, jam viribus liberii arbitrii, adjutorio nullo alterius indigentes, sufficiamus nobis ne deficiamus in via: quamvis et ipsam viam contendat etiam solâ inveniri posse natura, sed *facilius*, si adjuvet gratia.'

15. "4°. Quartus et ultimus status est ille, in quo Pelagiani, præter peccatorum remissionem et externam gratiam legis et doctrinæ atque exemplorum Christi, admiserunt gratiam internam illustrationis. Constat ex S. Augustino, lib. de gratia Christi, c. 7. . . . Sed Pelagiani internam illustrationis gratiam cum duplici errore admisere. Nam 1°, dicebant eam necessariam non esse nisi ad facilius agendum bonum. . . . . . 2°. Dicebant internam illustrationis gratiam obtineri bonis operibus mere naturalibus; unde negabant esse gratuitam. . . . .

16. "Itaque Pelagianorum errores circa gratiam, quibus semper pertinaciter adhæserunt, in eo consistebant, quod negarent tum necessitatem tum gratuitatem gratiæ internæ, præsertim immediate afficientis voluntatem, cujus ne existentiam quidem admiserunt, aut certe nonnisi cum duplici illa corruptela. Nullos quoque actus superna-

turales secundum entitatem admisit Pelagius. Et quamvis admiserit interiorem illuminationem ex parte objecti, qua nempe S. Sanctus clarius et distinctius intellectui proponit aliquam veritatem, cui quidem solis viribus naturalibus assentiamur; nunquam tamen admisit interiorem illuminationem ex parte potentiæ seu intellectûs [hoc tamen ab aliis, ut MONTAGNE, negatur], qua nempe intellectus a S. Sancto elevetur et corroboretur ad melius intelligendum, et ad eliciendum actum supernaturalem et nobiliorem quam possit naturæ viribus elicere."

*17. PETAVIUS in opusculo, quod inscribitur "De Pelagianorum et Semipelagianorum dogmatum Historia," sex enumerat beneficia (c. 2, n. 4), quæ tot genera gratiæ vocavit Pelagius:—"Sex omnino divinorum beneficiorum genera gratiæ vocabulo comprehensa sunt in illa hæresi. Primum est natura ipsa hominis, maximeque liberum arbitrium. Secundum est peccatorum remissio. Tertium quiquid extrinsecus objicitur ad docendum, cohortandum et impellendum hominem, veluti lex, et Christus ipse propositus ad imitandum; item doctrina, creaturæ ipsæ, miracula, terrificæ res, et hujus generis alia. Quarto gratiam appellabant interiorem mentis illustrationem, qua diaboli insidias retegit Deus, et cordis oculos aperit. Quintum genus est regeneratio et adoptio, qua filii Dei per baptismum fiunt homines, ac status ille, in quo ad regnum cœleste capessendum idonei sunt. Sextum postremumque est æterna ipsa vita."

*18. De secundo et quinto beneficio quæritur 1°, an admiserit Pelagius gratiam habitualem? *Resp.* 1°. Tota vel fere tota controversia inter Catholicos et Pelagianos erat de gratia actuali, non de habituali; prout passim affirmant theologi, contra singularem sententiam Thomas-

sini. 2°. Omnes concedunt eum non admisisse gratiam sanctificantem sensu Catholico, per S. Spiritum cordibus nostris diffusam, nobisque inhærentem. 3°. An vero admiserit gratiam vere habitualem alio quodam sensu? Alii, ut ANTOINE, BILLUART, &c., affirmant. Alii, ut mihi videtur, multo probabilius negant—nisi forsan aliquando verbo tenus ad illudendum. Ita SUAREZ, Prolegom. 5, c. 2, n. 5, TOURNELY, &c.

19. 2°. Quo sensu tenuit remissionem peccatorem? *Resp.* Convenienter cum jam dictis, censeo probabilius esse eum per istam remissionem significasse meram extinctionem peccati, absque ulla gratia infusa. Imo, spectato Pelagii sensu et animo vero et præcisis flexibus ejus dolosis, mihi valde placet quod dicit SUAREZ, l. c. n. 3:—"Ex quibus persuasum semper mihi habui, Pelagium nihil altius de humana natura, vel de statu, virtutibus aut actibus ejus in hac vita cogitasse, quam de pura hominis natura philosophus quispiam gentilis, recta ratione utens, cogitare potuisset; exceptis nonnullis Dei beneficiis, sub quibus, abutendo nomine gratiæ et adjutorii divini, errorem suum occultabat, ut sunt lex, revelatio seu doctrina."

20. 3°. Quemnam effectum baptismo tribuit Pelagius? Quoniam peccatum originale omnino negavit, idcirco affirmavit parvulos baptisari, non ad illud peccatum delendum, sed ut fierent adoptivi filii Dei et hæredes regni cœlorum. Adulti autem propriis viribus naturalibus istam adoptionem sibi comparare possunt. Alios errores Pelagianorum videas apud PETAVIUM et alios auctores.

21. II. *Semipelagianismus.* Quomodo ex scriptis S. Augustini contra Pelagium ortum habuit Semipelagianismus, videas apud SUAREZ, Proleg. 5, c. 5, n. 1; qui late per istud et sequens caput de indole hujus hæresis et de

ejusdem propugnatoribus disserit. Errores Semipelagianorum ad quinque capita revocat PETAVIUS, op. cit. c. 7.

22. Sicut Pelagiani, ita et Semipelagiani nec semper nec omnes in eadem sententia perstiterunt, sed pro variis circumstantiis varios doctrinæ flexus et mutationes admiserunt. Cum Catholicis et contra Pelagianos, existentiam et transfusionem originalis peccati et omnimodam necessitatem gratiæ ad singula opera *ipsa* salutaria et ad justificationem assequendam constanter affirmabant. De eorum autem erroribus, cum quidam theologi singulares proferunt enarrationes, sequentes mihi videnter esse sententiæ receptæ, probatæ et veræ. *Primo.* Ut conclusionem ex doctrina S. Augustini de absoluta gratuitate gratiæ male confectam, nempe, liberum arbitrium ista doctrina extingui et nihil ad salutem efficere posse, declinarent Semipelagiani, dixerunt liberum arbitrium, ante gratiam datam et sine ea, aliquid efficere posse, non quidem ipsum opus salutare, sed quod vocabant initium operis salutaris, cujus initii intuitu, quasi aliquo modo dignum esset propter quod Deus positive moveretur ad dandam gratiam, dat gratiam ut opus ipsum salutare ponatur—etsi quidam dixerunt Deum non semper expectare initium istud, sed aliquando, eo non posito et sine intuitu ejus, dare gratiam; ut factum est in S. Matthæo, S. Paulo et aliis. "Unde qui sic senserunt, cum in aliis a Pelagio discederent, in hoc illi adhæserunt, quod *initium* gratiæ sit ex libero arbitrio, ac subinde quod *prima* gratia ex *aliquo* merito liberi arbitrii proveniat. Ideoque, licet ad perfectam salutem consequendam, et ad proficiendum in bonis operibus gratiam esse necessariam admitterent, numquam tamen eo pervenerunt, ut eam gratis dari concederent, sed ex aliquo bono usu liberi arbitrii, quem ponebant, vel in naturali effectu

credendi, vel in desiderio salutis, vel in aliqua humana oratione, vel alia simiil diligentia, inquisitione aut labore, ut sumitur ex Epistolis Hilarii et Prosperi ad Augustinum, et ex eodem Augustino, libro de Prædestinatione Sanctorum." SUAREZ, l.. c.

23. 1°. Per initium operis non significabant *partem* ipsius operis, sed quæcumque opus præcedentia ad ipsum positive disponunt, seu quorum intuitu et merito aliquantulo datur gratia ad ipsum opus ponendum, ut sunt oratio, desiderium, &c. Et quoniam quæstio fuit maxime de initio fidei, per id intelliguntur ea omnia quæ, post revelationem patefactam, in intellectu et voluntate ipsum actum fidei necessario antecedunt, i.e. positive disponunt ad actum illum: et hæc sunt judicium credibilitatis, voluntas credendi et excitatio ad utrumque. Quæ cum naturæ viribus ponuntur, datur eorum intuitu gratia ad ipsum actum fidei eliciendum.

24. 2°. Dixi "merito *aliquantulo:*" non enim cum Pelagianis affirmabant in operibus naturalibus meritum proprie dictum seu de condigno, sed tantum de congruo et exiguum: hoc saltem probabilius est. SUAREZ, c. 6, n. 39, 41.

25. 3°. Etsi cum Pelagianis negabant necessitatem gratiæ inspirationis seu voluntatis ad initium fidei, admiserunt, saltem aliquando, gratiam illustrationis seu intellectus: sed an ejus necessitatem admiserint, et quousque, statuere non possum. Necessitatem dico ad initium fidei; quid enim senserint de ipso opere salutari ex dictis constat.

26. *Secundo.* Hujus erroris sequelam, seu potius eundem ipsum errorem alio sub conceptu propositum, tenebant, negando gratuitatem gratiæ. Quid vero de dono perseverantiæ tenuerint suo loco videbitur: d. 5, n. 54. Alios eorum errores ex his manantes vid. apud PERRONE, n. 68.

27. III. ***Doctrina Catholica.*** Opus est vel 1°, peccaminosum vel 2°, moraliter bonum vel 3°, salutare simpliciter vel 4°, meritorium. Opus moraliter bonum est opus in objecto, circumstantiis est fine honestum seu rectæ rationi conforme. Opus peccaminosum est opus quod in alioquo ex illis tribus deficit et malum est. Opus salutare est opus quod positive disponit et ducit ad sanctitatem et vitam æternam. Dico "positive;" si enim negative tantum removendo obicem disponit, non vocatur salutare, aut saltem non vocatur nisi negative salutare: n. 83, 86. Quid sit opus meritorium vid. d. 12.

28. Sermo est hic de solo opere salutari; et de necessitate gratiæ ad opus ejusmodi ponendum hæc tria affirmat doctrina Catholica. 1°. Ad omne opus salutare absolute necessaria est gratia interna elevans. 2°. Pariter absolute necessaria est eadem gratia ad initium operis salutaris. 3°. Gratia nunquam datur intuitu aut merito quocumque operis ordinis naturalis, i.e. gratia est omnino et absolute gratuita.

*29. De prima propositione quæstio est, utrum actus fidei sit supernaturalis quoad substantiam seu entitatem, an tantum quoad modum (d. 1, n. 9)? Seu, aliis verbis, an idem ipse assensus fidei qui, ut sit salutaris, debet elici ex gratia, possit elici ut opus naturale et mere moraliter bonum ex viribus naturæ? Hæc quæstio hoc loco ponitur propter similem de secunda propositione quæstionem, cujus resolutio necessaria est ut clarius intelligamus doctrinam probandam. Ratio dubitandi generalis est, quia alii plures dantur actus, qui ex gratia fiunt salutares; et tamen in se sunt naturales; qualis est actus temperantiæ, amoris parentum, &c. Ratio autem specialis est, quia talia sunt motiva credibilitatis eaque est eorum vis probandi, quæ bene ab intellectu viribus propriis percipi, inspici, perpendi

possunt; quibus perpensis, ratio manifesta docet revelationi sic confirmatæ assensum esse præbendum.

*30. Hanc quæstionem late excutiunt SUAREZ, l. 2, c. 4, &c. LUGO, de Fide, d. 9, s. 2; SALMANT. disp. 3, dub. 3. Dico 1°, quæstionem non esse de naturali cognitione dogmatum fidei quæ ratio demonstrare potest (ut existentiæ Dei), et de assensu naturali ejusmodi veritatibus præstando; ut constat ex Rom. i. 19, &c. BECANUS, Theol. Schol. T. 4, d. 4, q. 1, a. 2; STRUGGL, d. 4, q. 2, a. 4, n. 1. Hoc præfati auctores supponunt potiusquam declarant. Sermo est ergo de nostra revelatione Christiana cum suis mysteriis, vel etiam de aliqua veritate revelata seorsum cum debitis motivis credibilitatis proposita. 2°. Iterum, sermo non est de fide ex aliquo pravo aut plane inepto motivo credibilitatis, sed ex aliquo honesto et gravi; ut si quis crederet Christum esse divinitus missum ob miracula ab eo edita, testimonium martyrum, &c., prout crediderunt tot scriptores acatholici qui libros ediderunt ad probandam divinitatem Christianæ Religionis, et nequaquam credendi sunt esse versati in ignorantia invincibili de vera Ecclesia, aut (SUAREZ, c. 10, n. 5) recepisse gratiam actualem ad assensum fidei sterilem. 3°. Ultimo, sermo non est hic de gratia medicinali sed de gratia elevante, ut patet.

*31. Re sic composita, post immensam multitudinem cogitationum et argumentationum quas ex omni parte quidam congesserunt auctores, maxime SUAREZ, mihi locus non est nisi pauca eaque quam brevissime dicendi. 1°. Nihil est in hoc argumento definitum. 2°. Potest haberi assensus fidei naturalis imperfectus et infirmus. 3°. Non potest haberi assensus fidei naturalis ea firmitate constans, aut ea pietate fervidus, aut ea universalitate obsequiosus, quam habet fides supernaturalis et salutaris: ea est enim

vis gratiæ ad has qualitates gignendas, quam nequaquam assequi possunt vires naturales. De his tribus propositionibus nullum, ut mihi videtur, dubium moveri potest. Sed quæstio est 4°, an dari possit fides naturalis quæ vere et proprie fides est, etsi omnino sterilis, et ea certitudine firma et constans est, quæ elevata a gratia sufficeret ad fidem supernaturalem; quæ esset fides naturalis a supernaturali non quoad substantiam sed quoad modum tantum discrepans? Hic nihi videtur esse verus sensus quæstionis, quem significat SUAREZ (c. 5, n. 1), loquens de actu fidei Christianæ, "quo intellectus *debita* certitudine credit quod Deus revelavit."

*32. Quæstioni sic propositæ responsionem affirmativam quidam theologi censuris notarunt. Sed SUAREZ (ibid. et n. 2), rejectis istis censuris et exaggerationibus, dicit sententiam negantem esse communem in schola theologorum, verisimiliorem et divinæ theologiæ magis consentaneam. (Vid. et VASQUEZ, d. 187, n. 5, 6.) Tenet ergo (ibid.), cum communi sententia, ejusmodi actum fidei "supernaturalem in substantia esse, ideoque alium similem in entitate specifica fieri non posse per solas vires naturales intellectus." Cedo auctoritati theologorum: sed argumenta ab iis allata mihi nequaquam firma sunt, nec me persuasum habent. Pro parte affirmante vid. MOLINA, Concordia, q. 14, a. 13. d. 7.

33. De secunda propositione hæc dicenda sunt. 1°. Quoniam semipelagianum est affirmare initium fidei *salutaris* posse esse sine gratia, ergo clare et certo semipelagianum esset affirmare ipsam voluntatem credendi, quæ est ultima pars initii fidei et proxima dispositio ad fidem, esse posse sine gratia. 2°. "Dico secundo, non solum voluntatem credendi, sed etiam initium voluntatis esse ex gratia, seu

potius esse peculiarem gratiam Dei gratis omnino collatam. Hæc assertio est etiam contra Semipelagianos. . . . . . . Hoc initium voluntatis credendi nihil aliud est nisi gratia vocationis, et non tantum externæ sed etiam internæ, per quam et intellectus suadetur, et voluntas paulatim attrahitur ut velit. . . . . At vero illa vocatio est ex pura gratia Dei, imo est ipsa prima gratia auxilians." SUAREZ, c. 3, n. 16, 17. Ergo initium voluntatis sicut et ipsa voluntas credendi salutariter est supernaturalis quoad substantiam seu in se. 3°. De judicio credibilitatis quod præcedit voluntatem credendi ejusque initium, tenet SUAREZ (de Fide, d. 6, s. 8, n. 12, &c.) illud esse naturale in substantia, hoc autem judicium solum non sufficere "ut voluntas velit supernaturaliter credere, sed necssaria est illuminatio specialis Spiritus Sancti, quæ, ut est in intellectu, supernaturalis est, et in voluntatem etiam redundat," et ergo illuminationem illam tantum esse necessariam "propter supernaturalem actum voluntatis, id est, non est necessaria ut illud judicium fiat, sed ut illud adjuvet ad excitandum et obtinendum actum voluntatis." LUGO (d. 11, n. 3) tenet "judicium illud esse supernaturale quoad substantiam, sicut et ipsam voluntatem credendi," et hanc sententiam dicit esse communem "inter nostros recentiores." Sive SUAREZ sibi satis constet in iis quæ dicit de hoc judicio et de ipso actu fidei (n. 32), planum est dissidium esse totum de re ad doctrinam Catholicam nihil pertinente. Ambo enim conveniunt affirmantes absolutam necessitatem gratiæ ad judicium credibilitatis præcedens voluntatem credendi salutaliter. Et hoc, salva doctrina Catholica, censeo negari non posse: tum quia judicium illud positive disponit ad fidem; tum ex fere aperta declaratione Concilii Tridentini:—" Disponuntur autem ad ipsam justitiam,

dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt." Sess. 6, cap. 6.

§ 3. *Probatur Doctrina Catholica de necessitate gratiæ ad opera salutaria, contra Pelagianos.*

34. PROPOSITIO I.—*Ad omne opus salutare absolute necessaria est gratia interna elevans.*

35. Propositio est de fide, et definita est in Epistolis Summorum Pontificum, in Conciliis antiquis ab Ecclesia probatis et in Tridentino, Sess. 6, can. 2 et 3.

Probatur ex *S. Scriptura.* ARGUMENTUM I. "Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum." Joan. vi. 44. Sane Judæi murmurantes et increduli, quos hic alloquitur Christus, magnas receperunt gratias externas, quibus adigerentur ad fidem cuicumque verbo ejus adhibendam. Ii enim ipsi erant, qui, "quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur" (vers. 2), sequebantur eum in montem, et ibi aliud miraculum præ ceteris splendidum et magnificum in multiplicatione quinque panum et duorum piscium viderunt; quo tantum affecti sunt, ut eum esse verum prophetam prædicarent, et vellent eum rapere et facere regem (vers. 14, 15.) Et tamen aliud auxilium, et quidem supernaturale, non solum illis sed omnibus absolute necessarium fuit et est ut salutariter credant, nempe, attractio Patris. 1°. Sermo est in textu de auxilio supernaturali interno. Ex una enim parte, omnes suas vires naturales integras et perfectas et expeditas habebant; ex altera vero, auxilia habebant externa copiosissima et potentissima, ut ex jam dictis manifestum est. 2°. Sermo est de fide salutari:

tum quia sane non loquitur Christus de fide sterili et non ducente ad vitam æternam; tum quia statim hæc verba subjungit, "et ego resuscitabo eum in novissimo die," quibus plane significatur fidem illam disponere et ducere hominem ad istam resuscitationem i. e. vitam æternam. 3°. Verba sunt valde universalia et omnino omnes attingunt: nullus excipitur—"*nemo* potest." 4°. Gratia est absolute necessaria ad fidem salutarem; quæ, sine ea, non solum opus est difficile et arduum sed impossibile—"nemo *potest*."

36. Dixi "fidem salutarem;" non quod censeam de fide sola ibi verbum fieri, imo censeo ibi saltem implicite significari necessitatem gratiæ ad omne opus salutare. 1°. Nulla est ratio hujus necessitatis ad fidem, quæ in omni alio opere non invenitur. 2°. Fides, de qua ibi, non est fides nuda, nudus actus credendi, sed est fides viva, quæ omnia illa alia sibi conjuncta habet opera, quibus salus æterna acquiritur; ut patet ex verbis, "et ego resuscitabo" &c.

37. ARGUMENTUM II. "Manete in me, et ego in vobis [i. e. vel, Ego in vobis manebo, nempe, si vos in me manseritis; vel potius, Curate ut in me maneatis ut sic ego in vobis maneam]. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite [i. e. per Hebraismum, ut in v. 19, Sed ut manens in vite]; sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, et arescet," &c. Joan. xv. 4–6.

38. In hoc textu, sicut in precedente et sequentibus, manifestum est sermonem esse 1°, de operibus salutaribus

2°, de hominibus qui viribus et facultatibus suis naturalibus plenis et expeditis gaudebant. Ne eadem ergo perpetuo repetantur, hæc duo supponimus.

39. Duplici argumento propositio nostra ex hoc textu concluditur. 1°. Ex comparatione, quæ analogica est, Christi et vitis, Apostolorum et palmitum, positive et negative—quod autem de Apostolis hic dicitur de omnibus plane dicendum est. Positive concluditur: sicut enim palmes totam suam vitam vegetabilem ita a vite derivat, ut fructum nullum ex semetipso facere potest; ita homo totam suam vim ad opera salutaria præstanda ab appulsu et influxu Christi habet. Negative: nam sicut palmes præcisus a vite absolute sterilis est, ita absolute impossibile est ut homo sine gratia Christi ullum opus salutare ponat. 2°. Concluditur propositio ex textu diserte eam affirmante:—"quia sine me nihil potestis facere:" i. e. necessarium absolute est ut in me maneatis (quod subintelligitur ex verbis præcedentibus), quia sine me &c. Celebris est locus S. Augustini, Tract. 81, in Joann. n. 3:—"Ne quisquam putaret saltem parvum aliquem fructum posse a semetipso palmitem ferre, cum dixisset, 'hic fert fructum multum,' non ait, quia sine me parum potestis facere, sed, 'nihil potestis facere.' Sive ergo parum sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest."

40. ARGUMENTUM III. "Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum: non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed omnis sufficientia nostra ex Deo est." 2 Cor. iii. 4, 5. Ex occasione particulari (loquendo de successu suo mirabili in Corinthiis convertendis) S. Paulus doctrinam universalem affirmat. Per vires nostras naturales nullum opus salutare ["non . . . .

aliquid"] excogitare [λογισασθαι], nedum efficere, possumus : et si quid ejusmodi præstandi potestatem [" a nobis"] habeamus, hæc potestas non est nostra naturalis ["ex nobis"], sed tota a Deo collata.

41. ARGUMENTUM IV. "Cum metu et tremore vestram salutem operamini : Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntàte." Philip. ii. 12, 13. Deus est qui non solum, gratia sua cooperante, opera salutaria in nobis operatur, sed etiam, gratia præveniente, initium et voluntatem istorum operum, et id non secundum nostrum sed secundum suum beneplacitum. Nos ergo strenue cum Deo cooperari debemus, gratiæ ejus cedentes, et semper timentes ne, ex negligentia nostra et culpa, hanc suam operationem subtrahat Deus.

42. Probatur Propositio ex *Patribus*. "Necessarius nobis est ros Dei, ut non comburamur neque infructuosi efficiamur." S. IRENÆUS, l. 3, c. 17, n. 3.

43. "Quidquid sanctum cogitaveris, hoc Dei munus est, Dei inspiratio, Dei gratia." S. AMBROSIUS, de Cain et Abel, l. 1, c. 10, n. 45.

44. Πτωχοι ἁπαντες, καὶ της θειας χαριτος επιδεεις. "Pauperes omnes sumus, gratiaque divina indigemus." S. GREGORIUS NAZIAN. Oratio 14, n. 1.

45. "Velle et currere meum est: sed ipsum meum, sine Dei semper auxilio, non erit meum. . . . . Semper largitor, semperque donator est. Non mihi sufficit quod semel donavit, nisi semper donaverit. Peto, ut accipiam : et, cum accepero, rursus peto." S. HIERONYMUS, Epistola 132, n. 6.

46. Δωρα Θεου κεκληκε και το πι.τευσαι, και το λαμπρως αγωνισασθαι, ου το αυθαιρετον της γνωμης εκβαλλων, αλλα διδασκων 'ως αυτη καθ' ἑαυτην ἡ γνωμη, γεγυμνωμενη της

χαριτος, ουδεν δυναται κατορθωσαι των αγαθων. "Dona Dei vocavit, et credidisse et splendide decertasse, non liberum tollens animi arbitrium, sed docens quod ipsa per se mens aut voluntas, gratia destituta, nihil boni possit recte facere." THEODORETUS CYRENSIS, in Philipp. ii. 29, 30.

47. "Ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. . . . . Ut velimus sine nobis operatur: cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur. Tamen sine illo, vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus." S. AUGUSTINUS, de Gratia et Libero Arbitrio, c. 17. Ita idem magnus de gratia Doctor in aliis locis passim, et ceteri Patres unanimes.

48. Probatur Proposito ex *ratione theologica.* Opus salutare est opus hominem positive disponens et ducens, sive remote sive proxime, ad sanctitatem assequendam aut augendam, et, si in hoc statu moriatur, ad vitam æternam habendam. Primo, per opera salutaria homo transfertur a statu peccati, in quo alienus erat a deo et filius iræ, ad statum innocentiæ. Sed, ut vis hujus argumenti clarius perspiciatur, ponamus creaturam puram, sive humanam sive angelicam sive quamcumque aliam possibilem, in sua pura et ergo innocenti natura existentem, quantumvis excellentissima et omnigenis dotibus et facultatibus ornata. Per opera salutaria disponitur ut elevetur, et ultimo elevatur in via, ad statum illum in quo fit filius adoptivus Dei, hæres regni Dei, particeps Spiritus Sancti, consors divinæ naturæ: et post viam in patria, his omnibus consummatis et in æternum stabilitis, Deum, infinitum bonum, facie ad faciem ut in se est in perpetuas æternitates videt et amat; ipsa beatitudine qua Deus beatus est beata; arctissime

Deo conjuncta ; in Deo quasi in oceano felicitatis immenso tota absorpta; in Deum quodammodo transformata, et quasi deificata. Si is est splendor et pulchritudo beati illius qui etiam minimum tenet locum inter Sanctos, cui omnia comparata quæ in toto mundo splendida et pulchra inveniri possent, in unum consociata, quasi fimus et fumus essent ; quid dicendum de ista universitate ubertatis domus Dei, qua singuli Sancti inebriantur? Nil dici potest nisi quod cum Isaia dixit Apostolus:—"Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit."

49. Jamvero manifesto et absolute repugnat dari posse ullam creaturam puram, quantumvis perfectam, quæ viribus suæ naturæ solis posset opus efficere ullum, cui ullo modo aut ullo gradu respondeat aut tanta sublimatio aut quodcunque ad tantam sublimationem positive disponens aut conducens. Absolute repugnat ipsa idea puræ creaturæ, quæ seipsam ex seipsa dignam reddere posset tantæ excelsitatis, ulla dignitate, etiam minima dignitate de congruo. Sicut enim inter Deum et creaturam (ex nihilo eductam, ex se merum nihilum, et in nihilum singulis momentis, nisi Deo conservante, relabentem) infinita est distantia; ita inter meritum seu dignitatem quamcumque operum creaturæ et tantum præmium infinita est distantia; neque alterum cum altero ullo modo, etiam cogitando, commetiri potest. Quomodo autem et quantam hanc dignitatem habeant opera creaturæ per gratiam, suo loco explanabitur : d. 12.

50. Ad majorem lucem huic argumento dandam exempla quædam plus minus illustrantia proferunt quidam theologi. 1°. Homo, quantumvis longo tempore ambulet aut aliter se moveat in terra, nunquam propius accedet ad coelum. Ita homo quantumvis suis viribus naturalibus

(et, ut ita dicam, terrenis) conetur, nunquam potest opus aliquod coeleste efficere. Media in utroque casu finibus istis assequendis absolute et omni ex parte imparia sunt. 2°. Quercus, quantumvis excolatur, mala ferre non potest; si vero surculus arboris pomi ei inseratur, per eum fert poma. Ita et homo sine et cum gratia.

51. 3°. Sutor aut sartor, qui summæ elegantiæ calceos aut vestes conficit, non ideo ullum meritum habet, quo a rege in filium adoptivum assumeretur, aut nobilium ordini ascriberetur.

52. 4°. Animal aliquod rationis expers, v.g. canis aut equus, quantumvis in genere suo perfectum et pretiosum, non ideo ullo modo dignus esset qui assideat mensæ domini sui et in ceteris tractaretur ut homo. Longe minus dignus est homo qui per opera naturalia assurgeret ad supernaturalia et vitam æternam compararet. Infinite enim major est distantia inter hominem, aut ullam creaturam in naturalibus etiam excellentissimam, et Deum, quam inter brutum et hominem. Illud quidem caret potentia obedientiali ad elevationem ullam, quam habet homo ad elevationem supernaturalem: sed discrepantia hæc, utraque creatura comparata cum Deo, fere nihil est. "Vox dicentis: Clama. Et dixi: Quid clamabo? Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fenum, et cecidit flos." Isa. xl. 5.

§ 4. *Solvuntur Objectiones.*

53. *Object.* 1. Assensus fidei est opus salutare. Sed assensus ille viribus naturæ et sine gratia præstari potest. Ea enim sunt motiva credibilitatis, quæ vi sua propria, ipsa ratione dictante, assensum firmum exigunt.

54. *Resp.* 1°. Distinguo majorem: Si præstetur exci-

tante et adjuvante gratia: Concedo: Si non: Nego. 2°. Distinguo minorem: Assensus naturalis et sterilis: Transeat: supra, n. 30-1: Assensus salutaris: Nego.

55. Similis objectio de aliis operibus bonis urgetur, de spe, de amore Dei, de operibus misericordiæ, de oratione, de temperantia, &c. Eadem est ad omnes ejusmodi objectiones responsio: ista enim opera, sive quoad substantiam viribus naturæ effici possint sive non (et utrum possint an non, quæstio est omnino extra præsentem materiam posita), ut sint salutaria, debent omnia et singula ex gratia fieri. Non enim probavimus necessitatem gratiæ ex eo quod vires naturales non possunt opus in se exsequi, vel non nisi ægre possunt, sed quia a Deo revelatum est nullum opus, sive facile sive difficile, posse esse salutare nisi fiat ex gratia, nisi recipiat quamdam dignitatem et excellentiam, quam ex se nec habet nec habere potest, et sic ad ordinem attollatur qui est omnino supra naturam ejus.

56. Non est opus ergo ut istas objectiones singulatim disjiciamus, eadem iisdem verbis repetentes. Idem dicendum est de quibusdam locis Scripturæ, in quibus videretur significari quædam opera salutaria facta fuisse sine gratia. Vel enim sermo est in illis textibus de operibus mere moraliter bonis, vel de operibus salutaribus. Si prius dicatur, ergo textus sunt extra rem: si posterius, etsi diserte non affirmatur ea facta esse ex gratia, hoc tamen semper supponitur. Quoniam enim adeo sæpe et clare affirmatur diserte nullum opus salutare fieri sine gratia, opus non esset principium omnibus notum, memorando opera salutaria, semper interponere et repetere. Exempla sunt in Job. i. 8; Act. x. 2, &c.

57. *Object.* 2. Dici non potest Deum dedisse homini facultates ad finem suum ultimum assequendum, quæ

tamen tales sunt, ut per eas absolute impotens est ad hunc finem assequendum—id enim sapientiæ divinæ repugnat. Deus autem dedit homini facultates naturales, ut per eas istum finem attingeret; attamen, si vera sit propositio, per eas non solum finem attingere non potest, sed nec etiam minimo gradu ad eum accedere. Ergo vera non est propositio.

158. *Resp.* 1°. Distinguo primam propositionem: Ut per eas, se solas, ab extra non adjutas, absolute impotens est: Concedo: Ut per eas elevatas et adjutas: Nego. 2°. Distinguo primam partem secundæ propositionis: Deus dedit facultates nudas: Nego: Facultates elevatas: Concedo. Deus potuit destinare hominem ad finem ultimum pure naturalem; et tunc homo potuisset hunc finem attingere per vires naturales, auxiliis mere naturalibus et non elevantibus, cum opus esset, adjutas. Sed Deus de facto eum ad finem supernaturalem destinavit, et ideo posuit eum in statu viæ supernaturali, in quo elevatæ sunt ejus facultates, et, si in hoc statu permanere voluisset, semper et infallibiliter elevatæ permansissent. Per peccatum vero ab illo statu decidit, et illico omni facultatum elevatione orbatus est, quæ ei ab initio ratione universali indebita fuit (utpote nulli creaturæ debita), nunc autem alia et personali ratione indebita. Deus autem infinite misericors decrevit eum in statum pristinum, etsi non integrum nec eadem lege, restituere. In hoc statu nostro lapso reparato 1°, (sermo est de adultis, quia ii soli facultates suas exercere valent) Deus dat gratias omnibus fidelibus, præsertim justis, vel proxime vel remote sufficientes, quibus possunt omnia opera salutaria necessaria, et alia multa exsequi. 2°. Iis qui non habent fidem dat auxilia saltem medicinalia opportuna ad opera moraliter bona præstanda. 3°. Si his

auxiliis bene utantur, et sic non ponunt obicem (infra, n. 76, &c.), gratias elargitur supernaturales quibus ducuntur ad fidem. 4°. Et has gratias etiam dat passim iis qui istis auxiliis male utuntur et pessime merentur (infra, n. 78, &c.) Et sic naturales facultates ad multa valent bona et moralia et salutaria, in his elevatæ in illis non.

59. *Object.* 3. Non videtur quomodo fit ut gratia tanta excellentia tantisque viribus nostras facultates, si in se sint adeo infirmæ et steriles, augeat.

60. *Resp.* 1°. In omni quæstione de rebus spiritualibus, quæ in sensus nostros vel nullomodo occurrunt vel nonnisi per effectus, præsertim si supernaturales sint, inest necessario obscurum aliquod. Non ideo in ullo quod de iis aperte revelatur hærendum est. Nostram propositionem esse aperte revelatam constat ex argumentis supra allatis.

61. 2°. Quæstio est hic tantum de gratia actuali: de habituali vid. d. 9. Illius autem excellentia ex eo est quod est actio ipsius Dei, et opus quod, ea excitante et adjuvante, efficitur est vere opus Dei, opus divinum: "Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere:" vid. n. 1, &c. In vita cujusdam Sancti (S. Francisci Assissii, ni fallit memoria) narratur Angelum ei quondam in visu universum mundum in gemmas pretiosissimas et splendidissimas mutatum ostendisse, et dixisse :—" En qualis et quanta magnificentia : minima tamen gratia Dei omnibus illis infinite pretiosior est."

62. *Object.* 4. Forsam in textibus allatis, n. 35, &c., sermo est de concursu generali Dei, qui ad omina opera, etiam naturalia, necessarius est, et non de speciali auxilio gratiæ.

63. *Resp.* Plane falsa et insulsa est interpretatio ista. 1°. Quod dictum est, n. 35, de primo textu allato, de

omnibus pariter verum est, nempe, eos respicere homines ut suis viribus naturalibus, quæ omnibus communes sunt, integris et expeditis instructos, et manifesto significant alias præter illas vires necessarias esse. 2°. Textus Joannis xv. diserte significat auxilium speciale a Christo ut mediatore et causa meritoria derivandum: quod de concursu Dei generali, qui ad omnes omnium creaturarum actus necessarius est, nequaquam affirmari potest.

§ 5. *Probatur Doctrina Catholica de necessitate gratiæ ad initium operis salutaris et de gratuitate gratiæ, contra Semipelagianos.*

64. Propositio II. ***Ad initium omnis operis salutaris absolute necessaria est gratia interna elevans.***

65. Probatur ex *S. Scriptura.* Argumentum I. Textus allati (n. 35, &c.) ad primam propositionem probandam, hanc quoque satis clare firmant. Significant enim nihil esse salutare, nihil positive conducens ad vitam æternam, quod non est ex gratia. Sed initium operis salutaris et ipsum, vi termini, salutare est; ergo ex gratia. Hoc disertius significatur in textu Joan xv. (n. 37): sicut enim palmes non solùm incrementum totum habet ex vite, ut sit palmes, sed totum initium incrementi, ut incipiat crescere; adeo ut, nisi incepisset ex vite succrescere, non tantum nunquam in palmitem crevisset sed nec etiam crescere incepisset; ita et homini absolute necessaria est gratia, non tantum ut opus faciat salutare sed ut id facere incipiat. Insuper in textu dicitur, "sine me *nihil* potestis facere." Initium sane operis salutaris non est, in ordine supernaturali et relate ad ipsum opus, merum nihil; imo quid positivum est et vere gravis momenti. Αρχη ἡμισυ παντος, ut fert proverbium Græcum—"initium dimidium totius."

66. Idem dicendum est de textibus, 2 Cor. iii. et Philip. ii. (n. 40, 41). In altero enim dicitur, forma negativa, nos non posse *aliquid* (nempe salutare) sine gratia etiam *cogitare;* et dicitur, forma affirmativa, *omnem* nostram sufficientiam, etiam ad aliquid cogitandum, ex gratia esse. In altero vero affirmatur Deum esse qui operatur in nobis non tantum ipsum opus sed ipsam *voluntatem* operandi. Quæ omnia ut vera sint, vera esse debet nostra propositio.

67. Idem probatur ex aliis textibus, quorum unum et alterum proferemus. ARGUMENTUM II. "Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei." Rom. ix. 16. Loquitur hic S. Paulus de vocatione ad fidem et exinde ad justificationem, et omnem dispositionem nostram ad eam vocationem assequendam omnino et absolute excludit. Quod eam accipiamus ex nostra voluntate non est aut operatione, sed ex pura misericordia et gratia Dei. Initium ergo operis salutaris ex nobis esse non potest.

68. ARGUMENTUM III. "Cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati. . . . . Gratia enim estis salvati per fidem : et hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura creati in Christo Jesu in operibus bonis." Ephes. ii. 5, 8-10. Ibi non una significatione declaratur totam nostram justificationem, cum ipso initio ejus, ex gratia esse. 1°. Non tantum enim iterum iterumque affirmat justificationem ["salvati:" justificatio vocatur salus ab effectu et quia est salus inchoata] esse ex gratia, sed ita ex gratia ut non sit ex nobis aut ex operibus nostris, ut sit totum Dei donum, ut nobis nulla sit ratio gloriandi. Quæ omnia dici non possent, si Deus, ante gratiam datam, nostrum opus bonum naturale exspectaret, et intuitu illius gratiam elargiretur. 2°.

Comparatur justificatio peccatoris cum excitatione a mortuis et creatione ex nihilo. Non autem "dicimur a Deo creati in operibus bonis, quod sicut mundus ad sui creationem nihil operatus est, ita nec nos ad bona opera quicquam cooperemur: sed quia tam vere, proprie et efficaciter Deus in nobis opera bona producit, nihil quod ex nobis est prærequirens; quam vere, proprie et efficaciter mundum ex nihilo produxit." ESTIUS, in locum. Idem dicendum est de altera comparatione excitationis a mortuis.

69. Textus Patrum allati ad primam propositionem probandam (n. 42, &c.) hanc quoque secundam plane significant. Idem dicendum est de ratione theologica, n. 48. Talis est enim ordo gratiæ ad vitam æternam ducentis, tam altus et excellens, ut nihil ex se possit mera creatura, quo ad illum disponatur.

70. Iisdem argumentis, quibus probatur hæc secunda propositio, probatur etiam, quæ eandem veritatem alio modo affirmat,

PROPOSITIO III. *Gratia est omnino gratuita: seu nunquam datur intuitu operis boni naturalis: seu nullum opus naturale potest ullo modo merere gratiam aut ad eam positive disponere.*

§ 6. *Solvuntur Objectiones.*

71. *Object.* 1. Ponas hominem bonis moribus, liberalem erga pauperes, beneficum erga omnes, mitem, justum, bonum maritum, bonum patrem, &c. Aut, quod magis est, ponas ejusmodi hominem principem, aut principis ministrum, qui omnem suam curam adhibet ut omnia quæ justa sunt decernantur, ut omnia quæ mores corrumpunt amoveantur, ut pax et interna et externa conservetur (et

sic tot mala non solum physica sed moralia avertantur), ut tempore famis vel pestilentiæ omnium necessitatibus provideatur, &c., &c., &c. Nonne aliquo modo dignus esset talis qui propter hæc opera gratiam recipiat, et, si extra Ecclesiam sit, etiam gratiam qua ad eam perduceretur? Ita communissime acatholici in his regionibus, et etiam quidam Catholici non bene formati.

72. *Resp.* Distinguo: Si facta sint ex gratia: Concedo: Si non: Nego. Hæc enim omnia, quantumvis præclara nobis esse videantur, et benevolentiam et gloriam apud homines jure concilient, si fiant sine gratia, sunt mera opera vilis creaturæ, pertinent essentialiter ad ordinem longe et, ut ita dicam, infinite inferiorem, nec unquam ullo modo hominem disponere possunt, ut propter ea ad istum alterum et divinum ordinem attollatur: n. 50-2.

73. *Object.* 2. Ponantur duo infideles, Titius et Caius, quorum prior vitam duxit turpissimam et omni coeno vitiorum inquinatam, alter vero vitam duxit longe longeque minus maculatam vel etiam, adjutus auxiliis pure medicinalibus, moraliter bonam. Caius sane præ Titio dignior est cui a Deo concedatur gratia vocationis ad fidem et justificationem.

74. *Resp.* Distinguo: Minus indignus est: Concedo: Dignior est: Nego. Differentia non est in dignitate sed in indignitate, non in merito sed in demerito: neuter dignus est, ambo indigni.

75. *Urgetur* 1. Ergo falsa est nota sententia S. THOMÆ, quæ affirmat quod si aliquis in sylvis nutritus "ductum naturalis rationis sequeretur, in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum quod ei Deus vel, per internam inspirationem, revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret."

76. *Resp.* Distinguo: Deus ita ageret ex sua voluntate libera et pure misericordi salvandi omnes homines, etiam præviso peccato originali, et ex decreto quo proinde statuit gratias ad id sufficientes omnibus elargiri qui obicem non ponerent: Concedo: Quia vita illius silvestris hominis moraliter bona ullum habet meritum quo ad illas gratias elargiendas moveretur Deus: Nego. Hæc pulchra habet idem S. THOMAS (Contra Gentes, l. 3, c. 159):—"Licet aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri nec acquirere possit, potest tamen seipsum impedire ne eam recipiat. . . . . Et quum hoc sit in potestate liberi arbitrii, impedire divinæ gratiæ receptionem vel non impedire, non immerito in culpam imputatur ei qui impedimentum præstat gratiæ receptioni. Deus enim, quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare: 'omnes' enim 'homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire,' ut dicitur 1 Tim. ii. 4. Sed illi soli gratia privantur qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant: sicut, sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, licet videre non possit nisi lumine solis præveniatur."

77. *Urgetur* 2. Si Deus dat gratiam non ponentibus obicem; ergo ex eadem lege, contrario modo, non dat gratiam ponentibus obicem. Sed hoc falsissimum est: cum ex adultis conversis ad fidem paucissimi fuere qui non posuerunt obicem: imo multi fuere magni peccatores.

78. *Resp.* Nego consequentiam, vel Distinguo: Si solis non ponentibus statuerit Deus dare gratiam: Concedo: vel alio modo: Si illis det gratiam, quia non ponendo obicem sese positive disponunt ad gratiam; et si solis sic dispositis statuerit Deus dare gratiam (quod utrumque omnino falsum est): Concedo: Si ex sola voluntate sua libera salvandi

omnes homines illis det, nec tamen alios numero longe plures excludat: Nego. Deus convertit omnes, quorum opera non adversantur etsi non concurrunt: et hi numero pauci sunt, quia pauci sunt quorum opera non adversantur. Deus et alios convertit, quorum opera non solum non concurrunt sed adversantur: et hi innumeri sunt, quia "stultorum [i.e. peccatorum] infinitus est numerus." Eccles. i. 15. Si omnes homines essent primi generis, omnes salvarentur. SUAREZ, l. 4, c. 13, n. 6.

78*a*. *Urgetur* 3. Ergo Deus, gratiam isto arbitrario modo concedens, acceptor personarum est: quod est contra Scripturam:—"Non est personarum acceptor Deus." Act. x. 34.

79. *Resp.* 1°. Distinguo: Si propter ullum meritum naturale in hominibus existens Deus teneatur gratiam iis impertire: Concedo: Si gratia conversionis sit pure gratuita: Nego. 2°. Sensus textus hic est: acceptor personarum est, qui in bonis vel muneribus distribuendis, quæ secundum meritum aut aptitudinem singulorum dari debent, non hæc respicit sed speciem, divitias, &c., et sic justitiam distributivam violat. At Deus non solum non est acceptor personarum hoc sensu (nec potest esse, cum nullo titulo gratiam elargiri teneatur), sed etiam omnibus dat gratiam, et gentes et Judæos vocat ad fidem.

80. "Quum autem Deus hominum qui in eisdem peccatis detinentur hos quidem præveniens convertat, illos autem sustineat sive permittat secundum ordinem rerum procedere, non est ratio inquirenda quare hos convertat et non illos: hoc enim ex simplici ejus voluntate dependet, sicut ex simplici ejus voluntate processit quod, quum omnia fierent ex nihilo, quædam facta sunt aliis digniora; et

sicut ex simplici voluntate procedit artificis ut ex eadem materia similiter disposita quædam vasa format ad nobiles usus et quædam ad ignobiles. Hinc est quod Apostolus dicit:—'Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam:' Rom. ix. 21." S. THOMAS, contra Gentes, l. 3, c. 161.

81. Quod ergo Deus hunc infidelem sive negativum (qui obicem posuit; alioquin, ex dictis, converteretur) sive positivum ad fidem non adducat, et illum æque indignum vel etiam longe indigniorem ad fidem adducat; et quod hunc fidelem peccatorem in peccato permanere permittat, et illum æque magnum aut longe majorem peccatorem ad justitiam revocet—hæc omnia simplicis sunt ejus voluntatis, ut ex eadem Epistola ad Romanos constat:—"Miserebor cujus misereor: et misericordiam præstabo cujus miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei." ix. 15, 16.

82. Attamen dicendum est 1°, voluntatem istam agere, non modo arbitrario et quasi fortuito, sed cum consilio infinite non solum justo sed etiam sapienti. Consilium autem et ratio illa quæ sit, mysterium est nobis omnino et absolute impenetrabile, de quo nihil etiam conjectando cogitare possumus. Nec dicatur consilium illud, in quibusdam saltem casibus, satis apertum esse, nempe, cum homines sancti precibus suis horum et illorum conversionem impetrant. Deus enim est qui ex consilio suo inscrutabili excitat sanctos istos homines ut pro his et illis orent, et non excitat ut pro aliis orent. Manet ergo tantum ut cum Apostolo (Rom. xi. 33, 34) clamemus, "O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim

cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?"

83. Dicendum est 2°, etsi non pauci theologi teneant Deum elargientem gratiam nequaquam respicere dispositionem istam negativam (SALMANT. d. 3, n. 200, &c.), verior tamen esse videtur sententia opposita, quam sic exponit PERRONE, n. 235:—"Etsi Deus gravi peccatorum sarcina onusto possit gratiam [fidei] conferre, et quandoque etiam conferat ad divitias bonitatis suæ patefaciendas, juxta consuetum tamen suæ providentiæ ordinem iis ut plurimum confert, qui minora obstacula eidem gratiæ opponunt. Atque hinc ratio habetur, quare illi, qui ad honestatis normam mores suos componunt, minus alienos se exhibeant ab amplectenda evangelica doctrina. Qui vero cupiditatibus obsequuntur, maxime eandem doctrinam aversantur, cum eis annunciatur, aut eam amittunt, si jam receperunt, aut saltem ita languescit ejus vis in sceleratis quibusque hominibus, ut nulla pene in eis esse videatur."

84. *Object.* 3. Notum est effatum illud apud tot theologos receptum—"Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam." Ergo dat gratiam intuitu operis naturalis boni.

85. *Resp.* Duplicem sensum habere potest illud axioma. 1°. Facienti quod in se est per gratiam Deus dat aliam gratiam. Homo qui primam gratiam excitantem et adjuvantem recipit, si ea bene utatur, ulteriorem recipiet gratiam; et ita porro, donec ultimo convertatur. Effatum hoc sensu intellectum plane verum est de omni opere ex gratia actuali facto, sive a justo sive a peccatore: et hoc *solo* sensu illud verum esse tenent non pauci theologi, præsertim Thomistæ, SALMANT. d. 3, n. 158; GOTTI, de Prædest. q. 3, d. 2, n. 13; GONET, ibid. n. 171; BILLUART, d. 3, a. 7; &c.

86. 2°. Alius est sensus axiomatis: Facienti quod in se

est viribus naturæ, auxiliis pure medicinalibus adjutus, Deus dat gratiam, non intuitu operum sic factorum, sed quia ita amovetur impedimentum exercitationis misericordiæ Dei, qua vult omnes salvos facere et ideo omnibus dare gratiam. Hunc sensum egregie enarrat SUAREZ, l. 4, c. 15, n. 42 :—" Ostendimus excitantem gratiam, necessariam ad salutem, generali lege omnibus esse per Christum oblatam et promissam, non absolute sed sub aliqua conditione ab ipso homine pendente. Hæc autem conditio non est meritum aliquod, vel dispositio proportionata supernaturali gratiæ: ergo tantum esse potest conditio non ponendi obicem. Patet consequentia, quia nulla alia potest cogitari: quia, licet interdum bona aliqua actio sit necessaria, cum illa per se nihil ad gratiam conducat, solum potest esse necessaria ut obicem peccati impediat, vel potest esse utilis ut pravas dispositiones et vitia, quæ hominem ad opera gratiæ ineptiorem reddunt, impediat. Confirmatur: quia, si aliquis adultus omnino caret hac gratia excitante interna, id non est primario ex parte Dei; quia ipse maxime cupit omnibus conferre; ergo est ex parte hominis. Causa autem ex parte hominis esse non potest, quod illam non mereatur, vel ad illam se moraliter non præparet, cum id facere non possit ante primum auxilium; ergo solum esse potest causa, quia ponit aliquod impedimentum gratiæ Dei; ergo e contrario conditio in dicta lege inclusa solum est ut homo non ponat obicem gratiæ Dei. Denique hæc conditio est justissima, et non repugnat dignitati vel liberalitati gratiæ Dei; ergo ita est intelligenda." Vid. et LESSIUS, de Gratia Efficaci, c. 10.

87. *Object.* 4. " Sententia communiter recepta inter theologos est, Deum distribuisse gratiam Angelis juxta proportionem naturalem: ita ut quo Angeli creati fuerunt

perfectioris naturæ, eo majori gratia ornati fuerunt." SUAREZ, de Angelis, l. 5, c. 10, n. 3. Ex hoc sic objici potest. Deus Angelis intuitu dispositionum eorum naturalium minorem aut majorem contulit gratiam. Ergo forsân Deus nobis intuitu operum nostrorum naturalium dat gratias.

88. *Resp.* 1°. Ista sententia (quam tenet S. THOMAS, 1 pars, q. 62, a. 6) est quidem non tantum apud theologos recepta, sed communissime recepta (STRUGGL, de Angelis, d. 4, q. 1, a. 2, n. 10), non tamen ut certa nedum definita: S. THOMAS tantum dicit eam esse rationabilem. Sine dubio theologi isti loquuntur tum de gratia actuali tum de habituali (aut augmento ejus) actualem sequente ; etsi id omnes nequaquam satis clare significant. Quicquid de hoc dicitur, sententia illa toto coelo a Semipelagiono errore distat. Igitur,

89. 2°. Distinguo antecedens : Deus, distribuendo Angelis gratiam, eorum *opera* naturalia ullo modo respexit: Nego: nulla enim talia opera habebant, præsertim in sententia eorum, qui tenent eos fuisse creatos in sanctitate: Respexit *naturam:* Subdistinguo: Ita respexit, decernendo, ex consilio suo altissimo et pure libera voluntate, ut quam naturam angelicam excellentiorem crearet eandem eadem proportione gratia augeret : Concedo: Respexit naturam excellentiorem ut habentem exigentiam aut meritum quodcumque, cujus intuitu gratiam daret aut majorem aut ullam : Nego.

90. 3°. Dato antecedenti etiam in sensu maxime falso, Nego consequentiam. Ex eo enim quod Deus ita egerit in ordine angelico nullomodo sequitur eum ita agere in nostro ordine, et id maxime cum diserte revelavit se ita nobiscum non agere.

91. Multi congesti sunt textus Scripturæ, in quibus insinuari videretur initium boni operis et conversionis ad Deum sine gratia haberi posse. Sed revera omnes illæ difficultates eodem principio generali claro et certo dissolvuntur. Sæpius quidem in Scriptura memorantur initia operum salutarium vel suadentur vel præcipiuntur, absque ulla mentione gratiæ ad ea habenda necessariæ, et quasi ex nobis esse possent. At vero in aliis tot locis adeo diserte et certo significatur necessitas gratiæ absoluta ad initia ista ponenda, ut, secundum legem loquendi universalem (vid. d. 10, n. 61–2), non tantum semper intelligi debeat ista conditio, verum etiam eam toties quoties repetere inutile et inconcinnum esset: supra, n. 56. Textus ergo illos quam breviter enodabimus.

92. Obectiones ex S. Scriptura. *Object.* 5. "Hominis est animam præparare: et Domini gubernare linguam." Prov. xvi. 1. Opus hominis ibi antithetice distinguitur ab opere Dei, et ergo est opus pure naturale. Atqui opus hominis est incipere opus Dei, i. e. opus salutare.

93. *Resp.* Distinguo verum sensum textus a falso: Hominis est, excitante et adjuvante gratia, præparare animam ad loquendum salutariter et efficaciter ["hominis est animam præparare"]; sed, ut actu ita loquatur, alia indiget gratia ["Domini gubernare linguam"], secundum illud, 1 Cor. iii. 6:—"Ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit:" Concedo: Hominis est præparare animam viribus naturalibus: Nego. Sine dubio Paulus non plantavit nisi adjutus gratia, imo gratia magna et maxima; et tamen opus ejus, nulla memorata gratia, antithetice distinguitur ab opere Dei, ut in textu præsenti.

94. *Object.* 6, ex eodem Proverb. capite, ver. 9: "Cor hominis disponit viam suam: sed Domini est dirigere

gressus ejus." Dispositio viæ est initium operis, et ab homine; directio gressuum est opus ipsum, et a Deo.

95. *Resp.* similem distinctionem apponendo: Hominis est cum gratia disponere viam suam, i. e., statuere ut sancte vivat, vitando peccata et virtutes exercendo; sed ut sanctam vitam actu degat non sufficit illa gratia dispositionis, aliæ et aliæ gratiæ subsequentes necessariæ sunt: Concedo: Hominis est disponere viam suam sine gratia: Nego.

96. *Object.* 7. "Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos." Zachar. i. 3. Ergo liberi arbitrii est se ad Deum convertere.

97. *Resp.* Distinguo: Convertimini ad me, cedentes gratiis actualibus, quas ego vobis elargior ad poenitendum; et ego convertar ad vos, perficiendo opus a me in vobis inceptum, dando vobis gratiam sanctificantem: Concedo: Secus: Nego. Deus ad peccatorem prius et ante ullum ejus conatum convertitur, eum excitando et adjuvando ad poenitentiam; cui excitationi et adjutorio si peccator cedat, Deus iterum, seu potius propius, arctius, perfectius ad eum convertitur, se ei per gratiam sanctificantem conjungendo.

98. *Object.* 8. "Uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem." Matt. xxv. 15. Ergo dantur talenta (gratiæ) intuitu dispositionum naturalium et secundum eas.

99. *Resp.* Distinguo: Dantur gratiæ intuitu *operum* aut secundum ea: Nego: Dantur secundum *virtutem* (vires) a Deo datam, majorem aut minorem, ad opera salutaria magis aut minus ardua exsequenda: Concedo. Alios Deus vocat et destinat nonnisi ad communia et leviora, alios ad ardua (quæ varios gradus habent), ad vitam cæli-

batus, ad statum religiosum, ad curam animarum, ad vitam valde austeram, ad martyrium, &c. &c. Hos omnes gratiis illis auget, quæ convenientes et opportunæ sunt ad fines intentos assequendos.

100. *Object.* 9. "Velle, adjacet mihi; perficere autem bonum, non invenio." Rom. vii. 18. Ergo voluntatem bene operandi ex nobis habere possumus, etsi non ipsum opus bonum.

101. *Resp.* Distinguo: Velle, cum gratia, adjacet mihi: sed alia et multo fortior gratia necessaria est ad opus ipsum exsequendum, propter difficultates quæ in opere *exsequendo* existunt, non autem in eo *volendo:* Concedo: Velle, sine gratia, adjacet mihi: Nego: "Deus est enim, qui operatur in vobis et *velle* et perficere." Philipp. ii. 13.

102. *Object.* 10. "Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate." 1 Tim. i. 13. Ergo ignorantia fuit causa positiva ("quia") disponens ad gratiam, quæ tamen causa sane ex gratia non fuit.

103. *Resp.* Consecutus est gratiam, non quasi ignorantia esset causa gratiæ, sed quia causa fuit cur peccatum non esset ex malitia, et sic impedivit ne obex ille esset qui positive gratiæ obsisteret. Ignorantia non fecit eum aut digniorem aut ullo modo dignum, sed tantum minus indignum.

104. *Object.* 11. "Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis." Jacob. iv. 8. Ergo Deus nostram ad ipsum appropinquationem expectat, priusquam ad nos approquinquet.

105. *Resp.* Distinguo: Appropinquate, bene utentes gratiis quas Deus vobis impertitur ad opera salutaria exercenda, et is appropinquabit vobis—peccatores justificando, justos augmento gratiæ cumulando: Concedo: Appropin-

quate viribus naturalibus: Nego. In vers. 7 immediate præcedente legitur :—"Subditi ergo estote Deo: resistite autem diabolo, et fugiet a vobis." Nulla hic mentio fit gratiæ: num ergo hæc sine gratia fieri posse admitterent Semipelagiani?

106. *Object.* 12. Propositum quod habuit David ædificandi templum salutare fuit, ut constat ex 3 Reg. viii. 18. Attamen non fuit ex gratia: Deus enim gratia sua non excitat aliquem ad opus efficiendum, quod tamen ab eo non esse efficiendum absolute decrevit.

107. *Resp.* Nego ultimam propositionem, in qua nititur objectio; quæ autem falsissima est, ut constat solo exemplo Abrahæ, qui ex mandato divino expresso suum filium immolare statuit. Deus quotidie mentibus sanctorum hominum desideria et cogitationes ingerit de rebus nunquam exsequendis. Non pauci sancti, gratia sine dubio excitati, non solum martyrii desiderio ardenti flagrabant, sed etiam occasionem ejus quærebant, quibus tamen data non est corona illa.

108. Alios textus prætermitto, utpote qui omnes eodem principio facile enodari possunt. Prætermitto etiam exempla quædam allata hominum qui ex seipsis initia conversionis posuerunt, ut Zacchæi, boni latronis, centurionis: hi enim omnes ab initio gratia acti sunt; etsi id, in locis ubi exempla inveniuntur, non declaretur—in aliis enim locis Scripturæ necessitas gratiæ absoluta ad initium omnis operis salutaris iterum iterumque aperte affirmatur; et ergo gratia in illis locis intelligitur: n. 56, 91.

§ 7. *Quædam solvuntur quæstiones.*

109. *Quæritur* 1°. An ad omne opus salutare absolute necessaria sit non solum gratia illuminans (illustrationis,

intellectus) sed etiam gratia voluntatis (inspirationis)? Et, an responsio affirmativa non solum certa sit, sed etiam de fide Catholica?

110. *Resp.* Si spectetur gratia illuminans ut pure illuminans, et nullomodo nec directe neque indirecte redundans in voluntatem eamque movens, sine dubio ejusmodi gratia non sufficeret ad opus salutare efficiendum. Cum enim voluntas est per quam præcipue opera ponuntur (sive sint actus ejus eliciti, ut charitatis, sive actus imperati, ut fidei), si opus salutare poni posset ab homine, cujus voluntas nullomodo elevatur, tunc facultas pure naturalis non solum partem sed præcipuam partem haberet in opere salutari præstando. Catholica autem fides docet nihil positive concurrere posse ad opus salutare efficiendum, nisi quod est ex gratia. Censeo ergo esse hæreticum dicere gratiam illuminantem hoc sensu intellectam sufficere ad opus illud, et ergo esse de fide Catholica necessariam esse gratiam et illustrationis et inspirationis.

*111. Secundum PETAVIUM (in opere citato supra, n. 17, c. 10, n. 12), sunt "complures Catholicorum theologorum" qui dicunt gratiam illuminantem seu intellectûs solam esse necessariam ad opus salutare, et gratiam directe afficientem voluntatem, etsi valde utilem, non esse necessariam. Dico "directe:" in hoc enim theologi isti a Semipelagianis dissentiunt quod dicant gratia illuminante semper mediate et indirecte tangi voluntatem, aut (consequenter dicere debent), si non tangatur voluntas, non posse esse opus salutare. Hæc sententia mihi omnino falsa et prorsus rejicienda esse videtur. Non solum enim, sine ullo fundamento, adversatur communi doctrinæ theologorum, sed adversatur modo loquendi quem adhibent et Patres et Scriptura: in quibus ubique et indiscriminatim sermo est de

necessitate et largitione et magna vi gratiæ tam voluntatis quam intellectus. Imo, saltem in fidelibus, præsertim justis, longe major est necessaria gratia voluntatis quam intellectus : quia longe major est incliuatio voluntatis in malum quam intellectus in errorem, et longe plures et acriores sunt tentationes voluntatis ut male velit quam intellectûs ut male videat. Et quamvis gratia data in istis circumstantiis detur ut medicinalis, tamen semper datur quoque ut elevans.

*112. Hæc sententia, etsi futilis et falsa, non videtur esse expresse damnata. In hac enim materia de necessitate gratiæ ad opus salutare ejusque initium, censuræ Ecclesiæ contra Pelagianos et Semipelagianos latæ sunt; et cum eorum erroribus nequaquam confundi debet hæc opinio. Videantur recentes auctores docti, BULSANUS, § 403, n. 9 et § 409, n. 5, nota 1 ; JUNGMANN, n. 34 et 40.

*113. *Quæritur* 2°. An et in quo discrepat gratia actualis Adamo data, et statui innocentiæ propria, a gratia nobis data, et nostro statui lapso propria ?

*114. *Resp.* Tres sunt hic quæstiones quas non satis distinguunt auctores. Prima est de gratia quæ necessaria fuit homini innocenti ad salutariter operandum : secunda est de gratia quæ de facto Adamo data est, dum innocens viveret ante lapsum : tertia est de gratia quæ danda esset Adamo et posteris ejus, si status innocentiæ permansisset. Sola prima ad materiam hujus tractatus pertinet : de ea et de duabus sequentibus multæ sunt disputationes subtiles et conjecturæ apud theologos. Nostri non est ejusmodi quæstiones movere, nisi in quantum per eas magis illustretur doctrina definita aut probata, vel ut ab hac doctrina sccernantur sententiæ incertæ aut saltem liberæ. Sequentia ergo tantum notamus.

*115. Quidam dixerunt nullam fuisse homini innocenti gratiam actualem necessariam ad opera salutaria facienda, sed eum illa bene præstare potuisse vi gratiæ habitualis qua indutus est. Hæc sententia contra se habet communem consensum theologorum, et mihi non solum valde improbabilis sed omnino falsa esse videtur. Ratio danda, d. 6, n. 87, &c., de homine justo in statu lapso hic non minus urget.

*116. Secunda sententia eorum est qui tenent gratiam illustrationis seu intellectus esse necessariam et sufficientem : et in eo (quod attinet ad auxilia) definite et essentialiter ponunt discrimen inter statum innocentem et nostrum, quod ad salutariter operandum nobis necessaria sit gratia tum voluntatis tum intellectus, dum hominibus in illo statu sufficeret mera gratia illustrationis cum gratia habituali. Hæc sententia, quæ omnino sana est et plures graves habet auctores, maxime nititur argumento non temnendo, ex diverso modo loquendi quem adhibet S. AUGUSTINUS loquens de gratia nostri status et de gratia status innocentiæ. Loquens enim de gratia priori pluribus utitur nominibus quæ gratiam voluntatis significant, quorum ne uno quidem utitur verbum faciens de gratia altera.

*117. Tertia demum sententia affirmat gratiam et voluntatis et intellectus non minus ac nobis necessariam esse homini innocenti. Discrimen vero inter utramque gratiam sic enarrat ANTOINE, c. 2, a. 4, § 2 :—"Gratia medicinalis [gratia nostri status lapsi] in eo differt a gratia sanitatis [gratia status innocentiæ], quod gratia medicinalis non solum illustret intellectum, et elevet ac adjuvet voluntatem, sicut præstabat gratia sanitatis, sed etiam tum depellat cæcitatem et errorem mentis, evertendo falsas rationes quas suggerit carnis prudentia, et suggerendo

vera motiva: tum præsertim quod frænet concupiscentiam, tribuendo voluntati rectitudinem ac robur ad illam superandam, et sic voluntatis infirmitatem sanet ac roboret: et consequenter gratia medicinalis est potentior, et plura præstat quam gratia sanitatis."

*118. Mihi magis arridet hæc tertia sententia. Sed forsan auctores secundæ sententiæ gratiam intellectus redundantem in voluntatem, ideoque gratiam voluntatis indirectam, tenerent: quo posito, sententiæ inter se non tantum discreparent. Et reapse vix concipi potest ut, saltem in homine integro et innocente, gratia illustrationis non tangat et haud parum exstimulet ipsam voluntatem. Qui plura de his velit adeat ANTOINE, l. c. MONTAGNE, q. 1, a. 3; BELLARM. de Gratia primi hom. c. 4; KILBER, d. 5, c. 1, a. 4; HENNO, q. 4, a. 2-4; &c. et, de comparatione utriusque status, SUAREZ, de Opere sex dier. l. 5, c. 11.

*119. *Quæritur* 3°. An possit homo justus, vi solius suæ gratiæ habitualis et ergo absque gratia actuali, aliquod opus salutare efficere? Vid. d. 6, n. 87.

120. *Quæritur* 4°. An gratia necessaria sit ad opus negative salutare?

121. *Resp.* Solutio satis patet ex dictis n. 86 et d. 2, n. 92, &c. Gratia medicinalis ordinis naturalis necessaria est ut lex naturalis impleatur, et ideo ut infideles ea non faciant opera quæ obicem ponerent eorum conversioni. Sed gratia elevans non est necessaria. Vid. A. LAPIDE in 1 Tim. i. 13, et PERRONE, n. 86, 237, 446.

*122. *Quæritur* 5°. An possit sine gratia haberi amor Dei naturalis? Communis sententia affirmat ejusmodi amorem imperfectum sine gratia haberi posse, non autem perfectum. Vid. d. 2, n. 98, et SUAREZ, l. 1, c. 30 et seq. "Facilioribus operibus, quæ cum libero voluntatis arbitri

sine peculiari superveniente auxilio hominem lapsum patrare posse contendimus, accensemus etiam amorem Dei ut auctoris naturæ, seu in ordine naturali, imperfectum et inchoatum, illum scilicet amorem, quo homo nondum diligit Deum super omnia, non quasi ei aliquid positive præferat, in quo vitium intercederet, sed *negative*, quatenus ab omni comparatione præscindit." PERRONE, n. 105.

DISPUTATIO QUARTA.

DE NECESSITATE GRATIÆ MEDICINALIS: POSITIVE.

§ 1. *Status quæstionis explicatur.*

1. Sine gratia universam legem et omnia et singula ejus præcepta servari posse, et omnes quascumque tentationes superari posse, docuit Pelagius. Docuerunt e contrario Lutherus et Calvinus præcepta legis etiam cum gratia servari non posse.

2. Gratiam medicinalem quæ fidelibus datur, iis maxime qui pie vivunt, aut qui eam rogantes recipiunt ad officia sua exsequenda et peccata declinanda, semper etiam elevantem esse censeo: vid. d. 6. n. 91. Attamen hanc ratinem gratiæ medicinalis hic omnino seponimus, eamque ut sic, seu ut pure medicinalem, spectamus. Plura sunt opera, de quibus inquiri potest an hæc gratia ad ea præstanda necessaria sit, et quo sensu. Ex his alia sunt, quæ sine gratia effici non possunt; alia vero, ad quæ præstanda minime necessaria est gratia; alia denique, de quibus certum non est eam esse necessariam.

3. Opera prioris generis sunt 1°, plena cognitio veritatum, tum quæ speculativæ sunt tum quæ practicæ religionis naturalis; 2°, totius legis observantia, præsertim executio operum arduorum; 3°, gravium tentationum superatio. His addi possunt, etsi gratia ad eas necessaria est

etiam per se elevans, 4°, evitatio omnium venialium; 5°, perseverantia.

4. De tribus prioribus hæc notanda sunt. Sermo est hic tantum do religione naturali cognoscenda et implenda.

5. In tractatu de Religione probatur necessitas gratiæ revelationis ad certam atque integram cognitionem religionis naturalis: hæc ergo quæstio hic prætermittitur.

6. Opus arduum præstare et impetum gravis tentationis sustinere re idem sunt; saltem quod ad argumentum præsens pertinet: SALMANT. d. 2, n. 172, in fine. Ideo enim opus aliquod mihi arduum est, quia ad illud non præstandum me aut diabolus aut mundus aut caro, aut omnia simul, vehementer urgent. Non est opus ergo de operibus arduis seorsum tractare.

7. Fere idem dicendum de observantia totius legis. Difficultas enim servandi universam legem est vel 1°, difficultas servandi hoc vel illud præceptum utpote in se arduum, et præcisa multitudine præceptorum aliorum et diuturnitate temporis per quod urgent præcepta; vel 2°, ex ipsa multitudine præceptorum, altero post alterum urgente—ipsa enim multitudo "auget per se difficultatem respectu potentiæ variabilis et defectibilis" (SALM. n. 159); vel 3°, ex diuturnitate temporis quo servanda est lex; vel 4°, ex his conjunctis. Difficultas quæ oritur ex multitudine præceptorum aut ex diuturnitate ista aut ex utraque simul, etsi aliquo modo et materialiter a difficultate ex gravi tentatione orta distingui possit, revera et formaliter eadem est, aut saltem ei æquivalet. Molestia enim et fastidium, quæ ex multitudine præceptorum aut temporis diuturnitate oriuntur, et observantiam legis impediunt, quid aliud sunt quam tentatio ex infirmitate carnis (Matth. xxvi. 41): ut si quis inter orandum distractionibus impe-

teretur, aut somno opprimeretur? Satis esse censeo, si de sola tentatione verbum faciam.

8. Sermo est hic de illa legis observantia, quæ est tantum moraliter bona (d. 3, n. 27), et qua simpliciter evitatur peccatum violandi legem. Quæstio ergo non est de observantia salutari, vel de suppressione tentationis salutari: seu, aliis verbis, sermo non est de necessitate gratiæ, quæ supernaturalis est quoad finem et ordinatur ad sanctificationem; sed ejus quæ ordinatur ad nos auxiliandos in operibus naturalibus, et quæ vocatur medicinalis: d. 1, n. 22.

9. Quæstio est hic de solo homine lapso, i. e. de homine ut nunc est. Quæstio ergo non est de homine in statu naturæ puræ; multo minus de homine in statu innocentiæ: de quo vid. d. 2, n. 27; d. 3, n. 117.

10. Propositio, quæ affirmat necessariam esse Dei gratiam homini lapso, tum ad omnes veritates ordinis naturalis cognoscendas, tum ad universam legem adimplendam, tum denique ad graves tentationes superandas, ait PERRONE (n. 43), "ad fidem Catholicam spectat quoad omnes suas partes." Quidam dixerunt propositionem esse de fide: sed communior et verior est sententia quæ dicit doctrinam oppositam esse saltem temerariam et forsan erroneam. Non ita tamen adhuc ab Ecclesia expresse damnata est.

*11. Quoniam de ultima parte propositionis sola hic diserte disserimus; tentatio igitur (ex S. AUGUST. de Consensu Evangel. l. 2, c. 30, n. 71) duplex est, alia seductionis, seu "motivum solicitans ac inducens ad malum vel retrahens a bono" (GOTTI, q. 1), alia probationis. De sola priori hic quæstio est; et hæc duplex est, gravis et levis. Ista distinctio nequaquam ex gravitate et levitate materiæ, in qua versatur tentatio, desumenda est: potest enim quis graviter tentari in materia levi, et leviter in

materia gravi. "Unde prædicta distinctio magis ex modo desumenda est: nam illa dicitur tentatio levis, quæ offert ex parte intellectus, remissam suasionem ac motiva parum urgentia; ex parte voluntatis aut appetitus, debilem inclinationem. Gravis autem tentatio dicitur, quæ vehementer solicitat, et propter ingentem propensionem affectus ad objectum quod proponitur; et propter magna motiva [quæ] homini occurrunt ad deserendum bonum rationis, et amplectendum malum illi contrarium. Sic enim utramque tentationem describunt communiter doctores." SALM. n. 258.

*12. Secundum SUAREZ vero (l. 1, c. 23, n. 2), non solum levis est tentatio ut jam definita, sed "etiam est levis, quæ ad momentum seu brevissimo tempore durat, quamvis alioqui intensa seu vehemens videatur; gravis autem dicitur quæ pertinaciter suadet multo tempore, constanter ac moleste: poteritque hoc titulo gravis censeri, etiamsi pro singulis temporibus non sit admodum vehemens, dummodo aut suasio sit per se magna, aut cum passione aliqua et inclinatione sit conjuncta." Et iterum (ibid. c. 24, n. 34) affirmat "omnem tentationem gravem includere aliquam temporis moram et perseverantiam: nam si uno tantum momento temporis tentatio duret, non æstimabitur simpliciter gravis, quantumvis intensa videatur, dummodo potestatem, et physicam et moralem, considerandi et deliberandi relinquat." Hanc doctrinam impugnant SALM. ibid. n. 259 et 299.

13. Triplici modo potest aliquis tentationi resistere; 1°, ex duabus cupiditatibus, quæ hic et nunc simul expleri non possunt, v. g. avaritiæ et intemperantiæ, vehementiori cedendo—in quo nulla est virtus, nullus locus gratiæ; 2°, resistendo ex motivo supernaturali et salutariter; et ad

hoc de fide est gratiam esse necessariam; 3°, ex motivo honesto naturali; et de hac resistentia quæstio hic est.

14. Potentia ad servandam legem, vel ardua ejus præcepta exsequenda, est vel physica seu, ut quidam loquuntur, antecedens seu in sensu diviso, vel moralis seu consequens seu in sensu composito. Potentia physica est, cum spectatur lex ex una parte, cum difficultate sua intrinseca, et ex altera parte spectantur vires nostræ naturales, quibus ista sola difficultas superetur, sepositis aliis difficultatibus extrinsecis, v. g. ex statu peccati, aversione a bono, tentatione dæmonum. Moralis est potentia, cum hæ circumstantiæ considerantur. SALM. n. 128. "Ut aliquid sit moraliter impossibile duo requiruntur, nec unum sine altero sufficit; scilicet, quod illud numquam fuerit vel futurum sit, imo nec videatur futurum sub conditione, in hac vel alia simili hypothesi; et præterea quod hoc ipsum oriatur ex summa difficultate, quam oporteret vincere ad ponendum illud." LUGO, de Incarnat. d. 2, n. 14.

15. Potentia ergo physica resistendi tentationi est, cum ex altera parte spectatur tentatio ut jam sua gravitate urgens, ex altera vero spectantur vires nostræ naturales ad istam gravitatem superandam, sepositis aliis gravitatibus extrinsecis. Moralis est potentia, cum harum gravitatum ratio habetur.

16. Sermo est hic de solo homine lapso: n. 9. Sed quoniam nos omnes Adami filii lapsi sumus, spectari potest homo 1°, ut pure lapsus in Adamo, cum originali peccato sed sine actuali; vel 2°, habens et originale et actuale; vel 3°, fidelis baptizatus peccator, et ergo habens actuale sine originali; vel 4°, fidelis justus qui nec originale nec actuale grave habet.

17. SALM. (n. 301) loquuntur de homine lapso peccatore (n. 286, viderentur loqui de homine et etiam cum originali):—"Respondetur impotentiam hominis lapsi ad vincendam gravem tentationem esse impotentiam physicam, et nihilominus teneri hominem ad resistendum gravi tentationi, illique succumbendo peccare: eo quod prædicta impotentia non est simpliciter antecedens, quæ libertati repugnat, sed est absolute consequens, et orta ex suppositione libera ac voluntaria homini lapso. . . . . . . Unde non inducit necessitatem absolutam, sed duntaxat quasi conditionatam, et ex suppositione quod quis peccet mortaliter, et velit in peccato permanere." Ita et BILLUART, d. 3, a. 6, § 1:—"Homo lapsus et in peccato mortali existens," &c. Fere omnes quos vidi auctores necessitatem gratiæ in homine lapso ad universam legem servandam et gravem tentationem superandam modo generali et indefinito affirmant. Censeo autem non hic agi de effectu mortalis peccati aut de impotentia exinde orta; sed de viribus naturæ humanæ in nostro statu lapso, an valeant *per se et sine auxilio* ad ardua legis officia exsequenda seu ad graves tentationes comprimendas; sive auxilium illut sit "gratia sanctificans sive auxilians sive utraque simul," ut verbis utar SUAREZII in alia materia huic affini, l. 1, c. 3, n. 1.

*18. Posito sensu quæstionis vero (ut mihi videtur), inquirendum manet utrum impotentia, de qua hic loquimur, physica sit an moralis. Longe major pars theologorum quos vidi, et qui hanc distinctionem diserte ponunt, affirmant eam esse moralem tantum, et ergo hominem lapsum physicam habere potentiam tentationes graves, absque ullo gratiæ auxilio, superandi. Ita SUAREZ, l. 1, c. 24, n. 28; TANNER, q. 3, n. 38, 139, 140; BECANUS, Summa Theologiæ Scholasticæ, d. 4, q. 4, a. 2; HENNO, q. 5, a. 3 et 5;

HAUNOLD, Theol. Speculativa, l. 2, n. 805, 808; SYLVIUS, q. 109, a. 4, q. 1; KICK, n. 253, 255; HERINCX, d. 2, n. 30; BILLUART, l. c. Object. 2; SCHOLLINER, n. 148, ad. 2; SARDAGNA, n. 313; PERRONE, n. 45; &c. Dixi supra, "qui hanc distinctionem diserte ponunt:" non pauci enim theologi præfatam impotentiam simpliciter et sine ulla distinctione affirmant, ut WIGGERS, q. 109, n. 15; HERMINIER, concl. 2; GOTTI, q. 1, d. 7, 8, etsi d. 7, n. 35, impotentiam moralem obiter insinuare videtur; &c.

*19. Non desunt theologi qui istam distinctionem rejiciunt, saltem quod attinet ad solutionem difficultatum quæ in quæstione præsenti inveniuntur. Ita VASQUEZ, d. 189, n. 165; SALM. n. 299; TOURNELY, q. 4, a. 4, concl. 1, in fine; BULSANUS, § 418. Objiciunt SALM. ibidem:—"Vel nomine impotentiæ moralis intelligitur carentia virium ad resistendum, vel magna difficultas in resistendo. Si primum, ergo prædicta impotentia est non solum moralis, sed etiam physica: quia nomine impotentiæ physicæ nihil aliud intelligimus quam carentiam virium ad aliquid præstandum. Si secundum, ergo homo lapsus potest simpliciter absque gratia, quamvis ægre et cum difficultate, superare gravem tentationem; et consequenter gratia non erit simpliciter necessaria ad vincendum absolute, sed solum ad facilius vincendum. Quod tamen, ut ipse SUARIUS fatetur, n. 30, videtur accedere ad Pelagianum errorem." Objiciunt duo alii auctores impotentiam oriri ex viribus liberi arbitrii in natura lapsa vulneratis et deminutis: de quo vid. 2, n. 85, &c.

*20. Contra objectionem primam sic responderi potest. 1°. Manente potentia physica, etiamsi adsit impotentia moralis, non eo ipso tollitur libertas sufficiens ad peccandum mortaliter. LUGO, de Poenit. d. 8, n. 26. Vid.

exempla apud CROIX, de Legibus, n. 780-1; PETAV. de op. sex dier. l. 5, c. 10, n. 11.

*21. 2°. Ipsi SALM. alibi in eadem d. 2 (n. 129, 135), tenent hominem lapsum posse viribus naturæ diligere Deum super omnia potentia physica (quam hic antecedentem vocant), non autem posse potentia morali (quam consequentem vocant); et tamen tenent (n. 144) ejusmodi lapsum, "licet destituatur omni auxilio gratiæ, ad id teneri, et, dum non elicit [prædictum amoris actum], libere et peccaminose ommittat."

*22. 3°. Multi theologi per impotentiam moralem eam significant, "quæ ægre quidem ac difficulter, attamen absolute vinci potest; qualis in ægroto concipitur ad pondus quoddam attollendum, quod ipsi molestiam afferret. Moralis porro hæc impotentia, seu verius difficultas, plures gradus admittit tum absolute tum relative; *absolute*, cum hæc oritur ex ipsa arduitate; *relative*, cum non solum ex arduitate operis pendet, verum etiam ex ratione temporis, loci, individui aliorumque adjunctorum seu, ut vocant, circumstantiarum, quæ negotium illud jam per se arduum comitantur. Quandoque vero eo pervenit talis moralis impotentia aut difficultas, ut physicæ seu absolutæ æquivaleat." PERRONE, n. 45, not. Alii vero theologi (ut VIVA, d. 5, q. 4, n. 6, Resp.) affirmant impotentiam (necessitatem) moralem esse talem simpliciter dictam, seu absolutam.

*23. SUAREZ (l. 1, c. 24, n. 28, &c.) sic difficultatem resolvit. Tentatio momentanea, quantumvis vehemens, secundum eum (supra, n. 12), gravis non est, et, ut gravis evadat, debet "includere aliquam temporis moram et perseverantiam." Jamvero in singulis instantibus temporis, per quod durat tentatio, homo potentiam habet non tantum physicam sed etiam moralem eam vincendi: "quia

ad peccandum mortaliter necessaria est potentia moralis vitandi peccatum, saltem pro eo tempore vel momento in quo peccatur, quia debet esse actus humanus" (n. 34). Attamen, habita ratione totius tentationis, etsi maneat potentia physica, deficit potentia moralis: "quia liberum arbitrium natura sua est valde mutabile; et ideo tentatio et passio contraria faciunt ne perseveranter possit attendere quantum oportet ad resistendum. Atque hæc necessitas sufficit ut simpliciter non possit homo totam illam tentationem vincere" (n. 35). "Hæc impotentia moralis non repugnat libertati; quia non consideratur respectu *determinati* effectus vel *momenti*, pro quo necessitetur voluntas, sed absolute respectu totius tentationis confuse sumptæ, cum tamen libertas non confuse sed in puncto definito exerceatur. Unde hæc impotentia non est per determinationem potentiæ ad unum, quæ opponitur libertati, sed per inconstantiam et infirmitatem operantis, quæ non libertati sed constantiæ et fortitudini opponitur" (n. 37).

*24. Sed nec hæc resolutio sua caret difficultate, ut videre licet apud SALM. n. 299. Id autem quod moraliter fieri non potest, etsi physice possit, jure vocari simpliciter impossibile censet SUAREZ: quia "effectus seu objectum tot potest esse difficultatibus affectum, ut nunquam fiat a tali potentia [physica] uniformiter et sine defectu, nisi vel potentia juvetur, vel difficultates tollantur. Et quando tale est hoc impossibile ut numquam a tali causa sic affecta eveniat, dicitur simpliciter impossibile respectu illius, quia absoluta possibilitas non dicitur respectu causæ physicæ nude sumptæ, sed ut spectatæ cum circumstantiis, sine quibus nunquam ita operatur" (n. 31).

*25. Quicquid de ista ratione dicitur, nescio an omnino firmum sit argumentum, quod, per modum exempli, ex

verbis Christi educit, Luc. xvii. 1:—"Impossibile est ut non veniant scandala: væ autem illi per quem veniunt." Impossibile est ergo "quin scandala aliquando eveniant. Cum autem scandalum non detur nisi per actionem liberam et peccaminosam, ut verba a Christo subjuncta declarant: 'væ autem' &c.; fit ut non desit potentia physica ad vitandum quodlibet scandalum: ergo necessitas illa per quam veniunt scandala et impotentia illi opposita, est tantum moralis, et nihilominus talis est ut nunquam deficiat" (n. 32). Certum imo revelatum est multos semper esse, non solum ubique extra Ecclesiam, sed in ipsa Ecclesia, improbos et malos: posito autem hoc facto seu in sensu composito, absolute impossibile est ut non veniant scandala; cum tot improborum vitæ pessimæ sunt ipsa scandala. Sed inde non sequitur esse in ullo scandalizante impotentiam sive physicam sive moralem non scandalizandi. Idem de scandalizato dicendum est.

*26. SALMANTICENSES, rejecta sententia SUAREZII, suam proferunt et defendunt, ut supra, n. 17. Alia est sententia quæ difficultatem hujus quæstionis præcipuam (nempe, id non esse peccatum quod homo vitare non potest) dissolvit dicendo hominem in casu peccare, quia gratia omnibus datur aut præparatur, qua possint ea præstare, quæ viribus naturæ præstare non possunt. GONET, d. 1, n. 314; ANTOINE, c. 5, a. 3, obj. 5; STRUGGL, d. 4, q. 2, a. 3, n. 10, et alii. Hoc quidem de fidelibus verissimum est, et quoad eos omnem difficultatem prorsus tollit: habent enim gratiam orandi etiam proxime sufficientem, qua gratiam ad tentationes vincendas impetrare possunt; sed quoad infideles negativos (ut notant SALM. n. 298) manet difficultas. Alia est demum solutio, quam videas apud SUAR. n. 24.

*27. Has lites componere meum non est, nec possum. Duo tantum mihi occurunt dicenda. 1°. Omnes theologi (demptis paucis antiquis) in generali propositione affirmanda conveniunt, quantumvis in ea enarranda inter se dissentiant. 2°. Si inter sententias istas eligendum esset, ad sententiam SUAREZII magis inclinarem; *tum* quia, etsi difficultatibus non careat, minoribus tamen premitur; *tum* quia, et id maxime, multo communior est.

28. *Quæri* hic potest 1°, utrum propositio sequens intelligenda sit de singulis tentationibus per se et seorsum sumptis, an de iisdem collective, ut in materia de venialibus, d. 5, n. 10? *Resp.* Intelligenda est de singulis per se; adeo ut vires naturales non sufficiunt ad quamcumque tentationem gravem superandam, etsi eam alia tentatio gravis, sive ejusdem sive diversæ speciei, non antecesserit. Si vero plures sint tentationes alia post aliam, aut si eadem tentatio sollicitando duret, quæ tunc plane pluribus æquivalet, augetur impotentia. Hinc sæpe fit ut, qui tentationi acri insurgenti orando resistit, postea orationem intermittens infelix prolabatur.

*29. *Quæritur* 2°. An, præter auxilia actualia, necessaria sit etiam gratia habitualis ad vincendas graves tentationes? *Resp.* 1°. Certum est non requiri gratiam habitualem ad unamquamque gravem vel etiam gravissimam tentationem superandam. Alioquin, si quis incideret in mortale, et si, eadem hora aut post multas horas eodem die, iterum graviter tentetur, non poterit resistere per auxilia actualia orando comparata, nisi interea vel per contritionem vel per sacramentum poenitentiæ justitiam recuperasset. 2°. Sola ergo quæstio est, an iste peccator possit diu ejusmodi tentationes superare, seu an possit diu manere in statu peccati sine novo peccato actuali? A quibusdam

perhibetur VASQUEZ tanquam affirmans, d. 196, n. 11, cujus sententiam probabilem vocat DICASTILLO, de Poenit. d. 3, n. 51. Sed revera VASQ. non ita nude hanc sententiam profert: tantum enim affirmat gratiam habitualem non esse necessariam ut *principium* operandi; et ex iis quæ dicit præcedentibus nn. 9 et 10, non videtur tantum ab altera sententia recedere. SUAREZ (c. 27) concedit gratiam illam non esse necessariam ex natura rei, sed ex ordinatione divina; non quia auxilia actualia non essent proxime sufficientia, sed quia diu manentibus in peccato Deus non dabit illa auxilia. Sane, si supponas peccatorem, quotiescumque graviter tentatur, debito modo petentem a Deo gratiam ad vincendum, sine dubio gratiam illam toties quoties recipiet. Sed de casu illo hoc dicendum esse censeo, nempe, peccator ille, sic orando et legem servando, vel in hoc perseverabit et tempore convenienti a Deo recipiet gratiam conversionis, vel per contritionem vel per sacramentum (ut sentit VASQUEZ, n. 9), vel deseret orationem et tentationi cedet. Et experientia docet eos, qui diu in statu peccati manent et gravibus tentationibus vexantur, in nova peccata constanter incidere: vid. LUGO, de Poenitentia, d. 15, n. 42; S. ALPHONSUS, de eadem, n. 437, dub. 1; TANNER, de Gratia, q. 3, n. 137, &c.

§ 2. *Probatur Doctrina Catholica.*

PROPOSITIO I. *Homo lapsus non potest, sine gratia, plenam religionis naturalis cognitionem habere.* Probatur in tractatu de Religione.

PROPOSITIO II. *Nec potest totam legem servare aut opera ejus ardua facere.* Sequitur ex Propositione tertia, vel in ea continetur, et in ea probanda probatur.

30. PROPOSITIO III. ***Homo lapsus non potest, sine gratia, graves tentationes superare.***

31. ARGUMENTUM I. **ex necessitate orationis petitionis.** Orationem hanc omnibus adultis necessariam esse necessitate tum medii tum præcepti apud omnes in confesso est. Et etsi regula eadem et uniformis, nisi generalis quædam, pro omnibus statui non potest de tempore quo urget hoc præceptum orationis per se, seu ut præceptum virtutis religionis ; omnes tamen conveniunt illud urgere, saltem per accidens et ratione charitatis erga seipsum, imprimis et maxime quando quis gravi tentatione impetitur; et ita urgere, ut oratio non est intermittenda usque dum tentatio, saltem quatenus gravis, superabitur. Hæc in tractatu de Oratione probantur: quibus positis, sequitur, tanquam conclusio, propositio nostra. Si enim vires naturales, sine gratia, sufficerent ad graves tentationes superandas, non esset necessaria, nedum adeo omnino et absolute necessaria, oratio ad gratiam impetrandam, qua vincerentur.

32. Nec *dicatur* textus Scripturæ et Patrum affirmare necessitatem orationis et gratiæ ad victoriam meritoriam aut saltem salutarem. *Resp.* Concedo et S. Spiritum, auctorem Scripturæ, et Patres velle ut omnes victoriæ essent salutares et etiam meritoriæ, et sæpe memorare præmium cœleste iis rependendum qui bonum certamen certarunt. Sed in locis omnibus aut fere omnibus in quibus significatur, implicite vel explicite, necessitas orationis ad tentationes vincendas, id quod vel unice vel primario inculcatur non est tam consecutio meriti quam fuga peccati. Et revera 1°, infinite majoris momenti est ut quis, tentationem superando, peccatum effugiat quam ut incrementum meriti obtineat; 2°, justus

orans gratiam ad vincendum, et vincens, eo ipso habet novum meritum, etsi id nec sciat nec de eo cogitet. Utrumque conjungit simul et distinguit S. CYRILLUS ALEXAND. (lib. 9 in Joannis Evang. xiv. 18):—*Αμηχανον γαρ ανθρωπου ψυχην κατορθωσαι τι των αγαθων, ηγουν των οικειων κρατησαι παθων, η της διαβολου παγιδος οξειας διαδραναι το μεγεθος, μη τῇ του ἁγιου Πνευματος τετειχισμενην χαριτι.* "Fieri enim nequit ut hominis anima boni quidquam agat, aut suas cupiditates superet, aut acres diaboli laqueos evitet, nisi sancti Spiritus gratia munita sit."

33. ARGUMENTUM II. ex universali fidelium sensu et etiam experientia. Tres sunt classes fidelium. Prima eorum est, qui male vivunt habitualiter, singulis tentationibus ut occurrunt cedentes. Hi sane de oratione aut de ullo alio medio ad tentationes comprimendas, sive naturali sive supernaturali, adhibendo ne quidem cogitant. Altera classis eorum est, qui in ultima confessione verum propositum non peccandi de cetero habuerunt, sed infirmi modo resistentes tentationi eam vincunt, modo resistentes vincuntur. Si rem diligentur exploraveris, reperies eos ideo delapsos esse, quia vel tentationi nonnisi vires naturales opposuerunt, vel contra eam auxilia divina non debito modo aut non constanter et perseveranter implorarunt; e contrario, animadvertes eos ideo devicisse, quia ad id constanter usque ad tentationem edomatam ista auxilia enixe postulabant. In tertia demum classe sunt qui vitam constanter justam agunt. Hi præ ceteris omnibus, et quo sanctiores sunt eo acriorem, quasi sensum quemdam intimum infusum habent de absoluta infirmitate naturæ nostræ, etiam gratia habituali auctæ, ad graves tentationes superandas, sine auxiliis actualibus. Hinc (ut obiter sed bene

notat PERRONE, n. 55: vid. et n. 73) "illæ Prophetarum preces, quibus a Deo petunt, ut aut sibi aut populo cor docile tribuat ad legis mandata custodienda; quæ innumeræ prope sunt."

§ 3. *Solvuntur Objectiones.*

34. *Object.* 1. Naturales vires, sine gratia, sufficiunt ad totam legem naturalem implendam:—"Gentes, quæ legem [Mosaicam, scriptam] non habent, naturaliter [φυσει] ea quæ legis sunt [præcepta legis Mosaicæ moralia, quæ sunt legis naturalis, et omnes ligant] faciunt." Rom. ii. 14. Ergo sufficiunt, sine gratia, ad vincendas graves tentatione et opera ardua præstanda.

35. *Resp.* Hujus textus satis difficilis, et sane nequaquam certæ interpretationis, longam sed et doctissimam enarrationem videas apud SUAREZ, l. 1, c. 8, n. 13-14. Nostri hic tantum est ea proferre, quæ, in quacumque interpretatione probabili, objectionem solvunt. Sermo igitur est in textu vel de gentilibus paganis, vel de gentilibus qui fidem habuerunt, ut Melchizedech, Job, &c., vel de gentilibus in genere. 1°. Si de gentilibus paganis, bene potuerunt aliqua opera moraliter bona facere, sine ullo auxilio sive legis docentis sive gratiæ adjuvantis (d. 6, n. 15) Non dicit Apostolus eos totam legem servare aut servare posse naturaliter sed tantum "ea quæ sunt legis:" et hæc opera quæ fecerunt, naturaliter fecerunt. "Paulus non dixit: Omnia ea quæ legis sunt faciunt; sed indefinite dixit, 'ea quæ legis sunt,' quod verissime dicitur de his qui aliqua legis præcepta observant, licet alia transgrediantur. Unde considerandum est plus significari per illud verbum 'factores legis,' quam per hæc, 'ea quæ legis sunt

faciunt:' quia nomen 'legis,' absolute et collective positum, totam legem per modum unius complectitur; et ideo non dicitur in rigore factor legis, nisi qui totam implet: at vero cum quis dicitur facere ea quæ sunt legis, locutio non est ita absoluta, nec quasi collectiva de tota lege, sed indefinita de præceptis legis." SUAREZ, n. 30. "Τα του νομου ποιωσιν: 'do things pertaining to the law,' e. g. abstain from stealing, or killing, or adultery: but it by no means follows that the Apostle means that the Gentiles could *fulfil* the law, do *the* things, i. e. *all* the things enjoined by the law." ALFORD. 2°. Si gentiles fidem habentes significentur, tunc "naturaliter" idem sonat ac "sine lege" nempe, scripta. "Φυσις hic opponitur νομῳ." ROSENMULLER. 3°. Idem dicendum, si gentes in genere significentur. De sensu textus probabiliori, præter SUAR. consul. ESTIUS.

36. *Object.* 2. Plures textus Scripturæ objiciuntur, qui (sicut textus similes objecti, d. 3, n. 92: vid. ibid. n. 56, 91) omnes eadem solutione enodantur. Textus in exempla sint Gen. iv. 7:—"Sub te erit appetitus ejus [peccati], et tu dominaberis illius;" et Ecclic. xv. 16:—"Si volueris mandata servare, conservabunt te." *Resp.* Distinguo: Sub te—dominaberis—si volueris, per gratiam: Concedo: Secus: Nego. Textus vero Deuter. xxx. 11 ("Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum") tantum significat notitiam legis facile ab omnibus comparari posse. Si quis autem velit eum de executione præceptorum legis interpretari, apponatur eadem distinctio: Non supra te est, adjuvante gratia: Concedo: &c.

37. *Object.* 3. Fuere homines qui, sine gratia, ob amorem patriæ, verum aut fictum, ob vanam gloriam, ad lucrum faciendum, &c. opera valde ardua fecerunt, magna

mala perpessi sunt, ipsam mortem oppetierunt. Ergo a pari, &c.

38. *Resp.* Nego consequentiam. "Disparitas est: quia motiva sensibilia et humana homines lapsos multum afficiunt; honestas vero et motivum virtutis parum admodum, et sic totam relinquit difficultatem, non tollit neque minuit." ANTOINE. Natura lapsa per se proclivis et prona est ad opera vanæ gloriæ, quæstus, &c.: et motiva illa animum ad ea exstimulant et roborant, natura inducente; gratia excitat et adjuvat ad bonum, natura renitente.

39. *Object.* 4. Si vera sit propositio, homo graviter tentatus versatur in necessitate peccandi: ergo peccatum ejus formale non est.

40. *Resp.* Variæ sunt solutiones, secundum varia systemata theologorum, quarum hæ duæ sunt præcipuæ. 1°. Distinguo: Versatur in necessitate morali: Concedo: Physica: Nego. Physica autem libertas sufficit ad peccatum formale. 2°. "Qui peccat sine gratia, is potuit habere gratiam ad non peccandum, eam petendo: nam semper adest gratia orandi, cum urget tentatio vel præceptum, nisi ei obex culpabiliter apponatur. Unde qui peccat sine gratia, potuit non peccare: quia potest habere gratiam ad non peccandum." ANTOINE. Quod vero ad infideles negativos attinet, Deus pro sapientia et benignitate sua iis, modo sibi cognito, providebit.

41. *Object.* 5. Lex naturalis ideo naturalis vocatur, quia viribus naturæ accommodata est: ergo viribus naturæ, non obstante gravi tentatione, servari potest.

42. *Resp.* Transeat antecedens. Dist. consequens: Viribus naturæ adjutis: Concedo: Viribus naturæ per se: Nego. Vide dicta, d. 2, n. 92, &c.

DISPUTATIO QUINTA.

DE NECESSITATE GRATIÆ UT EST SIMUL MEDICINALIS ET ELEVANS: POSITIVE.

1. Hactenus disputavimus de necessitate gratiæ elevantis ad opera quæcumque, ut sint salutaria, facienda; et de necessitate gratiæ sanantis ad opera bona ardua, etiam mere naturalia, præstanda. Nunc inquirendum est de alia et speciali necessitate utriusque gratiæ, et id ad duo assequenda, nempe, ad omnia peccata venialia vitanda et ad perseverandum in sanctitate.

PARS PRIMA.—De Peccatis Venialibus vitandis.

§ 1. *Status Quæstionis explicatur.*

2. Peccatum est veniale vel ex genere suo (cum, sistens in sua specie, nunquam fieri potest mortale), vel ex parvitate materiæ, vel ex imperfecta deliberatione.

3. "Supponimus, contra Lutherum, posse hominem vitare peccata venialia saltem divisive sumpta, vel per proprias vires vel saltem per vires gratiæ. Supponimus, contra Jovinianum, hominem justum viatorem posse peccare venialiter, et peccatum veniale cum statu gratiæ conjungere. Supponimus præterea, contra Pelagium, non posse hominem propriis viribus omne peccatum veniale ita præcavere per

longum tempus, quin aliquod incurrat. Denique supponimus quod, ut homo valeat omne peccatum veniale vitare, debet exornari ac fulciri gratia sanctificante." SALMANT. d. 2, n. 213.

4. Hic est, quod attinet ad presentem materiam, canon 23 Conc. Trid. sess. 6:—"Si quis hominem semel justificatum dixerit, ... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit." Ut ea quæ hic definire voluit et definivit Concilium, ab iis secernantur quæ non sunt definita, vel incerta sunt aut etiam falsa, fere singula canonis verba sunt ennarranda.

5. I "Hominem justificatum." 1°. Impotentia ista de omni omnino homine puro affirmatur: quod enim non potest justus, a fortiori facere non potest peccator. 2°. Significatur omnis justus, etiam eximiæ et summæ sanctitatis sed carens privilegio: quod diserte exprimitur, cap. 11:—"Licet enim in hac mortali vita *quantumvis* sancti et justi in levia saltem et quotidiana," &c. 3°. Significatur omnis justus, ut ergo habens non tantum gratiam habitualem sed auxilia actualia, quæ omnibus justis impertiuntur, aliis plus aliis minus.

6. II. "Posse." 1°. Justum habere physicam potestatem vitandi omnia venialia, et ideo impotentiam, qua ea vitandi laborat, esse moralem tantum tenent communissime theologi. Ita SUAREZ, l. 9, c. 8, n. 16, 17; HENNO, q. 2, a. 5; HERINCX, d. 3, n. 15; VIVA, d. 5, q. 6, n. 3; ANTOINE; SCHOLLINER; KILBER; PERRONE; &c., &c., contra SALMANT. d. 2, n. 219; MONTAGNE et alios (quantum videre potui) paucissimos.

7. 2°. Attamen theologi illi per impotentiam moralem significant "impotentiam simpliceter: nam cum illa

nunquam stat oppositum conjungi. Unde, licet recte vocetur moralis, ut non excludat potentiam physicam, nec libertatem circa singula peccata; non est tamen moralis in eo sensu quod sit tantum secundum quid, quia oppositum raro et difficulter evenit." SUAR. n. 17. "Est impotentia moralis simpliciter dicta, quæ scilicet oritur a difficultate ineluctabili, sub qua nunquam erit actus oppositus." VIVA, n. 4. Opinionem singularem quam tenuit ESPARZA (l. 4, q. 14), cum uno et forsan altero auctore, late impugnat HAUNOLD, l. 2, n. 828, &c. Nec placet sententia quam apud aliquem auctorem insinuatam vidi, nempe, impotentiam hanc esse consequentem divinam præscientiam; seu in sensu composito Dei prævidentis neminem, sine privilegio, unquam omnia venialia devitaturum esse. Displicet, *tum* quia revelatur non solum neminem vitare sed *posse* vitare; *tum* quia sic definiri posset v. g. multos semper in Ecclesia non posse non esse in statu peccati, quoniam revelatur multos semper in Ecclesia esse peccatores; *tum* quia si, præcisa divina prævisione, possibile esset simpliciter ut justi vitarent omnia venialia (sicut possibile est ut vitent omnia mortalia), non pauci, saltem ex magnis sanctis, id præstitissent.

8. III. "In tota vita." 1°. Communiter theologi dicunt hæc verba idem sonare ac "pro longo tempore:" Concilium enim "non designat tempus quia vitæ, sed quia longum, eo quod vita regulariter duret per notabile spatium." SALM. n. 218.

9. 2°. Non est ergo definitum justum non posse, cum auxiliis ordinariis, omnia venialia pro brevi tempore vitare: imo communiter theologi affirmant eum posse; idque in canone videtur insinuari, loquitur enim tantum de longo tempore. Sed quid censeri debet in hac materia breve

tempus? Alii definiunt unum diem, alii tres vel quatuor horas. Sed revera nihil certi definite statui potest: res enim multum pendet ex variis circumstantiis personæ, status vitæ, negotiorum, &c. Neque aliquid cogi potest ex c. 11, sess. 6 Concilii, ubi loquitur de venialibus quotidianis: videtur enim tantum velle significare venialia frequenter etiam a justis admitti. SUAREZ, n. 29; SALM. n. 242, et d. 3, n. 223.

10. IV. "Peccata omnia, etiam venialia." 1°. Peccata ista spectanda sunt vel distributive vel collective. Distributive spectantur, cum singula per se et seorsum a præcedentibus et sequentibus considerantur; collective, cum tota series conspicitur—non quasi omnia simul occurrere possint, et unâ vitanda sint (quod absurdum esset), sed quatenus tentationes successive, alia post aliam, sollicitant, et sic vincendæ sunt.

11. 2°. Potest justus, cum auxiliis ordinariis, singula venialia determinata distributive sumpta vitare, potentia non solum physica sed etiam morali. SUAREZ, n. 2. Hanc propositionem non adeo clare et definite ponunt theologi: censeo tamen eam eorum sensum verum et unanimem exprimere. Omnia dico venialia, etiam ea quæ sunt subreptionis; de venialibus enim perfecte deliberatis, ut jam videbimus, nulla est difficultas. Dixi "determinata:" vid. infra, n. 15, &c. Posse autem justum, cum speciali privilegio, omnia venialia etiam collective sumpta vitare manifestum est.

12. 3°. Non est definitum hominem justum non posse, sine privilegio, vitare omnia venialia plene deliberata. Imo valde probabile (mihi certum) est hominem egregiæ sanctitatis ea posse vitare longo tempore et etiam per totam vitam—si tamen per totam vitam egregiæ sanctitatis

sit. SUAREZ, n. 25, sed melius de Voto, l. 2, c. 3, n. 4; SALM. n. 237, "Censent communiter doctores plures Sanctos, sine speciali privilegio, caruisse tota vita venialibus deliberatis." VIVA, n. 1.

13. 4°. Nec definitum est justum non posse vitare omnia venialia, eo sensu quod nulla est species peccati quam non potest non admittere, seu, nulla est virtus in quam non peccabit leviter. Hoc non solum non est definitum, sed est aperte falsum. Omnes quidem habent fomitem peccati (ut de ceteris incitantibus ad peccatum nil jam dicam: n. 14), et ergo omnes tentantur: sed, dum aliæ tentationes sunt omnibus communes, ut est tentatio carnis, aliæ sunt, a quibus quis potest esse prorsus immunis vel diu vel etiam per totam vitam, ut est tentatio ad ejurandam fidem, ad desperationem, ad odium Dei, ad furtum, &c.: imo multi sunt, qui hac et illa ejusmodi tentatione nunquam, ne minime quidem, petuntur.

14. 5°. Manet ergo sensus versus canonis, nempe, Homo justus, sine speciali privilegio, non potest pro longo tempore vivere, quin per illud tempus in aliquod vel aliqua peccata venialia, aut perfecte aut imperfecte deliberata, inciderit. Oritur hæc necessitas peccandi 1°, radicaliter ex fomite peccati, qui in nobis permanenter existit, et fere sine intermissione nos ad delectabilia plus minus excitat; 2°, ex defectu claræ intelligentiæ in intellectu, et obscuritate quadam quæ menti plus minus sæpius offunditur; 3°, ex infirmitate voluntatis ad resistendum; 4°, ex ejusdem in ejus libero arbitrio exercendo magna inconstantia et mutabilitate; 5°, ex tentationibus dæmonum; quibus addi possunt causæ particulares et accidentales, occasio peccati, pravi habitus, &c. infra, n. 32.

15. 6°. Sed ut concilietur hæc doctrina Catholica cum libertate quæ, secundum aliam doctrinam Catholicam, necessaria est ad peccatum, hic labor, hoc opus est. Quod enim simpliciter necessarium est, peccatum non est: sed simpliciter necessarium est ut Petrus justus ex v. g. triginta tentationibus quæ eum per totam hanc diem impetunt, alicui vel aliquibus cedat vel deliberate vel semideliberate. Difficultati huic communiter respondent theologi, dicentes peccatum quod Petrus, ex istis triginta ad quæ allicitur, infallibiliter committet, non esse aliquod eorum determinatum sed omnino indeterminatum; adeo ut de singulis determinatis potest dici eum posse illud vitare.

*16. Si contra hoc dicatur :—"Fingamus dari talem necessitatem vagam relate ad decem occasiones peccandi, tunc vitatis novem venialibus, et superatis totidem necessitatibus, homo haberet necessitatem determinatam ad consentiendum decimæ tentationi: ergo necessitas vaga deberet redigi ad determinatam."

*17. Huic, præter alia, respondet STRUGGL, d. 4, q. 2, a. 5, n. 11 :—"Talis casus non est ad rem: quia in eo supponuntur omnes occasiones vitatæ usque ad ultimam; quod in nostra quæstione de toto vitæ tempore usque ad ultimam tentationem supponi nequit. Quod si autem hoc supponatur, dico tunc hominem posse moraliter vitare etiam ultimum peccatum: interim in tali casu vitæ diu durantis jam daretur speciale privilegium."

18. Sed contra solutionem difficultatis (n. 15) alia est objectio hac, ut mihi videtur, longe gravior. Indeterminata quidem est tentatio cui cedet Petrus, eo sensu quod nec Petrus nec ullus alius potest determinare seu cognoscere quænam sit illa ex tota serie tentationum, i. e. quæ

sit illa tentatio nobis *incognitum* est. Sed quot sunt nobis incognita et incerta, quæ in se sunt determinata et certa? Quod Deus novit tentationem definitam, in qua deficiet Petrus, non sane facit ut necessario deficiat: sed quæro utrum libere isti tentationi succumbit an necessario? Si libere, ergo potuit non succumbere; si necessario, ergo non peccat.

19. De hoc mallem sapientiorum judicium expectare quam meum proferre. Censeo tamen illam distinctionem tontationis determinatæ et indeterminatæ objectionem eludere potius quam vere solvere: et reapse multi sunt theologi, et inter eos PERRONE, apud quos eam non invenio. Dicendum est ergo Petrum ad vincendas omnes tentationes, quas revera vincit, habere potentiam et physicam et moralem—quod etiam aliquatenus dici potest de tentationibus quibus perfecta deliberatione cedit; ad eas vero vincendas, quas moraliter vincere non potest, habere potestatem physicam, quæ sufficit ad peccatum. Nec huic contradicit quod dictum est, n. 11, nempe, justum habere potentiam etiam moralem ad vitanda omnia venialia distributive sumpta: vid, infra, n. 35.

20. V. "Nisi ex speciali Dei privilegio." 1°. Donum gratiæ speciale triplex esse potest, secundum legem, præter legem, contra legem. Primi doni exemplum est perseverantia finalis. Est speciale; quia non solum non datur omnibus sed nec etiam plerisque sed tantum paucioribus, imo, spectato toto genere humano, longe paucioribus. Est secundum legem; quia statuit Deus non solum ut semper essent multi justi in Ecclesia, sed semper essent qui justi morerentur. Aliæ sunt multæ gratiæ, quæ sunt et speciales et secundum legem. Secundi doni exemplum est confirmatio in gratia; quæ ab illa perseverantia, quæ incipit

tali die et permanet ad mortem, nonnisi accidentaliter discrepat, et ut majus a minori, utpote perseverantiæ donum efficacissimum, et nonnisi paucioribus imo paucissimis ex ipsis prædestinatis datum. Hujusmodi donum vocari potest privilegium improprie dictum: etsi enim nonnisi quibusdam eximie delectis detur, non est tamen contra aliquam legem generalem. Tertii doni exempla sunt conceptio immaculata, immortalitas; lex est enim universalis ut omnes concipiantur sine justitia, et ut omnes moriantur. Hujusmodi donum proprie et stricte privilegium est: vid, tractatus de Legibus. SUAREZ, n. 11 et l. 10, c. 8, n. 29—alias vero quinque sententias de confirmatione in gratia videas apud GORMAZ, n. 226, &c. Quoniam ergo lex est universalis, ut nullus homo in tota vita sit immunis a peccatis etiam venialibus, quantumvis sanctus sit; si quis eximatur, contra legem et privilegio eximitur. Hinc ejusmodi immunitas non vocatur *gratia* specialis, sed *privilegium* speciale.

*21. 2°. In quo consistit hoc privilegium immunitatis in tota vita ab omni peccato etiam veniali? *Resp.* 1°. Primario et radicaliter consistit in extinctione vel ligatione perfecta fomitis. Hic enim est primaria radicalis et permanens causa incitans ad peccatum. 2°. An vero cum ista ligatione sufficiant auxilia communia? Affirmant SALM. n. 234: illa enim auxilia etiam nobis sufficiunt ad vitanda venialia plene deliberata: ligato autem fomite non essent peccata subreptionis. SUAREZ, de Mysteriis &c. d. 4, s. 4, n. 4, videtur privilegium hoc totum in confirmatione in gratia reponere: quam sententiam impugnant iidem SALM. n. 230. Sed in aliis locis videtur satis clare affirmare necessitatem exstinctionis vel ligationis fomitis, ut ibid. s. 5, n. 1, 6, de Gratia, l. c. n. 11, 24 et

l. 10, c. 8, n. 19. In hoc ultimo loco affirmat confirmationem in gratia qua aucta fuit B. Virgo multum differre a confirmatione aliorum Sanctorum, et, præter alia, in hoc quod illi tantum a mortalibus peccatis præservati sunt.

22. VI. " Quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia." 1°. Etsi Concilium directe non definierit immunitatem B. Virginis ab omni peccato etiam levissimo, dicendo tamen Ecclesiam eam tenere, eo ipso declarat esse dogma Catholicum : Ecclesia enim nequaquam tenere potest falsum. Sola quæstio esse potest an propositio istam immunitatem affirmans sit de fide Catholica, et ideo propositio negans sit hæretica ? 1°. Sine dubio, propositio affirmans est saltem proxima fidei, et negans proxima hæresi : 2°, sine dubio, propositio affirmans est definibilis de fide.

23. 2°. Præter B. Virginem, nullum alium purum hominem (si excipias Baptistam et Jeremiam, ambos in utero materno sanctificatos) accepisse perfectum illud privilegium, nempe, nunquam per totam vitam peccandi, communis et (mihi) certa est sententia. Argumenta, quæ etiam illos duos excipiendos esse suadere viderentur, nequaquam firma sunt. Vid. SALM. n. 227, &c.

*24. 3°. Quidam existimabant Apostolos, post receptum S. Spiritum in Pentecoste, non amplius peccasse venialiter. Hoc de venialibus perfecte deliberatis vere et valde probabile est : de venialibus vero subreptionis improbabile esse censeo. Hæc enim, sine privilegio, i. e. ex dictis, nisi fomite peccati ligato, vitare non potuerunt : in iis autem hunc fomitem ligatum fuisse nullo probabili argumento ostenditur ; imo contrarium, quoad S. Paulum, probabiliter colligitur ex 2 Cor. xii. 7.

*25. 4°. Habes in S. Thoma Aquinate exemplum partialis privilegii, ligato fomite ejus quoad unam speciem pec-

cati; adeo ut, facta ista ligatione, "omni postea libidinis sensu caruit." (Breviar. Rom. 7 Martii, Lect. 4.) Simile privilegium in eadem materia. S. Josepho, post nuptias factas cum Virgine et præsertim post Christum natum, concessum fuisse mihi valde credibile est: *tum* propter dignitatem ejus et officium singulare erga Virginem et Filium; *tum* quia dignitas ipsius Virginis et postea Filii incarnati et nati id postulare videretur in viro iis tam intime conjuncto et probabilius in eadem domo cum iis habitante; *tum* quia docent "gravissimi theologi talem fuisse Virginis pulchritudinem [quæ maxima fuit], ut eam intuentes nonnisi ad castitatem et pudicitiam excitaret. Ita docuit D. Thomas . . . . qui merito adjungit hunc fuisse singularis gratiæ effectum; quia sola naturalis forma aut virtus vel modestia ad illum non sufficeret. Præsertim cum addat Alensis. . . . . B. Virginem suo aspectu concupiscentiæ motus extinxisse." SUAREZ, de Mysteriis Vitæ Christi et B. V. d. 2, s. 2, n. 4: qui hanc sententiam probabilissimam vocat; sed tamen simile privilegium in aliis materiis non concedit: ibid. d, 8, n. 7; de Gratia, l. c. n. 23.

*26. 5°. "Multi et graves auctores hoc privilegium Beatæ Virgini tribuunt, ut non solum innocens ab omni peccato, sed etiam impeccabilis in hac vita per gratiæ privilegium fuerit effecta, vel a principio suæ conceptionis et sanctificationis, vel saltem ab eo momento quo Verbum incarnatum in utero concepit. . . . . Tot doctorum auctoritas sufficit ut hæc sententia non solum censuram non mereatur, sed etiam probabilis sit." SUAREZ, l. 10, c. 8, n. 13 (vid. et de Myst. d. 4, s. 4). Hæc mihi dicenda videntur. 1°. B. Virgo non fuit impeccabilis ab intrinseco: hoc enim fieri non potuit nisi ex unione hypostatica

vel visione beatifica. "Quod vero in puro homine non vidente Deum non possit esse talis impeccabilitas ab intrinseco, certum est apud omnes." SUAR. ibid. n. 2. 2°. Admittenda est ergo in Virgine physica potestas peccandi: alioquin enim haberet impeccabilitatem ab intrinseco. Sufficit autem hæc physica potentia ad liberum et meritum; sicut sufficit ad peccatum physica potentia ad vitandum peccatum. 3°. Censeo in ea fuisse, præsertim post Christum incarnatum, impotentiam moralem peccandi—impotentiam moralem dico non secundum quid, sed simpliciter dictam, supra, n. 7: et hoc mihi valde clarum et certum esse videtur. Ex altera enim parte, nullum habuit fomitem, nullam ignorantiam in intellectu, errorem nullum, malum omnis peccati etiam minimi clarissime cognovit; ex altera vero parte, tanto amore Dei continuo et perrenni ardebat, tanta "cœlestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita merifice" cumulata fuit, ut "eam innocentiæ et sanctitatis plenitudinem præ se ferret, qua major sub Deo nullatenus intelligitur, et quam præter Deum nemo assequi cogitando potest" (Bulla Pii IX., "Ineffabilis"); et de qua affirmari potest eam "fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque divini Spiritus charismatibus exornatam, immo eorundem charismatum infinitum prope thesaurum abyssumque inexhaustam" (Ibid.). Quomodo fieri potuit ut talis creatura ullum peccatum perfecte deliberatum admitteret—cum deliberatione enim imperfecta peccare non potuit?

§ 2. *Probatur Doctrina Catholica.*

27. PROPOSITIO. *Non potest homo justificatus in tota vita peccata venialia vitare, sine speciali privilegio.*

28. *Argumenta ex S. Scriptura.* ARGUMENTUM I. "Septies enim cadet justus, et resurget: impii autem corruent in malum." Prov. xxiv. 16. Quidam casum justi hic intelligunt in calamitates et tribulationes, quas forti animo patietur: sed multo communior et probabilior est interpretatio de lapsu in peccatum. S. HIERONYMUS, in Epist. 122, ad Rusticum, n. 3, videtur interpretari de lapsu in peccatum grave. Sed apud fere omnes alios recepta est interpretatio de peccato levi; quæ omnino tenenda est. 1°. "Septies" hic, sicut et alibi in Scriptura, idem sonat ac "sæpius." Jamvero, etsi tam frequenter mentio sit justorum in Scriptura, nusquam vocatur justus simpliciter, aut etiam cum addito, qui sæpius in peccata mortalia incidit. Quomodo de sic incidente dici posset, quod de justo dicitur in hoc ipso libro Proverb. iv. 18:—"Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem?" 2°. Appellatio justi, vi termini, in mente et ore omnium, ingerit ideam firmitatis et constantiæ, quæ ideæ frequentis relapsus prorsus repugnat. 3°. In textu justus et impius sibi invicem opponuntur, ut duo extrema: sed talis non esset oppositio inter sæpe relapsum et impium. Manet ergo sensus verus, secundum quem justus frequenter in ea incidit peccata, quibus non amittitur justitia; et a quibus, utpote vere et constanter justus, toties per actus pœnitentiæ resurgit.

29. ARGUMENTUM II. "Nolite plures fieri magistri, fra-

tres mei : scientes quoniam majus judicium sumitis. In multis offendimus omnes [ἁπαντες, i. e. (plerumque saltem) omnes omnino, nullo excepto, id. ac ἁμα παντες]. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir." Jacob. iii. 1, 2. Etsi in vers. 1 eos solos diserte monet Apostolus qui ambiunt munus magistri seu doctoris, propter periculum iis exinde obventurum; in vers. 2 tamen hanc monitionem non solum speciali sed etiam generali argumento sustinet et urget : q. d. Cavete vos qui appetitis officium docendi : exinde enim habebitis novam rationem reddendam, novam occasionem lapsus. Quia 1°, nos omnes, et discipuli et magistri, omnes Christiani, offendimus in multis—omnes in officiis, quæ sunt omnibus communia ; singuli in officiis sibi propriis : augentur ergo pericula in iis qui nova officia quærunt. Et id 2°, in magistris præcipue verum est : ex suo enim munere docendi, obnoxii erunt periculis illis ex lingua gravissimis ; quæ deinceps depingit Apostolus. Omnes ergo peccant, et sæpius peccant. Quoniam vero semper ingens in Ecclesia est numerus justorum (ut alibi probatur) ; ergo ipsi justi peccant.

30. ARGUMENTUM III. "Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est." 1 Joan. i. 8. Non est opus ut in hoc loco sermo de solis venialibus sit. Vult enim Apostolus simpliciter neminem esse sine peccato—neminem sane adultum, de quibus solis hic loquitur : infantes enim non possunt se seducere vel mentiri. Justi non habent mortalia ; ergo saltem venialia habent.

31. Alii plures sunt textus, in quibus vel directe significatur doctrina Catholica, vel ex quibus bene probari potest. "Non est homo qui non peccet." 3 Reg. viii. 46. "Pro hac [remissione peccatorum] orabit ad te omnis

sanctus, in tempore opportuno." Psalm. xxxi. 6. "Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens." Psalm. cxlii. 2. "Non est homo justus in terra, qui faciat bona, et non peccet." Eccles. vii. 21. Hi sufficiant; neque opus est aut eos enarrare aut alios exscribere.

32. ARGUMENTUM *ex Ratione*, ut supra, n. 14. "Non potest homo abstinere ab omni peccato veniali, propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis: cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest—et ex hoc habent rationem peccati et voluntarii; non autem omnes. Quia, dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit: et etiam quia ratio non semper potest esse pervigil ad hujusmodi motus vitandos." S. THOMAS, 1. 2, q. 109, a. 8. "Quæ quidem [humana natura] licet per gratiam sanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio et infectio quantum ad carnem, per quam servit legi peccati, ut dicitur ad Rom. vii. 25. Remanet etiam quædam ignorantiæ obscuritas in intellectu, secundum quam (ut etiam dicitur Rom. viii, 26) 'quid oremus, sicut oportet, nescimus.' Propter varios enim rerum eventus, et quia etiam nos ipsos non perfecte cognoscimus, non possumus ad plenum scire quid nobis expediat, secundum illud Sap. ix. 14, 'Cogitationes mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ.'" *Idem.* ibid. a. 9.

§ 3. *Solvuntur Objectiones.*

33. *Object.* 1. Quod vitari non potest non est liberum: quod liberum non est peccatum non est. Vid. solutiones hujus objectionis supra, n. 15, &c.

34. *Object.* 2. Posita serie tentationum v. g. per totam

hebdomadam, singulas distributive sumptas vincere possum; ergo omnes.

35. *Resp.* 1°. Distinguo antecedens: Si per illud "distributive" significentur singulæ tentationes per se solæ, et præcisis ceteris in serie, eas vincere possum potentia et physica et morali: Concedo: Si significentur ut *actu* sunt in serie, et cum ceteris tentationibus conjunctæ: Subdistinguo: Eas vincere possum potentia physica: Concedo: Morali: Nego. 2°. Distinguo consequens: Si eadem esset potentia moralis ad omnes vincendas, quæ est ad singulas per se vincendas: Concedo: Si non: Nego. Sit series tentationum, a, b, c, d, &c. facultates et intellectûs et voluntatis, quæ in iis repellendis exercentur, intrinsece ex natura sua sunt valde mobiles et inconstantes; ita ut, etsi supponas eas ad tempus et contra a, b, c, &c. impigre et strenue agere, paulo post obrepent aliquæ vel etiam omnes ex causis supra memoratis, n. 14, et iis agentibus, anima infallibiliter, aliquantulum saltem et pro momento, deficiet; et, etsi se iterum erigat et accingat ad pugnam, paulo tamen post, iisdem agentibus causis, iterum simili modo cedet, et ita porro. Hæc est hominis ipsa natura universalis et absoluta. Imprimis ad singulas tentationes distributive sumptas vincendas necessaria est advertentia: ad seriem tentationum, quarum altera alteram continuo excipit, aut (quod idem est) ad eandem productam, vincendam, necessaria est attentio continua vel fere continua—quæ nihil aliud est quam advertentia continuata. Jamvero norunt omnes nullam aliam esse mentis facultatem quæ tam difficulter exercetur quam illa attentionis, præsertim in iis quæ naturæ grata et delectabilia non sunt. Etiam in hominibus qui eximiæ sanctitatis sunt et a longo tempore orationi meditationis assueti, etiam mente tran-

quilla et nulla interveniente causa distractionis externa, impossibilis est diuturna animi attentio ad res spirituales continua et sine ulla evagatione et intermissione—impossibilem dico, nisi ex gratia extraordinaria, quæ quoddam privilegium esset.

36. Celebre est effatum S. HIERONYMI, Dial. adversus Pelagianos, l. 3, n. 12:—"Nec quia ad breve possum, coges me ut possim jugiter. Possum jejunare, vigilare, ambulare, legere, psallere, sedere, dormire, numquid in perpetuum?" Tantum abest ut quod hic dicitur de operationibus corporis minus valeat de operationibus mentis, ut e contrario de his longe magis valeat. Intra enim certos terminos, longe magis expeditam et constantem habemus potentiam et physicam et moralem in exercendis facultatibus corporis, quam in exercendis facultatibus mentis; præsertim in rebus spiritualibus et naturæ nostræ corruptæ nec suavibus nec jucundis: d. 4, n. 38. Sic, quot sunt qui, ex usu et debita adhibita cautione et præparatione, sine defatigatione gravi, pluribus horis diei, aut etiam, cum fatigatione, tota die ambulare possunt? Quis est vero qui, quacumque providentia et diligentia adhibita, etiam unam horam, sine ulla mentis evagatione, transigere potest in meditatione de aliquo attributo Dei, de passione Christi, de malitia peccati, &c.? Mens nostra naturâ levis et mobilis est "tanquam mollis aer," "et nunquam in eodem statu permanet." Sane, si mentis evagatio omnino involuntaria sit in se et in causa, tunc abest etiam physica potentia eam vitandi, et nullum est peccatum: sed ita se res diu non habebit.

37. *Urgetur*. Singulæ tentationes in tota serie, prout actu impetunt et actu sunt superandæ, habent non solum difficultatem ipsis per se et seorsum seu extra seriem spec-

tatis propriam, sed difficultatem ortam ex eo quod sunt in serie, ex diuturna resistentia, ex subrepente inconstantia mentis, &c. ut supra. Ergo tentationem, cui actu cedo, adest mihi vera et simplex impotentia vincendi. Ergo cedendo non pecco formaliter.

38. *Resp.* Concedo antecedens: Dist. consequens: Adest impotentia moralis: Ita aut non, ex circumstantiis singulorum casuum: Impotentia physica: Nego. Vel cedo tentationi cum plena et perfecta deliberatione, vel cum deliberatione imperfecta, vel sine ulla. Si 1^{m}, manifesto adest potentia physica vincendi. Quousque vero adesse potest potentia moralis, decidere non possum: censeo tamen sine temeritate dici posse justum semper habere potentiam (proximam vel remotam) moralem vitandi venialia perfecte deliberata. Sæpissime fit ut non solum simpliciter hic et nunc justi, sed etiam qui a longo tempore sine ullo peccato mortali vixerunt, peccata venialia plene deliberata aliquando admittant; et tunc adest potentia moralis vitandi. Si vero ex subito aut gravi passionis impetu peccent, tunc plus minus infirmatur potentia illa, vel etiam tollitur. Si 2^{m}, bene fieri potest, et forsan regulariter fit, ut non adsit nisi potentia vitandi physica, vel moralis tantum remota. Si 3^{m}, nullum est peccatum.

39. *Object.* 3. Justus, vincendo tentationem a, novum auxilium recipit, quo robustior et fortior evadit ad vincendam tentationem b, qua superata aliud novum auxilium habet, et ita porro; adeo ut quo diutius ingruunt tentationes, eo majora incrementa roboris, si velit, habere potest. Et sic, si velit, totam seriem tentationum vincere potest.

40. *Resp.* Distinguo primam propositionem: Nova merita, et ergo nova incrementa gratiæ habitualis, comparat: Concedo: Nova auxilia gratiæ actualis: Subdistinguo: Si ea

debito modo non petat, et intuitu victoriæ jam reportatæ: Nego (d. 12, n. 151, &c.): tentatis enim non promittuntur auxilia nec, regulariter saltem, dantur, nisi ea petant, et usque ad tentationem exstinctam perseveranter petant: Si ea debito modo petat: Iterum subdistinguo: Dabuntur auxilia nova ad vitandum peccatum grave, si tentatio sit in materia gravi, vel ad vitanda levia perfecte deliberata: Concedo: Dabuntur auxilia, quibus sanabitur natura lapsa, et tollentur fomes et cetera incitamenta ad peccatum, n. 14; quibus sublatis posset justus diu sine ullo peccato vivere: Nego: hoc enim non modo gratia esset specialis, sed privilegium istud speciale; quod nemini unquam promissum est, et, excepta Virgine, nemini unquam pro certo datum est.

41. Nec gratia habitualis nec gratia actualis, etiam magna et specialis, tollit istas radices peccati: imo neque ulla lege statuta earum vim et acerbitatem emollit. Hinc cum, ex altera parte, Deus sæpissime, infirmis præsertim vitam novam incipientibus, tentationes mitigat et levat nec adeo mordaces esse permittit, et, gravi aliqua tentatione fortiter devicta, magna tranquillitate et solatio animam cumulat; ex altera parte, non raro justos, magnos præsertim sanctos, etiam qui a teneris vitam sanctam duxerunt, vel ad tempus vel diu, ad eorum meritum augendum et gloriam gratiæ suæ manifestandam, gravissimis et quidem horrendis tentationibus, vel a diabolo vel a carne vel a mundo vel ab omnibus simul immissis, oppugnari permittit. Exemplis hujusmodi vitæ Sanctorum scatent. Et revera orantibus etiam ardentissime non sunt promissa auxilia gratiæ ad tollendas tentationes (etsi id sæpissime fit, saltem ad tempus), sed ad eas resistendo superandas. Aliquando Deus omnino liberat a tentatione; aliquando,

ad majus bonum tentati, permittit eam manere vel aliquamdiu vel etiam pro longo tempore. Tantum ergo, abest ut, per victorias reportatas de tentationibus præcedentibus, facilius fiat tentationes insequentes vincere, ut ex ipsis conatibus ad illas vincendas captis (propter rationes jam datas) nova ad has vincendas difficultas exsurgat.

*42. *Urgetur* 1. Habitus dant facilitatem agendi. Ergo justus, qui, diu se exercendo in aliqua virtute, habitum illius virtutis habet, facilius superare potest tentationes adversus istam virtutem : et sic de ceteris virtutibus.

*43. *Resp.* 1°. Ut recte et penitus intelligeretur prima propositio, expositio satis longa necessaria esset de discrimine inter habitus naturales et acquisitos et habitus supernaturales et infusos, inter habitus qui naturali inclinationi multum adversantur vel opponuntur habitibus olim in eodem homine existentibus et habitus qui tales non sunt, &c. His igitur prætermissis, 2°, Et illa facilitas agendi tolleret fomitem, &c. ita ut posset nunquam etiam venialiter peccare : Nego : Alio aliquo sensu : Transeat.

*44. *Urgetur* 2. Si vera sit responsio, n. 40, 41, ergo nec etiam mortalia diu vitare potest justus.

*45. *Resp.* Distinguo : Si ad vitanda mortalia omnia justo non sufficiant auxilia communia, sine privilegio: Concedo: Si sufficiant: Nego: d. 7, n. 101. Insuper, ad peccatum mortale requiritur non solum gravis materia sed etiam advertentia plena ad gravem malitiam actus et plenus consensus voluntatis.

46. *Object.* 4. Ergo absurdum est propositum efficax omnia venialia vitandi; absurda oratio Deo facta ad omnia vitanda; absurdum votum, quod emiserunt quidam Sancti, omnia vitandi.

47. *Resp.* "Distinguo: Effective efficax ad longum

tempus: Concedo: Affective saltem efficax: Nego. Omnes enim, quoad fieri potest, tenentur omnia vitare; ac proinde bonum voluntatis propositum semper commendatione dignum est, quamvis interdum deficiat. Potest præterea etiam effectu non solum propositum sed scopum obtinere, quoad venialia deliberata; et circa hæc votum interdum emiserunt Sancti, in quo nihil est quod obsistat." PERRONE, n. 193. Vid. SUAREZ, hic, n. 31, de Voto, l. 2, c. 3, n. 5, &c.

48. *Object.* 5, ex textibus Scripturæ, in quibus 1°, significatur hominem posse in hac vita ad eum statum progredi, in quo esset "perfectus" et "immaculatus," et ergo immunis ab omni peccato; et 2°, significatur quosdam ad hunc statum revera pervenisse. Prioris generis sunt textus Genes. xvii. 1; Deuteron. xviii. 13; Jos. xxiv. 14; Matt. x. 48:—"Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est." Posterioris sunt Psalm. xiv. 2; cxviii. 1; Luc. i. 2, ubi. de Zacharia et Elizabeth dicitur quod "erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela." De 1 Joan, v. 18, vid. d. 11, n. 43, &c.

49. *Resp.* Non est opus tempus terere hos textus latius enarrando, in quibus, quod attinet ad præsentem materiam, nulla est difficultas. In omnibus enim ejusmodi textibus clare et necessario supponitur conditio. Distinguo igitur: Hortantur homines ad perfectionem, etiam ad perfectionem similem (non sane æqualem) perfectioni Dei; et significatur quosdam eam perfectionem assecutos esse, et immaculatos fuisse quantum id possibile est, quantum sinit conditio humanæ naturæ lapsæ; quæ, secundum aliam Scripturam, non potest in tota vita esse sine ullo peccato: Concedo: Aliter: Nego.

PARS SECUNDA.—DE PERSEVERANTIA JUSTI IN ACCEPTA JUSTITIA.

§ 1. *Status Quæstionis explicatur.*

50. Quæstio est hic de perseverantia 1°, justi (peccator enim non indiget auxilio ad perseverandum in justitia, sed ad eam accipiendam) 2°, in conservanda justitia quam nunc habet. Et hæc perseverantia triplex est, pure passiva, pure activa, activa et passiva conjunctæ. Perseverantia pure passiva, seu ut sic spectata, est conjunctio mortis cum statu gratiæ (perseverantia finalis, gratia finalis, bona mors). Perseverantia activa est constantia adulti in justitia accepta conservanda (bona vita). Perseverantia hæc continuata usque ad mortem inclusive utramque conjungit.

*50*a*. Perseverantiæ pure passivæ exempla sunt in infantibus baptizatis, ante usum rationis adeptum exstinctis; in adultis peccatoribus, qui, per contritionem aut absolutionem justificati, statim e vita excedunt. Grammaticaliter hæc forsan rigorose perseverantia non debet vocari: analogice tamen et theologice ita vocari potest; *tum* quia omnis perseverantiæ omniumque gratiarum summum, finis et corona est; *tum* quia eundem effectum essentialem habet as si cum perseverantia activa conjuncta esset; et in istis infantibus, &c. "rationem perseverantiæ habet ipsa mors in gratia, juxta illud: 'Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.'" SUAREZ, de Prædestinatione, l. 3, c. 3, n. 7. Vocatur autem passiva; quia homo nihil in ea habenda operatur aut cooperatur, sed se pure passive tenet: purum opus est Dei clementis et miserentis, ut hominem e vivis eo tempore eripiat quo justus est; nec antea eripuerit,

dum in peccato erat; nec in aliud tempus eripiendum lapsum distulerit.

*51. Exempla perseverantiæ pure activæ in iis sunt, qui diu in bono firmi perstiterunt et tamen postea ceciderunt et damnati sunt: dubium est annon inter eos recensendus est Salomon. Fuerunt qui, post magnos cruciatus constanter toleratos, fere animam efflantes, manus hosti dederunt. Ad hanc perseverantiam (quæ etiam vocatur temporaria, imperfecta, secundum quid) simpliciter dictam requiritur ut sit diuturna: brevem enim cursum in bono nemo vocaret perseverantiam in bono. Potest tamen cum addito appellari perseverantia v. g. per diem. Vocatur autem activa; quia justus in ea habenda non se tenet mere passive, sed etiam active, cooperando specialibus auxiliis ad justitiam conservandam datis.

*52. Perfecta perseverantia ea est quæ activam cum passiva conjungit: et quo diuturnior est permanentia in bono post ultimam ante mortem justificationem, eo perfectior per se est perseverantia. Insuper, etsi brevis ille cursus in bono non potest per se vocari perseverantia simpliciter, juncta tamen cum passiva magnam exinde derivat perfectionem: præsertim quoniam maxime in articulo mortis diabolus "vehementius omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus." Conc. Trid. sess. 14, c. 9. Hujus perseverantiæ exemplum insigne habes in bono latrone; qui nonnisi paucis horis ante mortem in ipsa cruce pendens, singulari et fere miraculosa gratia contritionis justificatus est. Vid. SUAREZ, de Mysteriis, comment. in q. 46, a. 11, n. 7.

*53. Quod quis longo tempore indeficienter usque ad mortem perseveraverit maximum est beneficium; etsi in illo maximo infiniti possunt esse gradus diversi perfectionis.

Bene autem fieri potest ut perseverantia mere activa, in ratione gratiæ auxiliantis, longe longeque antecellat perseverantiæ passivæ, post exiguum spatium vitæ in sanctitate transactum: et sine dubio multi sunt in inferno, qui longe majora auxilia gratiæ receperunt quam alii multi qui in coelo sunt. Attamen hæc perseverantia, etiam pure passiva, in ratione beneficii, quacumque perseverantia pure activa incomparabiliter major est. SUAREZ, c. 4, n. 14.

54. Ex dictis, n. 50, et quidem per se et primo obtutu, evidens est perseverantiam passivam magnum esse donum Dei et specialem gratiam ; quod a nemine negatur. Semipelagiani, sicut non negabant necessitatem gratiæ ad fidem et primum opus salutare faciendum, sed affirmarunt eam gratiam dari (regulariter saltem) intuitu boni operis naturalis præcedentis, et ex ejusdem merito aliquo (d. 3, n. 22, &c.) ; ita non negabant necessitatem gratiæ actualis in justo ad opera salutaria justificationem subsequentia facienda, et ergo ad perseverantiam activam habendam ; sed dixerunt istas gratias repetitas operibus naturalibus repetitis, ut desiderii, orationis, &c., respondere, et intuitu eorum dari ; et idcirco permanentiam illam in bono per gratias istas effectam non esse ex gratia gratuita i. e. non esse ex gratia—de essentia enim gratiæ est, saltem in præsenti ordine, ut sit gratuita : d. 3. "Hoc autem [gratia adjutorium propter meritum naturale datum] non tantum intelligebant de uno primo auxilio, per quod reliqua obtinebant, sed etiam de multis aliis, quæ per vitæ decursum possunt homines usu suæ libertatis, suoque humano labore, ad perseverandum et crescendum in justitia promereri." "Nullo modo admittere volebant prævenientem gratiam, qua Deus facit ut velimus ; et in hoc reprehendebant doctrinam Augustini tanquam libertati contrariam. Ipsi vero

aiebant . . . . relictam esse libertatem, qua quis possit obedire, vel aliter se præparare, ut, libere et ex proprio merito, salus unicuique conferatur. Quod sane non solum in uno seu primo actu . . . sed etiam in toto progressu virtutis vel perfectionis intellexisse videntur." SUAREZ, Prolegom, 5, c. 6, n. 14, 21.

*55. Canon Trident. 22, sess. 6, in quo definitur doctrina Catholica hic est :—" Si quis dixerit justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit." Censeo Concilium in hoc canone non quidem excludere perseverantiam passivam, sed de perseverantia activa diserte et definite loqui; sicut in can. 16, non excludendo perseverantiam activam, de passiva diserte et definite loquitur :—" Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum, absoluta et infallibili certitudine, dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit." 1°. In hoc can. loquitur de perseverantia *usque in finem;* quæ verba non inveniuntur in altero canone. 2°. In can. 22 loquitur de perseverantia quæ habenda est per speciale *auxilium*, i. e., ut jam videbimus (n. 62), seriem gratiarum actualium, quibus adjuvatur justus ad opera bona præstanda et lapsum gravem vitandum : dum in can. 16 sermo est de perseverantia quæ habetur per modum *doni*. Jamvero, ex altera parte, gratia auxilians id ipsum est, quo justus habet vel habere potest perseverantiam activam; ex altera parte, perseverantia passiva gratia quidem est magna, imo, in ratione beneficii, omnium gratiarum quæ huic electo unquam impertitæ sunt maxima et pretiosissima; sed tamen non est auxilium, nec datur per modum auxilii, sed est effectus providentiæ specialis Dei eum hoc momento, dum est in statu gratiæ, e vita eripientis.

*56. Perseverantia activa dicitur esse ex auxilio; passiva dicitur esse ex dono; sed neutra dicitur esse ex privilegio: supra, n. 20.

*57. Non omnes justi habent perseverantiam passivam; quod manifestum est, alioquin omnes justi salvarentur. Nec omnes justi habent perseverantiam activam simpliciter dictam (n. 51): multi enim sunt, qui hodie justificantur et brevi postea in peccatum recidunt. Sed certum est omnes justos posse perseverare et active et passive, si velint: vel enim habent hic et nunc gratiam proxime sufficientem ad tentationes graves vincendas, vel habent gratiam proximam orationis ad illam gratiam impetrandam: d. 12, n. 161, &c.

58. Quid est auxilium illud speciale, cum quo justus perseverare potest, sine quo perseverare non potest? Imprimis notandum est Concilium, in can. 22, non docere justum cum auxilio speciali *perseverare*, sed *posse* perseverare; et ideo non loqui de ipsa perseverantia, sed de potentia perseverandi. Hoc ex ipsis verbis canonis planum est: et tamen incredibile est quot theologi id præ mente non satis constanter tenuerunt. Ex quo, et ex non satis attenta distinctione inter perseverantiam activam et passivam, alteram ab altera sedulo secernendo, orta est perturbatio ista, de qua jure queritur PERRONE (n. 203, not.):— "Ex eo quod hæc de perseverantia controversia non satis fuit explanata, molestissima orta est in scientia theologica perturbatio."

59. Ad quæstionem respondeo duplicem esse sententiam. Prima affirmat auxilium illud esse speciale non solum quatenus distinguitur a gratia habituali, sed etiam quatenus distinguitur a gratiis actualibus ordinariis omnibus justis concessis, et esse gratiam seu donum quoddam singulare et extraordinarium. Altera sententia dicit Concilium voluisse

tantum definire justum vi solius gratiæ habitualis perseverare non posse "in accepta justitia" (i. e. eam perseveranter conservando, sive ad finem vitæ sive non), sed, præter auxilium quod habet ex gratia illa habituali, alio indigere auxilio, nempe, gratiæ actualis. Ita VASQUEZ, d. 197, c. 1; TANNER, q. 3, n. 232, &c.; BECANUS, d. 4, q. 6; MONTAGNE, q. 3, a. 3; VEGA (passim ab auctoribus pro hac sententia citatus); PERRONE, l. c.

*60. Pro sententia prima citatur SUAREZ, ut recentissime a JUNGMANN, n. 79. Concedo eximium doctorem hic illic aliqua proferre, quæ per se spectata huic sententiæ favere viderentur Sed in quæstionibus, præsertim difficilioribus, explanandis divitias ingenii sui, argumenta et cogitationes omnigenas, quasi ex fonte late patenti et inexhausto, undique diffundere et dissipare solet ("mare magnum et spatiosum manibus: illic reptilia quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis"); ita ut sæpius non sine labore non exiguo sensus ejus verus et integer reperiri possit. Quod attinet ad materiam præsentem, cap. 5 de ipsa perseverantia usque in finem disserit, ut patet ex titulo capitis ("Quid sit donum perseverandi usque in finem, quidve ultra *potestatem* perseverandi addat?"); et docet ad eam requiri aliquid "ultra speciale auxilium sufficiens tantum, seu dans tantum posse perseverare, non autem actualem perseverantiam" (n. 7): quod a nemine negatur. Cap. 2 et 3 autem disserit de potestate perseverandi active; et ad hanc requirit auxilium speciale, sed tantum ultra auxilium quod ex gratia habituali derivatur (ex ea enim adjutorium aliquod habetur, infra, n. 63) et auxilia quæ isti gratiæ debentur, "seu quasi connaturalia sunt" (n. 8). Hoc patet ex objectione quam sibi proponit, n. 4:—"Homo justus potest, sine auxilio speciali, per

vim *tantum* habitualis gratiæ, cum generali auxilio, omnia et singula præcepta, etiam supernaturalia, servare." Patet quoque ex n. 6, ubi duplicem sensum auxilii specialis exponit. "Primo, ut distinguitur ab auxilio generali naturalis concursus, et comprehendit quodlibet auxilium gratiæ." Manifestum est auxilium necessarium ad potestatem perseverandi esse hoc sensu speciale. "Secundo modo accipitur auxilium speciale intra ipsum ordinem gratiæ, et comparatione facta ad commune auxilium quasi intrinsece debitum ipsi gratiæ in illo ordine : et in hoc etiam sensu in præsenti loquimur." Idem patet ex aliis locis non paucis.

*61. Similiter immerito citantur alii theoligi pro eadem sententia, qui disserentes de perseverantia, solam perseverantiam finalem significant ; sed alibi docent justo, ut possit active perseverare, sufficere auxilia communia. Sic GOTTI (citatus a JUNGMANN, ibid.), de Perseverantia (q. 1, dub. 13, n. 6):—"Gratia, quæ ad perseverantiam finalem requiritur, est speciale donum Dei, a gratia habituali et communibus auxiliis distinctum." De necessitate autem gratiæ ad vitanda mortalia (dub. 9, n. 8) :—"Homo per gratiam habitualem sanatus, ut *diu* vitet [melius, vitare possit— sed hoc non est ad rem præsentem] peccata mortalia, indiget adhuc gratia actuali auxiliante." Ita et BILLUART, d. 3, a. 9, 10 ; SALM. d. 3, n. 223, 243 ; &c.

62. Prima ista sententia nullo argumento non futili nititur. Altera sententia congruentior est principiis hujus tractatus et communi sensui fidelium. Magis etiam congruit verbis Concilii : Concilium enim simpliciter dicit "justificatum," "in accepta justitia ;" si autem voluerit significare non simpliciter justum, sed justum auxiliis ordinariis munitum, id aliquo modo significasset.

*63. Notandum est, ex doctrina affirmante necessitatem gratiæ actualis ad perseverantiam nullomodo concludi debere gratiam habitualem suas etiam in auxiliando partes non habere. E contrario certum est "gratiam justificantem non solum auferre peccatum, sed etiam adjuvare hominem justum ad cavenda peccata, et consequenter ad suī ipsius conservationem." SUAREZ, c. 2, n. 11: vid. d. 6, n. 89.

*64. Insuper notandum est auxilium illud datum ad perseverandum non esse semper solum internum, sed sæpius, et prout res postulet, etiam externum esse; occasiones peccati amovendo, minuendo, temperando; impetus dæmonum coercendo; &c.

* 65. *Quæritur.* An ad perseverandum, præter gratiam habitualem et auxilia ei intrinsece debita, aliis auxiliis gratiæ actualis indiguerit Adam in statu innocentiæ? *Nota.* Hæc quæstio, in abstracto spectata, diversa est a quæstione proposita d. 3, n. 113: perseverare enim nihil aliud per se est quam peccatum mortale vitare; aliud vero est opus salutare facere.

*66. *Resp.* Docet SUAREZ (c. 9, n. 4, 5), ad potentiam perseverandi non fuisse necessarium auxilium speciale: quod enim reddit auxilium illud nobis justis necessarium, impedimentum nempe ex natura inquinata et infirmata, a statu innocentiæ aberat. Ad perseverandum vero "cum effectu et infallibiliter, speciale donum gratiæ, etiam in Angelis vel homine in statu innocentiæ necessarium fuisse" tenet. Ita quoque GONET, tr. 8, d. 1, n. 369; GOTTI, q. 1, d. 13, n. 36.

*67. Censeo sequentia non recedere a doctrina istorum auctorum—nisi forsan in iis quæ spectant ad eorum sententias de natura gratiæ efficacis, de qua alibi. 1°. Nec ad

potentiam perseverandi active, etiam pro valde longo tempore et pro tota vita, neque ad ipsam actualem ejusmodi perseverantiam, necessarium fuit auxilium speciale adeo frequens et forte, ac nobis necessarium est. 2°. Perseverantia passiva, in illo et quovis alio statu viatoris, donum est et gratia specialis et magna. 3°. Si perseverantiam, seu potius statum illum, per se et quasi in abstracto spectes, utique ad perseverantiam activam non fuit necessarium auxilium speciale.

*68. 4°. Si vero status ille in concreto inspiciatur, quatuor sunt de eo consideranda; quæ videntur reddere auxilium speciale necessarium non tantum ad ipsam perseverantiam activam sed etiam ad potentiam moralem perseverandi. Primum est intrinseca mutabilitas et inconstantia liberi arbitrii omnis viatoris, etiam in statu innocentiæ: exempla habes in lapsu protoparentum post paucas forsan horas a creatione et justificatione, et in lapsu simul tot millium millium angelorum post pauca forsan temporis puncta a creatione et justificatione. Secundum est longum tempus, quo probabilius, antequam in patriam raperentur, viverent homines, ad liberos procreandos et educandos (SUAR. n. 9). Tertium est frequens instantia officiorum legis naturalis et supernaturalis, pro toto isto longo vitæ tempore ex adepto usu rationis urgentium; et quæ eo modo impleri debent, qui deceret statum adeo perfectum et divinum. Quartum est ex istis officiis officium illud orationis petitionis (d. 2, n. 94), et imprimis petitionis pro hac ipsa gratia perseverantiæ: quam petitionem si Deo adhibuissent angeli et protoparentes, sine dubio firmi stetissent.

§ 2. *Probatur Doctrina Catholica.*

69. Propositio. *Non potest homo justificatus, sine speciali Dei auxilio, in accepta justitia perseverare.*

70. Quæstio non est hic de perseverantia pure passiva, sed de perseverantia activa, sive pure talis sit, sive perduret usque ad mortem et sic perseverantiâ passivâ consummetur et coronetur. Seu, aliis verbis, quæstio est de perseverantia in bono quæ longo tempore durat, sive hæc fiat in ultima sive in ulla alia parte vitæ, sive ab ea postea excidatur sive non. De sola autem perseverantia activa hic verbum facio; *tum* quia duæ istæ perseverantiæ sunt res omnino distinctæ, et altera sine altera existere potest et sæpe existit; *tum* quia nemo est qui neget, quod adeo manifestum est, perseverantiam passivam esse ex speciali gratia; *tum* quia, si perseverantia activa per se sine speciali gratia haberi non potest, a fortiori et activa et passiva conjunctæ non sine gratia speciali, imo specialiori et specialissima, haberi potest; *tum* quia diverso genere aut saltem forma argumenti probatur propositio de una et de altera perseverantia; *tum* denique ad vitandam mentis perturbationem (n. 58), in quam, ex distinctis materiis in unum commistis, etiam non parvo ingenio pollentes, discentes præsertim (experto crede), incidere solent.

71. *Argumenta ex S. Scriptura.* Argumentum I. ex locis Scripturæ in quibus significatur magna difficultas pro omnibus, etiam pro justis, salutem assequendi; magna difficultas justitiam acceptam conservandi; periculum magnum et continuum utriusque, et justitiæ et salutis, amittendæ. Eo enim ipso quod ejusmodi difficultas et periculum in opere aliquo efficiendo affirmantur, significatur

necessitas novi cujusdam auxilii, novi præsidii. Textus Scripturæ, in quibus ista variis modis affirmantur, innumeri sunt. Affirmantur in iis locis, in quibus justi exhibentur ut per totam vitam certantes, colluctantes, pugnantes, militantes; quibus perseverandum est cum metu et tremore, contra tentationes perpetuas, a carne, mundo et diabolo immissas; &c. Exhibentur ut Certantes, 1 Tim. vi. 12; Heb. x. 32:—"Magnum certamen sustinuistis passionum;" xii. 1; Colluctantes, Ephes. vi. 12; Pugnantes, 1 Cor. ix. 26; Militantes, Job. vii. 1:—"Militia est vita hominis super terram;" Ephes. vi. 13-17; Quibus perseverandum est cum metu et tremore, Phil. ii. 12; 1 Cor. x. 12; Contra tentationes perpetuas, &c. Jacob. i. 2, 12, 14; Matt. xviii. 7; 2 Joan. 7; 2 Cor. xi. 14; 1 Pet. v. 8:—"Sobrii estote et vigilate: quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem devoret."

72. Argumentum II. ex iis locis Scripturæ, in quibus 1°, diserte affirmatur, pro justis ad perseverandum, necessitas orationis continuæ; et 2°, in quibus eadem necessitas indirecte significatur, in hac oratione pro perseverantia a sanctis hominibus indesinenter et indeficienter et ardenter adhibita.

73. 1°. "Oportet semper orare et non deficere." Luc. xviiii. 1. "Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem: spiritus quidem promptus est, caro autem infirma." Matt. xxvi. 41. Non est opus plures textus de re adeo aperta cumulare. 2°. Pro exemplis secundi generis, prætermissis aliis Psalmis et aliis libris V. et N. Testamenti, ait Jungmann (n. 81), "Psalmus cxviii fere totus fervida deprecatio est, ut Deus auxilium necessarium velit concedere ad perseverandum in via Domini. Quia

hoc auxilium omnino requiri Psaltes *a Deo inspiratus* cognoscit [nota], tanta cum emphasi supplicat." Quosdam textus ex isto Psalmo, sub initio, proferam :—"Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas [præcepta tua, quibus servatis augetur nostra justitia]—Justificationes tuas custodiam : non me derelinquas usquequaque—Dormitavit anima mea præ tædio [en fomes peccati, et quæ ex eo crescunt infirmantia et hebetantia]: confirma me in verbis tuis [vires novas adjice mihi, secundum promissionem tuam]—Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam: et custodiam illam in toto corde meo—Averte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua vivifica me." Vers. 5, 8, 28, 34, 37. Vid. d. 4, n. 30: ibi dicta huic argumento facile accommodari possunt.

74. ARGUMENTA ex Patribus. "Quia servitus nostra ad id ipsum, ut in servitutis fide maneat, misericordia Domini indiget, superaddit, 'secundum misericordiam tuam:' quia miseratione ejus opus est, ut in hac servitutis nostræ professione maneamus." S. HILARIUS, in Psalm. cxviii. 124 (Littera 16, n. 10).

75. "Non volentis, neque currentis hominis perseverantia est: non est enim in hominis potestate, sed miserentis Dei est, ut possis complere quæ coeperis." S. AMBROSIUS, in Psalm. cxviii. 76 (Sermo 10, n. 35).

76. "Justificatus itaque homo, id est, ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito, accipit donum, quo dono acquirat et meritum: ut quod in illo inchoatum est per gratiam Christi, etiam per industriam liberi augeatur arbitrii: nunquam remoto adjutorio Dei, sine quo nec proficere nec permanere in bono quisquam potest." S. PROSPER, pro Augustino Responsiones, p. 1, c. 6.

§ 3. *Solvuntur Objectiones.*

77. *Object.* 1. Qui habet jus ad aliquid consequendum, habet jus ad medium necessarium ad id consequendum. Sed justus habet jus ad vitam æternam, et perseverantia est medium necessarium ad vitam æternam assequendam.

78. *Resp.* 1°. Distinguo majorem: Qui jus habet absolutum, &c. Transeat: Qui jus habet conditionale tantum: Subdistinguo: Jus habet ad medium, secundum voluntatem et ordinationem conditiones apponentis, et secundum conditiones illas: Concedo: Aliter: Nego. 2°. Distinguo primam partem minoris: Jus habet ad vitæ æternæ consecutionem, post decessum, et si in gratia decesserit: Concedo: Aliter: Nego. Distinguo secundam partem: Perseverantia est medium, &c., et ut possit, si velit, hoc medium habere, ex benigna promissione Dei jus habet; et ergo, si velit, potest perseverare: Concedo: Jus habet ad ipsam perseverantiam: Nego: alioquin jus haberet omnis justus ut nnnquam excideret a gratia, et inamissibilis esset justitia.

79. *Object.* 2. Ergo perseverantia non est in potestate justi: et ergo in vanum laborat ad eam consequendam.

80. *Resp.* Nego primam prospositionem quoad perseverantiam et activam et passivam: vel Distinguo: Non est in ejus potestate proxima cum sola gratia habituali et gratiis vel ei intrinsece debitis, vel saltem omnibus, præsertim justis, impertitis: Concedo: Non est in ejus potestate remota: vel, si gratiis illis, maxime gratia orationis, bene utatur, non est in ejus potestate proxima, per auxilia actualia sic acquisita: Nego: vid. d. 12, n. 165.

81. *Object.* 3. Adam, ut posset perseverare, non indige-

bat auxilio speciali. Si nos sine illo auxilio perseverare non possumus, ergo Christus minus nobis profuit quam nocuit Adam : quod est contra doctrinam Apostoli, Rom. v. 20 :—" Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia."

82. *Resp.* 1°. Distinguo primam propositionem : Non indigebat eodem auxilio speciali quo nos indigemus : Concedo : Nullo indigebat : Nego : Supra, n. 65, &c. 2°. Ad propositionem secundam : " Non ex uno capite, sed ex pluribus Christus magis nobis profuit, quam Adam nocuerit; nempe 1°, quia positive indignis gratias promeruit quibus non ab uno tantum, sed ab innumeris prope peccatis liberaremur; 2°, quia gratias longe uberiores nobis promeruit, quibus fit, ut non solum *possimus perseverare*, quod Adæ præstitum fuit sed actu plures reipsa *perseverent* in accepta justitia [S. THOMAS, 1. 2. q. 109, a. 10 ad 3]; 3°, quia præter gratiam illustrationis, qua sola ex plurium sententia ob naturæ integritatem indigebat Adam, obtinuit nobis gratiam inspirationis ac roboris, qua ea fulciretur infirmitas voluntatis humanæ, quam incurrimus ob originariam culpam." PERRONE, n. 210.

83. *Object.* 4. Perseverantia passiva saltem haberi potest sine dono speciali. Homo enim, post acceptam justitiam, eam aliquandiu, sine speciali auxilio, conservare potest. Si interea casu aliquo, v. g. aquis submersus, interimatur, perseverantiam habet passivam, sed non ex speciali dono: mors enim ei tunc obvenit ex causa naturali et non ex aliqua speciali providentia.

84. *Resp.* Distinguo : Perseverantia in casu non est ex speciali dono, re oculo carnis spectata : Esto : Oculo fidei inspecta : Nego. Quod enim Deus, prævidens ejus mortem repente ex inopinato isto momento eventurum, eum paulo

ante ad poenitentiam gratia excitante vocaverit et efficacitur ad eam perduxerit gratia fuit specialis, donum magnum. Imo, in ratione beneficii et doni, fuit valde speciale: eorum enim qui bene moriuntur multo plures sunt qui per tempus notabile ante mortem bene vixerunt.

85. Aliæ sunt difficultates, quæ tales sunt tantum ex isto perturbato conspectu quæstionis, et quæ, sensu ejus vero attento, prorsus nullæ sunt.

DISPUTATIO SEXTA.

DE NECESSITATE GRATIÆ AUT MEDICINALIS AUT ELEVANTIS: NEGATIVE.

§ 1. *Status Quæstionis explicatur.*

1. Hactenus de operibus bonis disseruimus ad quæ facienda necessaria est gratia: et vidimus ad omne opus salutare et ad ejusdem initium absolute necessariam esse gratiam elevantem; ad omne opus mere moraliter bonum et arduum necessariam esse gratiam medicinalem; ad perseverantiam activam, præter gratiam habitualem, necessariam esse gratiam actualem; et ad vitanda omnia venialia in tota vita necessariam esse gratiam privilegii. Nunc inquirendum est an sint aliqua opera bona quæ sine gratia præstari possunt. Et, quoniam opera bona duplicis sunt generis, naturalia et supernaturalia, de prioribus operibus inquiritur an fieri possint ulla ejusmodi opera meris viribus naturæ et sine gratia medicinali—gratiam enim elevantem non esse necessariam per se notum est; de alteris inquiritur, non an ad ea necessaria sit gratia, hoc enim jam statutum est, sed quænam gratia necessaria sit.

2. De operibus naturalibus quæstiones esse possunt, 1°, An possit homo lapsus sine gratia cognitionem aliquarum veritatum ordinis naturalis comparare; 2°, An possit idem opera aliqua legis naturalis facere, vel, quod eodem recidit,

aliquas tentationes superare; 3°, An possit homo non solum lapsus sed etiam infidelis aliqua opera bona facere.

3. *Doctrina Novatorum.* Docuerunt Novatores 1°, hominem lapsum non posse sine gratia cognitionem ullius veritatis ordinis naturalis (infra, n. 10) comparare; 2°, neque ullum opus moraliter bonum facere posse; 3°, eum in hoc statu impotentiæ operandi bonum manere, usque dum recipiat fidem; et proinde omnia opera infidelium esse totidem peccata. Hos errores ex fundamentali principio derivarunt affirmante hominem lapsum esse penitus et omnino corruptum, tum in intellectu tum in voluntate. Eosdem errores, quoad substantiam (d. 2, n. 34), tenuerunt Jansenistæ, definitius affirmantes fidem esse primam gratiam, et proinde ante gratiam illam datam, qua excitante et adjuvante elicitur formalis actus fidei, nullam aliam gratiam impertiri: vid. prepositiones Baian. 25, 27, 29, 30, 35, 40, &c. Quesnell. 26, 27, 38, 39, 41, &c. et Pistoriens. 22, 23, 24. De eorundem erroribus circa fidelem peccatorem vid. infra, n. 13.

4. Sed sensum quorundam verborum in propositionibus sequentibus certum et definitum statuere non ita facile est: id enim a nullo quem vidi theologo clare efficitur. Et 1°, Quid significatur per hominem lapsum in Prop. 1, n. 16? Censeo 1°, significari hominem simpliciter lapsum, id est, cum solo originali, seu potius solo originali spectato, missis actualibus. Propositio ergo nihil affirmat de homine non solum lapso sed etiam peccatis actualibus onusto, v. g. obdurato, qui per plures annos cupiditatibus se dedidit indulgendis. Propositio id negat quod adversarii affirmant, nempe, originale per se ita penitus depravasse hominem. Nullus sane est quantumvis obduratus et obcæcatus, qui non recipit a Deo gratiam sufficientem ad cognoscendas

veritates primarias religionis naturalis, sive speculativas (v. g. existit Deus, &c.) sive practicas (v. g. Deus est colendus, &c.). Sed an, sine ulla ejusmodi gratia, habeat obduratus potentiam moralem illas veritates cognoscendi non affirmat propositio.

5. 2°. Significatur homo lapsus infidelis. Qui enim jam habet illarum veritatum scientiam, sive ex institutione naturali seu, ut ita dicam, philosophica, sive ex lumine fidei, plane extra casum est.

6. 3°. Significatur, primario saltem, infidelis negativus. Infidelis enim positivus is est, cui jam sufficienter propositæ sunt veritates istæ; de cujus ergo potentia eas cognoscendi, posita potentia infidelis negativi, nullum dubium esse potest.

*7. Si *dicas* non dari, ignorantiam invincibilem veritatum primariarum religionis naturalis, v. g. existentiæ Dei; et ergo, quoad istas veritates, non dari infidelem negativum. *Resp.* 1°. Ergo clarior et evidentior est veritas nostræ propositionis: omni enim infideli adeo expedita est harum veritatum investigatio, ut eas, si velit, naturæ viribus cognoscere potest; et sibi soli culpæ verti debet, si eas non cognoscat. 2°. Secundum communiorem et probabiliorem sententiam, etsi dari non potest atheismus negativus diuturnus vel per totam vitam, bene tamen ad tempus dari potest: quod etiam dicendum de infidelitate negativa circa ceteras veritates primarias. De hic videantur auctores in tract. de Deo et de Legibus.

*8. Nostro hoc seculo invectum est systema quod Traditionalismus appellatur. "Doctrinæ hujus sectatores non multum inter se ac sibi ipsis constant; quandoquidem nunc ad rationem universalem veluti supremum veritatis criterium, nunc ad auctoritatem generalem totius generis

humani, nunc ad traditionem constantem et perpetuam appellant. Quicquid sit, eos *traditionalium* nomine appellamus. Huic scholæ primordia dederat clariss. vir comes DE BONALD, de re Catholica optime meritus. Posthac vero novam nacta est formam in scriptis DE LA MENNAIS, unde Lamennaismus profluxit." PERRONE, de Locis, p. 3, n. 12, not. apud quem plenam habes illius systematis confutationem.

*9. Recentius ortum habuit aliud systema, quod a quibusdam Traditionalismus mitior vocatur, cujus enarrationem claram dat TONGIORGI, Psychologia, n. 458. Docet hoc systema "1°, Mentem humanam pollere quidem vi interna sibique propria; eamdem tamen, ut homo, qualis nunc nascitur, ad expeditum rationis usum perveniat, externo aliquo auxilio opus habere; 2°, Principia veritatum rationalium, metaphysicarum ac moralium a Deo conditore humanæ menti indita esse; ita tamen, ut solummodo confusus quidam harum veritatum sensus et vaga quædam apprehensio ipsi insit: ad hoc autem, ut homo claram, distinctam, certam Dei et veritatum moralium cognitionem sibi comparare possit, institutione aliqua sociali, sive per verbum, sive per scriptum, sive per gestum, sive per alia quæcumque media, quæ societatis commercium suppeditat indigere; 3°, Institutionem hanc non esse habendam ut efficientem causam, per quam homo ad expeditum suæ rationis usum perveniat, sed tanquam meram conditionem, sine qua non possit ad expeditum illum usum pervenire; 4°, Postquam homo suæ rationis usu reapse fruitur, sua sola ratione quamplurimas veritates naturalis ordinis assequi posse." Quid de hoc systemate senserit præclarus hic philosophus vid. ibid. Videantur et LIBERATORE, Metaphysica Specialis, n. 135, et "Revue des Sciences Eccle-

siastiques" (edit. BOUIX), vol. 1, p. 375, &c. vol. 5, p. 203, &c. vol. 6, p. 207. Sed controversia hæc jam extincta est, systemate isto a S. Sede, an. 1866, reprobato.

10. Quæritur 2°, Quid significatur per veritates ordinis naturalis? "Vocamus in præsenti," ait SUAREZ (l. 1, c. 1, n. 1), "naturalem veritatem, omnem illam quæ ad ordinem naturæ spectat, et per se loquendo, sine revelatione speciali, ministerio sensuum acquiritur, et, per species rerum quæ illis objiciuntur, proportionem habet cum lumine naturali intellectus, et sub objecto illi proportionato comprehenditur." Veritates religionis naturalis sunt veritates ordinis naturalis, et per se non ordinantur ad finem supernaturalem. Ratione seu evidentia intrinseca et sine revelatione demonstrari possunt. Non potest homo omnes ejusmodi veritates sine revelatione invenire (ex tract. de Religione): omnes ergo veritates, quæ ratione et sine revelatione inveniri possunt, ordinis naturalis sunt, quales sunt existentia Dei et vita futura; sed sunt aliæ veritates, quæ, etsi ordinis naturalis, non possunt cognosci, et præsertim non possunt clare et certo cognosci, sine revelatione, quales sunt quædam in metaphysica speciali et ethica. Sed veritates illæ supernaturales non sunt etsi eas comparare superat vires naturales.

11. Præter istas veritates religionis naturalis, quæ relationem intrinsecam habent ad ultimum finem hominis et in statu naturali et supernaturali, aliæ sunt veritates ordinis naturalis quæ ejusmodi relationem in nullo statu habent; quales sunt principia et regulæ artium mechanicarum, veritates mathematicæ. De his nulla hic quæstio est: talium veritatum cognitionem ingenio humano per se comparari posse adversarii non negant.

12. Quæritur 3°, Quid significatur per infidelem? "Duo

genera infidelium distinguere possumus; unum cognoscentium et colentium unum verum Deum per lumen naturæ vel traditione humana cognitum, ut sunt pagani, et potuerunt esse aliqui naturales philosophi, et in hoc ordine Judæos et hæreticos numeramus; aliud ignorantium verum Deum, et vel idola colentium, ut gentes, vel nullum cultum religionis habentes, ut athei." SUAREZ, c. 6, n. 1. Impotentiam faciendi bonum de utroque infideli affirmabant Novatores et Jansenistæ: dixerunt enim omnia opera infidelium (i. e. non habentium fidem supernaturalem) esse peccata, etiam theistarum, a fortiori atheorum. Quod autem inter se de natura fidei et modo justificationis dissentiebant, nihil ad præsentem materiam refert.

13. Hæc de infidelibus: de fidelibus peccatoribus affirmarunt Hussitæ, Novatores et Jansenistæ eorum opera non tantum non esse salutaria sed omnia esse totidem peccata; ut constat ex prop. Huss 16, Baian. 35, 40, Quesnell. 45, 59, Pistor, 23 et ex Trid. sess 6, can. 7:—"Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri; aut, quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare; anathema sit.

14. Etsi principia Novatorum et Jansenistarum diversa sint, ipsa tamen doctrina, ipse error idem omnino est. "Hoc intercedit discrimen inter utrumque systema, quod juxta theoriam Novatorum actiones peccatorum totidem peccata sint ex principio intrinseco naturæ corruptæ et infectæ per concupiscentiam, in qua consistit qualitas positiva, et formalis ratio peccati originalis, quod se manifestat in singulis hominis lapsi actionibus; juxta theoriam vero Jansenistarum hoc provenit ex principio extrinseco et hominem excitante ad peccandum in singulis actionibus

per cupiditatem dominantem. Hac de causa autumarunt Janseniani doctrinam suam minime fuisse per Tridentinum canonem in Novatores latum proscriptam. Sed frustra; cum enim conclusio eadem sit, parum interest an principia ex quibus dimanat diversa sint, ut patet ex nota, quæ inusta fuit propositioni nuper relatæ [23] Synodi Pistoriensis." PERRONE, n. 160.

15. *Doctrina Catholica.*—Contra hos omnes errores docet doctrina Catholica " 1°, hominem lapsum posse sine gratia aliquas ordinis naturalis veritates cognoscere, et opera saltem faciliora naturalis honestatis peragere, levesque superare tentationes, ac propterea non omnia infidelium opera totidem esse peccata ; 2°, Ante collationem fidei concedi seu tribui a Deo gratias necessarias, quibus instructus homo lapsus possit difficiliora opera moralis ordinis efficere, et graves vincere tentationes; 3°, Fidem posse subsistere sine charitate, ac propterea peccatorem fidelem per gratias, quæ ipsi a Deo tribuuntur, posse se disponere ad justificationem recuperandam; 4°, Quamvis autem opera, quæ fidem seu fidei vocationem præcedunt, sint tantum ordinis naturalis (etsi non absque aliquo gratiæ auxilio patrata), ideoque sterilia in ordine ad salutem, non tamen peccata esse ; 5°, Multo minus peccatis esse accensenda opera supernaturalia, id est, quæ fidem subsequuntur et gratiæ opera sunt parta a peccatore, quamvis nondum sint meritoria in ordine ad vitam æternam, utpote patrata ante justificationem." *Idem*, n. 102.

§ 2. *Probatur Doctrina Catholica.*

16. PROPOSITO I. ***Potest homo lapsus, solis viribus naturalibus, sine gratia interna aut revelatione, quasdam veritates religionis naturalis cognoscere.***

17. *Argumenta ex S. Scriptura.* ARGUMENTUM I. "Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam. Non sunt loquelæ neque sermones quorum non audiantur voces eorum." &c. Psalm. xviii. 2, &c. Mundus hic aspectabilis, per se et ut oculis contemplatus, mentibus omnium claram (in quantum haberi potest) et certam ingerit notitiam existentiæ Dei et attributorum ejus, infinitæ potentiæ, sapientiæ, pulchritudinis, &c. Ergo potest homo lapsus, &c. Consequentia patet: si enim ex ipso solo conspectu mundi cognitio istarum veritatum comparari potest, ipsa ratio omnibus sanæ mentis insita docet v. g. primaria officia erga tantum creatorem et dominum omnium. Antecendens patet ex mera enarratione textus. Ex ipsa contemplatione cœlorum, solis, lunæ, stellarum ; eorum mirabilis varietatis, splendoris ordinisque semper constantis ; facile, quasi id alta voce isti cœli enarrarent et annunciarent, colligitur summam esse majestatem, felicitatem omnimodamque perfectionem ("gloriam") Dei, et maxime illa omnia esse ab eo creata ("opera :" "cœli" et "firmamentum" idem sonant): ita ut, quasi iterum ore plano indutæ, dies singulæ diebus insequentibus et noctes noctibus hæc in perpetuum declarent ; et ita perspicue declarent ut nullus sit populus, cujuscumque linguæ, sive barbarus sive excultus, qui declarationem istam non

audiat. Aliæ interpretationes versiculi 3 et 4, quæ tamen omnes, quod ad sensum dogmaticum attinet, eodem redeunt, vid. apud MENOCH. in loc.

18. ARGUMENTUM II. "In præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas: et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et lætitia corda nostra." Act. xiv. 15, 16. Etsi Deus, non elargiendo gratias illas uberes quas Ecclesiæ Christi servavit, gentes permisit sese in profundum erroris conjicere ("ingredi" i. e. suo proprio motu libero); dedit tamen illis signa plura, clara et continua suæ summæ potentiæ, sapientiæ, providentiæ et benignitatis. Illa enim beneficia tam magna et universalia et perpetua nonnisi a causa infinite potente, sapiente, providente et benigna provenire possunt. Bene ergo ex his comparare potuerunt notitiam Dei et attributorum ejus. "Sunt autem philosophi . . . . qui Deorum mente atque ratione omnem mundum administrari et regi censeant: neque vero id solum, sed etiam ab iisdem vitæ hominum consuli et provideri: nam et fruges et reliqua quæ terra pariat, et tempestates, ac temporum varietates, cœlique mutationes, quibus omnia quæ terra gignat maturata pubescant, a Diis immortalibus tribui generi humano putant." CICERO, de Natura Deorum, l. 1, c. 2.

19. ARGUMENTUM III. "Revelatur enim ira Dei de cœlo, super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent [quasi captivam tenentes in carcere seu vinculis suæ improbitatis]: quia quod notum est Dei [notitia Dei seu quod de Deo, utique per rationem et sine revelatione, cognoscitur] manifestum est in illis. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi [ab ipso mundo inspecto, vel ab initio mundi usque

huc], per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas: ita ut sint inexcusabiles." Rom. i. 18–20. Duplici modo hic nostram doctrinam significat S. Paulus; 1°, affirmando ethnicos, etsi sine revelatione, Deum ignorantes non ideo immunes esse a poena, immo ob illam ipsam ignorantiam esse plectendos: non autem plecterentur ob ignorantiam nisi vincibilem; vincibilis vero non esset, nisi possent cognoscere veritates sic ignoratas: 2°, directe et diserte affirmando existentiam et attributa Dei adeo plane ex hoc mundo aspectabili colligi posse, ut qui istas veritates ignorant vere inexcusabiles sint.

20. Alia sunt ejusmodi argumenta ex Scriptura: Job. xxxvi. 25; Sapient. xiii. 1, 5; Rom. ii. 14, 15; &c.

Argumenta ex Patribus.

21. "Hoc ipsum omnia cognoscunt, quando ratio mentibus infixa moveat ea, et revelet eis, quoniam est unus Deus, omnium Dominus." S. IRENÆUS, l. 2, c. 6, n. 1.

22. "Quis ambigat, hanc sapientiam [de qua Ecclesic. xxiv. 5, &c.] humano generi ad temporalis vitæ utilitatem, ex naturæ a Deo conditæ superesse reliquiis? Si enim nec ad ista terrena ordinanda rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata esset sed extincta natura." S. PROSPER, Liber contra collatorem, c. 10, n. 3.

23. "Stultus in corde suo dicit, 'Non est Deus;' quia si vellet verbis oris hoc eloqui, stultus esse, sicuti est, publici assensus judicio argueretur. Quis enim mundum contuens Deum esse non sentiat?" S. HILARIUS, in Psalm. lii. n. 2.

24. "Interroga mundum, ornatum cœli, fulgorem dis-

positionemque siderum, solem diei sufficientem, lunam noctis solatium : interroga &c. . . . . Interroga omnia, et vide si non sensu suo tanquam tibi respondent : Deus nos fecit." S. AUGUST. Sermo 141, n. 2.

25. PROPOSITIO II. *Potest homo lapsus, non habens fidem supernaturalem sed sciens Deum naturaliter, aliqua opera moraliter bona facere.*

*26. *Argumenta ex Scriptura.* Jusserat rex Ægypti obstetrices interficere masculos infantes Hebræos. "Timuerunt autem obstetrices Deum, et non fecerunt juxta præceptum regis. . . . . Bene ergo fecit Deus obstetricibus. . . . . Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos." Exod. i. 17, 20, 21. Istæ obstetrices mulieres erant Ægyptiæ, et, sicut ceteri Ægyptii, carentes vera fide et etiam idololatræ. Et tamen fecerunt opus bonum : Deus enim, qui non remunerat pro peccato, eas remuneravit, ædificando eis domos, i. e. secundum interpretationem probabiliorem, dando eis prolem multam et opulentam. Eas autem credidisse in Deum, fide utique naturali, patet ex textu.

*27. Sed contra, tantum abest ut constet mulieres illas caruisse vera et salutari fide, multo minus fuisse idololatras, ut mihi valde probabile videtur eas etiam justas fuisse forsan fide salutari imbutas ex consuetudine familiari, quam, pro munere suo obstetricio, cum Hebræis mulieribus piis habebant. Etenim 1°, magnum subierunt periculum, fortasse etiam vitæ, ex ira immanis illius regis et id non ex motivo aliquo humano sed ex timore Dei. 2°, Passim et innumeris locis S. Scripturæ timentes Dominum ut justi

exhibentur, et vice versa; mandando timorem Dei mandatur sanctitas, laudando timentes Deum laudantur ut sancti; adeo ut timere Deum et esse justum quasi idem sonent.

*28. Hanc interpretationem tenere videtur S. HIERONYMUS in Isai. lxv. 21, 22. Etsi autem, si hæc vera sint, obstetrices meruerint præmium cœleste, hoc tamen non memoratur; etenim "in veteri testamento Deus illud cœleste præmium non solet exprimere; quia Judæis rudibus et carnalibus fere tantum proponit præmia temporalia, eaque quinque, &c. . . . . Expressa enim regni cœlestis et vitæ æternæ promissio propria est novi testamenti et Evangelii Christi, ait S. HIERON. ad Dardanum." A. LAPIDE in loc. vers. 21. Ex his ergo apparet argumentum ex hoc textu incertum esse (ut SUAREZ sentire videtur, l. 1, c. 6, n. 6), seu potius plane nullum.

*29. Idem dicendum esse censeo de argumento quod a quibusdam profertur ex Josue, ii. Etsi enim incertum sit utrum Rahab fuerit per contritionem justificata post receptos exploratores et ante eos absconditos aut in iis abscondendis (quod mihi valde probabile est, præsertim ex Jacob. ii. 25 et etiam aliquantulum ex Heb. xi. 31), an vero postea cum Ecclesiæ Judaicæ consociata esset (Josue, vi. 25; Matt. i. 5); satis tamen patet eam, quo tempore abscondebat exploratores, fidem habuisse veram et infusam, imo fidem valde firmam. 1°. Incredibile est eam non solum suam patriam et populares suos tanto studio prodidisse, et id in gratiam duorum externorum sibi antea ignotorum; sed etiam grave periculum vitæ suæ et suorum subiisse; nisi ex signis certis ea quæ ventura essent didicisset, et hæc eâ absoluta et omnimoda firmitate fidei credidisset, quæ ex sola gratia et quidem eximia haberi potest. 2°. Quod etiam ex ipsis verbis constat quæ habuit Rahab

ad exploratores jam in latebris abditos:—"Novi quod Dominus tradiderit vobis terram. . . . Audivimus quod siccaverit Dominus aquas maris rubri ad vestrum introitum, ... Et hæc audientes pertimuimus, et elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum: *Dominus enim Deus vester, ipse est Deus in cœlo sursum et in terra deorsum.*" Vers. 9-11. Videantur A. LAPIDE in huuc locum, et ipse et ESTIUS in locos Jacob. et Hebr, et SUAREZ, l. 8, c. 22, n. 15. Si vero quæras quomodo factum est ut ceteri istis signis commoti non crediderint, responsio in promptu est; quia non receperunt illam magnam gratiam internæ illuminationis et inspirationis, quam illa recepit; vel si receperint, ei restiterunt.

30. Argumentum valde probabile cogi potest ex Ezech. xxix. 20:—"Dedi ei terram Ægypti pro eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus;" et etiam ex 1 Machab. viii. 1, &c. ubi commemorantur virtutes quædam Romanorum. Sed etiam hi loci suis difficultatibus non carent; quas tamen hic excutere nimis longum esset.

31. Si *quæras*, Cur sæpius Scriptura non laudet ista opera moraliter bona in infidelibus? *Resp.* Quia finis Scripturæ et totius revelationis Dei est erigere homines ad ea opera facienda, quæ sola conducunt ad finem nostrum assequendum, nempe, opera salutaria; et avertere ab iis operibus, quibus solis finis iste amittitur, nempe peccaminosis. Opera ista pure moraliter bona sunt prorsus extra scopum S. Scripturæ, extra rem, non minus quam res mathematicæ. Quatenus bona sunt, nullius pretii sunt in ordine ad finem nostrum, magis quam bonus saltatus aut bonus cantus. Hæc eorum sterilitas id est quod de iis maxime nostra interest cognoscere; et id ergo

est quod sæpius et clarius inculcat Scriptura, ut constat ex d. 3.

32. *Argumenta ex Patribus.* "Multi absque fide et Evangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua, vel sancte [i. e. sanctitate naturali, moraliter bene]; ut parentibus obsequantur; ut inopi manum porrigant; non opprimant vicinos; non aliena diripiant." S. HIERON. in Galat. i. 15.

33. "Naturæ humanæ, cujus creator est Deus, etiam post prævaricationem manet substantia, manet forma, manet vita et sensus et ratio ceteraque corporis atque animi bona, quæ etiam malis vitiosisque non desunt: sed non in his habet veri boni perceptionem, quæ [bona ista corporis et animi] mortalem vitam honestare possunt, æternam autem conferre non possunt. Neque enim ignotum est, quantum Græcæ scholæ, Romanana eloquentia," &c. S. PROSPER, contra Collatorem, c. 12, n. 4. Ex exemplis adductis philosophorum Græcorum et Romanorum patet S. Patrem de infidelibus sermonem habere.

34. "Caritas alia est divina, alia humana: alia est humana licita, alia illicita. . . . . Licita est humana caritas, qua uxor diligitur: illicita, qua meretrix vel uxor aliena. . . . . Liceat vobis humana caritate diligere conjuges, diligere filios, diligere amicos vestros, diligere cives vestros. . . . . Sed videtis istam caritatem esse posse et impiorum, id est, paganorum, Judæorum, hæreticorum." S. AUGUSTINUS, Sermo 349, c. 1, 2.

35. Argumentum ex ratione, quo sequens firmatur propositio, hic urget a fortiori.

36. PROPOSITIO III. *Potest homo etiam prorsus nesciens Deum aliqua opera moraliter bona facere:* "licet," addit SUAREZ (l. 1, c. 6, n. 9), "raro fortasse id faciat."

37. "Hæc sententia," ait idem SUAR, ibidem, "minus certa est quam præcedens : quia neque ex Scriptura aliquid de hoc certum habemus, neque in Conciliis. Nam Tridentinum, sess. 7, canon. 7, solum damnat dicentes omnia opera quæ ante justificationem fiunt esse peccata. Ubi per justificationem sine dubio non intelligit totum cursum justificationis a prima vocatione usque ad gratiæ sanctificantis infusionem : quia de tempore ante vocationem nunquam Concilium tractavit, nec erat necessarium ad doctrinam fidei, sed tantum docuit in cap. 5 exordium justificationis a vocatione sumendum esse; et postea, cap. 7, nullam mentionem facit operum ante vocationem ad fidem, sed tantum dixit, 'Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati et adjuti fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes,' &c. Deinde licet Pius et Gregorius damnent propositionem Baii, 'Omnia infidelium opera esse peccata,' subsistere potest doctrina Pontificum, etiamsi isti infideles ignorantes Deum nullum bonum opus facere possent: quia ut illa universalis assertio falsa sit in quocumque gradu, satis est quod in eodem gradu sit verum, infideles cognoscentes Deum posse sine peccato operari, vel, clarius loquendo, posse aliqua bona operari."

38. Textus patrum supra allati, 32–34, et hanc propositionem probant. Solidum quoque est argumentum ex ratione, in iisdem textibus insinuatum, quodque sic pro infidelibus in genere proponit PERRONE, n. 142 :—"In

hypothesi adversariorum infidelis qui sibi vim inferret ad superandam vitiosæ naturæ inclinationem, qui commiseratione commotus stipem indigenti tribueret, qui proximum ab imminenti mortis periculo liberaret, qui obsequeretur parentibus, ipsorum necessitatibus subveniret, atque id genus alia perageret, deterior fieret coram Deo. Consulendum proinde ei esset, quum nullo præsertim impellitur præcepto, ut ab iis se retraheret, ne in peccatum incideret ac poenam inde promeritam incurreret; quæ quam absurda sint, societati perniciosa atque a communi hominum sensu et æstimatione aliena, nemo est qui non videat. Deinde quid vetat, quominus homo, recta ratione utens, actionem eliciat, quæ ex se, seu quoad suam substantiam, bona sit ac honesta, et ex honesto fine *ipsi quodammodo insito*, cujusmodi esset stipem erogare ad alienam sublevandam inopiam? Nonne in hoc aut alio simili casu actio honesta tum ex officio tum ex fine proximo haberetur? Porro finis, qui proxime bonus est, *pondere, ut ita dicam, suo fertur in finem bonum ultimum, eumque saltem virtualiter, ut aiunt, includit.* Sic præripitur adversariis præcipuum fundamentum, quo adducuntur ad asserendum nulla ab infideli opera elici posse, quæ non sint inquinata peccato."

39. PROPOSITIO IV. *Fidelis in statu peccati potest facere opera non tantum moraliter bona, sed etiam, adjuvante gratia, salutaria.*

40. Prima pars sequitur ex præcedentibus; si enim peccator carens fide infusa potest facere opus moraliter bonum, a fortiori potest peccator fidelis. Manifesta est etiam ex secunda parte hujus propositionis. Probatur ergo ista secunda pars.

41. *Argumenta ex Scriptura.* ARGUMENTUM I. ex singulis locis in quibus peccatores exhibentur ut per opera poenitentialia vel solo actu contritionis veniam peccatorum et gratiam justificantem recipientes: ista enim opera vere et valde salutaria sunt, quibus mediantibus obtinetur venia peccatorum etiam ingentium. Exemplum habes in David, 2 Reg. xii. 13:—"Dixit David ad Nathan: Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque transtulit peccatum tuum." Etsi brevis sit illa locutio, "peccavi Domino," ex corde tamen profecta est contritione summa correpto; ut constat ex Psalmo "Miserere" et aliis Psalmis poenitentialibus. Alia exempla habes in eodem David, ibid. xxiv. 10; in Manasse, 2 Paralip. xxxiii. 12, 13; in S. Petro, Matt. xxvi. 75; in latrone bono, Luc. xxiii. 40–43; &c.

42. ARGUMENTUM II. ex locis, in quibus incitantur peccatores ad poenitentiam de peccatis suis, ut per eam a Deo accipiant istorum peccatorum remissionem: ut in Ezech. xviii. 30:—"Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris; et non erit vobis in ruinam iniquitas." Item in Isai. i. 16–18; xlv. 22; Jerem. iii. 12–14; &c., &c.

*43. Argumentum a quibusdam ex Act. x. 1, &c. eductum censeo prorsus infirmum esse. Multa enim valde suadent istum Cornelium centurionem non solum peccatorem non fuisse sed etiam eximie religiosum fuisse. Hoc ex solo vers. 2 (ut alia non levia prætermittam) clarum esse videtur:—"Cornelius . . . religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper." Vocatur 1°, vir religiosus, ευσεβης, simpliciter: credo autem nusquam in S. Scriptura aut hoc vocabulum aut nomen ευσεβεια (cum sermo est de

pietate erga Deum) adhiberi nisi de homine justo. 2°. Vocatur vir timens Deum: vid. supra, n. 27. 3°. Dicitur totam ejus domum fuisse religiosam ac timentem Deum: quo non obscure significatur rem ita, eo curante, se habuisse. 4°. Dicitur eum large eleemosynas dedisse; et 5°, in oratione ad Deum constantem et perseverantem fuisse. Quæ omnia, præsertim si conjuncta spectentur, hominem plane significant egregiæ sanctitatis.

44. *Argumenta ex ratione theologica.* I. "Si omnes actiones ante justificationem elicitæ vitiatæ et corruptæ essent ac totidem peccata [aut non possent esse salutares, sed ad summum possent esse tantum moraliter bonæ], præcluderetur omnis via peccatoribus sese converetendi, sese in Dei gratiam recipiendi ac sese disponendi ad justificationem: quæ omnia absurda sunt ac universam justificationis oeconomiam labefactant. II. Accedit quod falsa sunt principia, ex quibus profluit doctrina Novatorum et Jansenistarum; nempe aut peccata actualia non esse nisi manifestationes peccati originalis, quod perpetuo homini lapso inhæreat ut positiva qualitas, quæ inficiat omnes ejusdem hominis lapsi actiones, ut Novatores autumant; aut hominem peccatorem semper operari ex cupiditate dominante, quæ corrumpat omnes ejusdem actus, ut contendunt Jansenistæ; cum sæpe sæpius neque justi agant juxta sanctitatis normam, neque peccatores juxta cupiditatis influxum." PERRONE, n. 164.

§ 3. *Solvuntur Objectiones.*

45. Objectiones contra Propositionem primam. *Object.* 1. Intellectui hominis lapsi grave vulnus ignorantiæ uni-

versæ inflictum est. Intellectus sic vulneratus nullam veritatem, saltem ut certam, nisi adjutus, invenire potest.

46. *Resp.* "Ignorantiæ vulnus non abstulisse potentiam cognoscendi veritates omnes naturales, sed abstulisse tum supernaturalem cognitionem, tum etiam speciale auxilium seu privilegium recte cognoscendi, datum in statu innocentiæ ultra meram possibilitatem naturæ. Unde hoc vulnus non reddit hominem lapsum impotentiorem ad cognoscendum quam esset in pura natura: sed nunc est vulnus ignorantiæ, quod tunc esset pura nescientia, vel difficultas sciendi homini connaturalis." SUAREZ, l. 1, c. 1, n. 19.

47. *Object.* 2, contra hanc et sequentes propositiones, secundam et tertiam, ex textibus, in quibus affirmatur nos omnia habere a Deo, et nihil posse facere aut cogitare, nisi Deo adjuvante: vid. textus, d. 3, n. 35, &c.

48. *Resp.* In illis textibus sermo est de operibus salutaribus, ut ibidem ostensum est, et de necessitate gratiæ ad ea præstanda. Si vero alii objiciantur textus, in quibus sermo non est de opere aut scientia salutari; "dico breviter nihil esse in homine quod non sit a Deo, non tamen omnia eodem modo; nam quædam sunt ab illo ut auctore gratiæ, quædam ut auctore naturæ, sine speciali liberalitate ultra naturæ debitum; et talis esse potest cognitio unius vel alterius veritatis." SUAREZ, ibid.

49. Objectiones Traditionalistarum vid. apud PERRONE, de Locis, p. 3, n. 46, &c. Objectiones contra Propositionem secundam et tertiam. *Object.* 3. "Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit." Matt. vi. 22, 23. Per oculum ibi parabolice significatur fides—utpote qua tota anima illuminatur. Ergo, ex secundo

membro textus, sine fide anima penitus tenebrosa est, i. e. vitiata, et ergo nullum bonum facere potest.

50. *Resp.* 1°. Quicquid oculus per similitudinem significat, fidem sane non significat : *tum* quia tunc collatio non esset inter oculum purum et oculum impurum, sed inter oculum purum et oculum nullum seu prorsus cæcum ; *tum* quia in hoc sermone Christi, ad discipulos habito, nulla erat occasio loquendi de effectibus infidelitatis ; et in hoc capite sexto fere totus est Christus in factis pharisæorum reprobandis.

51. 2°. Duplex est Patrum et interpretum sententia. Prima dicit per oculum significari judicium intellectus practicum : et revera ex ejusmodi judicio pravo seu conscientia erronea (utique vincibiliter erronea, quæ etiam falsa vocatur) incredibile est quantum tota vita male inficiatur. Altera sententia dicit per oculum significari intentionem : et hæc mihi probabilior esse videtur : *tum* quia in "toto capite, a vers. 1 hucusque, Christus egit de recta intentione, eamque requisivit in eleemosyna, oratione et jejunio, hoc est, in omni opere bono" (A. LAPIDE) ; *tum* quia comparatio in hac interpretatione est valde propria et concinna et communi usu loquendi fundata. Qui enim scopum v. g. sagitta ferire velit ipsam sagittam oculo dirigit, et, si recte dirigat, bene oculatus esse dicitur ; ita et qui opus vere bonum et salutare facere velit, oportet ut primum omnium ipsum opus in finem bonum, quasi oculo mentis, dirigat. Hinc usu venit ut elevatio oculorum in cœlum sit ejusmodi bonæ intentionis signum externum. Verumtamen censeo utramque interpretationem optime posse in unum componi et conjungi, et alteram in altera comprehendi.

*52. *Object.* 4. Si possit infidelis iste aliquid bonum

facere, a fortiori potuit Judæus sub veteri lege, ipsa lege auxiliante. Sed tantum abest ut lex adjuvaret, ut e contrario nova esset causa peccati:—"Lex enim iram operatur:" "Lex autem subintravit ut abundaret delictum." Rom. iv. 15; v. 20.

*53. *Resp.* Distinguo: Lex per se spectata et sine gratia, prout eam hic spectabat Apostolus (d. 10, n. 71, &c.), fuit causa peccati: Nego vel Esto: Fuit occasio peccati: Subdistinguo: Eo sensu quod, sine gratia impossibile fuit hominibus totam legem aut præcepta ejus graviora servare: Concedo: Eo sensu quod homines, sine gratia, non potuerunt quædam ejusdem legis, sicut et legis naturalis (de qua sola hic quæstio est), officia, nempe faciliora, exsequi: Nego. S. Paulus hic loquitur ad mentem Judæorum conversorum, quos in hac epistola impugnat, qui quemdam valorem in ipsa lege, per se et præcisa gratia, ponebant, ut loco citato videbitur. Non tamen eo modo de facto data est, sed cum gratiis uberrimis, etsi ei non propriis: ut constat ex multis et magnis sanctis, qui sub ea floruerunt. Si vero plures in peccato demersi sunt, id non fuit ex defectu gratiæ proxime vel remote sufficientis, sed quia, quod a tot hominibus quotidie fit, gratiis male usi sunt. Ceterum, utrum lex illa positiva quadamtenus sine gratia servari potuerit an non, quæstio est hic, ut dixi, de sola lege naturali.

54. *Object.* 5. "Omne autem quod non est ex fide peccatum est." Rom. xiv. 23. In infideli nullum esse potest opus ex fide: ergo omnia ejus opera sunt peccata.

55. *Resp.* Distinguo verum sensum textus a falso: Omne opus quod non est ex fide qua operans credit illud opus esse licitum, id est, omne opus quod non est secundum dictamen conscientiæ, peccatum est: Concedo: Quod

non est ex fide theologica infusa: Nego. S. Paulum non de hac sed de illa fide loqui patet ex præcedentibus etiam in eodem versiculo :—" Qui autem discernit [cibum illicitum a licito—licet falso ita discernit, cum jam nullus sit cibus illicitus] si manducaverit [cibum quem judicat esse illicitum], damnatus est: quia non ex fide [quia non manducat ex persuasione, εκ πιστεως, quod liceat manducare]. Omne autem " &c. ut supra.

56. *Object.* 6. "Omnia munda mundis: coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum: sed inquinatæ sunt eorum et mens et conscientia." Tit. i. 15. Si nihil infidelibus mundum est, ergo nullum bonum facere possunt.

57. *Resp.* 1°. Sicut mundis omnia ita munda non sunt, ut aliquando non admittant peccata venialia; ita et immundis non omnia ita immunda sunt, ut aliquando non faciant opera bona faciliora, 2°. Increpat hic S. Paulus Christianos Judaizantes, ut manifestum est ex versiculis immediate præcedentibus, 10–14. Etsi mentionem non faciat explicitam ullius fabulæ Judaicæ in particulari, sine dubio tamen, in vers. 15 objecto, ad istam superstitionem alludit, quæ quosdam cibos vetuit, vel tanquam in se immundos, vel propter interdictum legis veteris in hoc adhuc ligantis aut traditionis pure humanæ: quam superstitionem alibi non semel dure insectatur. Sensus ergo est, Christianis, qui norunt nullum esse cibum aut in se immundum aut ut sic a Deo prohibitum, omnis cibus est mundus. Judaizantibus nullus est cibus mundus: etenim "putant, juxta legis Mosaicæ præscriptum, sibi a carne suilla, v. g., abstinendum: vel ergo abstinent ab illa, et sic contra fidei veritatem peccant superstitione; vel non abstinent, et sic peccant contra conscientiam dictantem

sibi abstinendum esse. Hoc significant Apostoli verba: 'inquinatæ sunt eorum mens et conscientia;' *mens*, per errorem suum; *conscientia*, per peccatum, quod erroris sui fructus et effectus est." PICONIUS, in loc.

58. *Object.* 7. "Sine fide autem impossibile est placere Deo." Heb. xi. 6. Qui facit opus moraliter bonum placet Deo: infidelis, ex textu, non potest placere Deo; ergo nec potest ejusmodi opus facere.

59. *Resp.* Distinguo majorem: Qui facit opus moraliter bonum placet Deo in ordine supernaturali, præstando opus in isto ordine meritorium vel quovis modo salutare: Nego: Placet in ordine naturali, id est, non displicet: Concedo. Omnia quæ in mundo sunt vel fiunt, singula suo modo, bona sunt; et nihil est in iis quod displicet Deo—peccato et peccatore solis exeptis. Sed ut opus aliquod placeat Deo modo salutari, de quo solo modo placendi sermo est in textu, debet esse ex fide et gratia.

60. *Object.* 8. "Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitæ." 1 Joan. ii. 16. Per mundum ibi significantur, maxime saltem, ii qui carent fide.

61. *Resp.* 1°. Omne, id est, omne moraliter, plerumque, secundum usum loquendi universalem. 2°. Distinguo aliter: Omne quod est in mundo, ut mundo; omne quod est in hominibus malis, qui principia prava sequuntur et cupiditatibus suis indulgent, ut sic agentibus: Concedo: Quasi semper et in omnibus suis operibus ita necessario, vel etiam de facto, agant: Nego. Nullomodo ad propositum Apostoli pertinebat memorare opera moraliter bona hominum mundanorum parva et pauca: imo potius debuit omnem eorum mentionem prætermittere, utpote quæ sterilia fuere et non digna imitatione; et animos fidelium

ad istorum hominum vitia convertere, quæ in illis infinite magis abundarunt, summe periculosa et summopere devitanda. 3°. "Si tamen cum aliis expositoribus intelligamus per mundum hanc rerum universitatem, sensus erit, nihil esse in mundo, nisi objecta luxuriæ, avaritiæ et superbiæ; et ideo non esse diligendam creaturam, sed creatorem, in quo est objectum veræ perfectæque felicitatis." BELLARM. de Gratia et lib. arb. l. 5, c. 10.

62. *Object.* 9. Ut opus sit bonum, debet dirigi in Deum ut finem ultimum, ut constat ex 1 Cor. x. 31:—"Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite;" et ex Colos. iii. 17. Sed infidelis non potest ullum opus isto modo dirigere.

63. *Resp.* S. Paulus solos fideles alloquitur. Insuper loquitur de operibus salutaribus, non autem de operibus mere moraliter bonis, et ideo in ordine ad salutem prorsus sterilibus.

64. *Urgetur* 1. Jure naturali tenentur omnes creaturæ intellectuales suas actiones deliberatas in Deum, unicum finem ultimum, referre: alioquin in creaturam referrent, proprium commodum, voluptatem, &c. Sed infideles non possunt ita suas actiones referre.

65. *Resp.* 1°. Ergo non peccant non ita referendo, cum non possint referre. 2°. Distinguo majorem: Tenentur referre explicite vel implicite: Concedo: Explicite semper: Nego: quotiescumque autem actum alioquin bonum ex dictamine rectæ rationis ponunt, eo ipso et vi termini illud implicite referunt in Deum, qui illius dictaminis auctor est. "Non est necesse omnia referre in Deum explicite: sed satis est si opus referatur in bonum finem proximum: tunc enim per se dirigetur in Deum, ut in ultimum finem. Sicut enim omne agens particulare agit in virtute

primi motoris, id est, Dei; sic etiam omnis bonus finis movet in virtute ultimi finis. Alioqui non solum infideles, sed etiam fideles et justisimi quique, semper peccarent: cum, inter operandum, de Deo non cogitant, sed operantur quia ratio dictat esse bonum et faciendum. Itaque, nisi apponatur circumstantia finis mali, omne opus bonum morale per se refertur in Deum, etiamsi auctor operis id non cogitet vel intendat." BELLARM. ibid. c. 9.

66. *Urgetur* 2. Cum in usum rationis habentibus, secudum sententiam meliorem, non potest esse, saltem ad longum tempus, ignorantia Dei invincibilis; ergo in eo certe peccant infideles quod nullam actionem ad Deum explicite referant.

67. *Resp.* 1°. Esto: sed non sequitur eum peccare in actibus illis, qui, ut jam dictum est, ex se et natura implicite in Deum referuntur: quod solum nos negamus. 2°. Nego consequentiam: "nam obligatio circa Deum est ordinata; et homo prius tenetur indagare existentiam veri Dei, quam suas actiones ad eum referre. Adeoque quando infideli aliquid incidit de existentia veri Dei, ille non tam peccat ex eo quod suas actiones ad eum immediate et explicite non referat, quam quod ejus existentiam non indaget." STRUGGL, d. 4, q. 2, a. 2, n. 6.

68. *Object.* 10. Ipsa infidelitas in omnem actum infidelis influit necessario, eumque sic vitiat.

69. *Resp.* Nego. "Hæc conditio personæ operantis non est necessaria circumstantia operationis ejus, sed tantum concomitanter se habet: quia, licet sit infidelis, non operatur ut infidelis, neque ex aliquo errore, sed ut naturali ratione utens. Sicut de peccatore fideli dicendum etiam est, licet malitiam habitualis peccati habeat, illam

non esse circumstantiam boni actus; quia nullo modo in illum influit." SUAREZ, l. 1, c. 6, n. 13.

*70. *Object.* 11. Si opus bonum, sine auxilio speciali et cum solo concursu generali, fieri potest; ergo æqualiter et non amplius concurrit Deus ad opus bonum atque ad opus malum. Sed hoc est falsum.

*71. *Resp.* Distinguo: Concurrit æqualiter concursu physico: Concedo: Concursu morali: Nego. "In bonis actibus per illum concursum Deus attingit physice bonum actum, quatenus bonus est, id est, efficiendo ipsam bonitatem: in peccato vero, licet efficiat actum, non efficit malitiam ejus, quæ privatio moralis est. Deinde, est in morali modo differentia: nam actum bonum efficit Deus intendendo illum, malum autem permittendo. Denique, est etiam diversitas in morali causalitate: nam actum bonum vel præcipit, vel consulit, vel approbat, vel etiam ad illum excitat; malum autem minime, sed tantum non impedit nec negat concursum suum: et ideo simpliciter est auctor actus boni, non mali." SUAREZ, ibid. c. 22, n. 1.

*72. De peccato in materia gravi infidelis, qui invincibiliter ignorat Deum (quod vocant peccatum philosophicum), an esset peccatum mortale et dignum poena inferni æterna, vid. LUGO, de Incarnat. d. 5, s. 5 et 6; CROIX, l. 5, n. 25, et auctores ab illis citati. Communis est sententia negans: quia, etsi peccatum illud sit vere offensa Dei, non est tamen formalis sed materialis tantum: nemo enim eum formaliter offendit, quem invincibiliter ignorat: sed non est peccatum mortale et theologicum sine offensa Dei, in qua malitia ejus, quodammodo infinita, consistit. Inter recentiores de hoc vid. DMOUSKI, Philosophia Moralis, n. 39, &c. Quomodo autem hæc doctrina conveniat cum

damnatione prop. 2 Alexandri VIII. vid. apud eundem CROIX, n. 58.

73. Objectiones contra Propositionem quartam. *Object.* 12. "Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum." Psalm. xiii. 4. Sermo est hic de peccatoribus sive fidelibus sive infidelibus: sed sane illi, de quibus talia vera sunt, nullum opus bonum, multo minus salutare facere possunt.

74. *Resp.* 1°. Certe verba intelligi non possunt in sensu universali quem præ se ferunt, de omnibus hominibus tunc existentibus: non enim omnes, usque ad unum, erant peccatores. 2°. Inter varias interpretationes illa anteponenda esse videtur, quam insinuat S. Paulus, proferens hunc locum, Rom. iii. 12:—"Causati sumus Judæos et Græcos omnes sub peccato esse: sicut scriptum est: Quia non est *justus* quisquam. . . . . Omnes declinaverunt, simul" &c. ut supra. Spectantur ergo homines ut ante fidem et gratiam acceptam, et ergo prorsus impotentes ad aliquod bonum salutare faciendum: quomodo eos spectat S. Paulus in illa Epistola: supra, n. 53. Quod autem non potuerint quædam opera moraliter bona facere, in hoc loco Scripturæ nec affirmatur nec negatur, utpote quod ad rem nihil attinebat: supra, n. 31.

75. *Object.* 13. "Victimæ impiorum abominabiles Domino: vota justorum placabilia." Prov. xv. 8. "Ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi. . . . Iniqui sunt cœtus vestri:" &c. Isai. i. 13. Similia in aliis locis V. T. habentur. Tantum abest ut peccatores opera salutaria facere possint, ut opera etiam moraliter bona facere non possunt. Si enim opera non solum in se bona sed etiam divinitus instituta, ut est opus

sacrificii, in peccatoribus abominabilia sunt, quanto magis alia opera?

76. *Resp*, In duobus opera illa, etsi in se adeo bona, a Judæis istis facta sunt prava et peccaminosa: 1°, quia ea opera faciebant, non deposita inclinatione animi ad peccatum; 2°, quia, per errorem summe culpabilem et perniciosum, putabant sua peccata per sacrificia, &c., etiam servata illa mala inclinatione, esse remissa; imo se posse impune in peccando perseverare. Sed bene potuerunt istam pravam inclinationem et istam falsam opinionem abjicere, et sic, cum gratia, opera salutaria, quibus etiam ad justificationem perducerentur, præstare. Hæc omnia constant 1°, ex textu Isaiæ, vers. 15, &c.:—"Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis: et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: *manus enim vestræ sanguine* [i.e. peccato] *plenæ sunt.* Lavamini, mundi estote. . . . . Discite benefacere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate, defendite viduam: et venite, et arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur:" &c. Constant 2°, ex loco parallelo Jerem. vii. 3, &c.:—"Bonas facite vias vestras et studia vestra: et habitabo vobiscum in loco isto. Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: templum Domini, templum Domini, templum Domini est. Quoniam si bene direxeritis vias vestras et studia vestra: si feceritis judicium inter virum et proximum ejus, advenæ et pupillo et viduæ non feceritis calumniam, ... habitabo vobiscum in loco isto. . . . . Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacii, qui non proderunt vobis, furari, occidere, &c. . . . . Et venistis et stetistis coram me in domo hac, in qua invocatum est nomen meum, et dixistis: liberati sumus eo quod [i. e. quamvis] fecerimus omnes

abominationes istas." Mirum est quantum pessima illa superstitio, de qua d. 10, istis temporibus antiquis, etsi non eadem forma, mentibus Judæorum insederit.

77. *Object.* 14. "Omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere." Matt. vii. 17, 18. Arbor mala est peccator, fructus boni sunt opera salutaria vel saltem moraliter bona: ergo, ex textu, peccator *nullum* opus bonum, vel saltem salutare, facere potest.

78. *Resp.* Imprimis notandum est similitudines non esse urgendas ultra ea capita in quibus intenditur comparatio, sive ex mente loquentis satis patefacta, sive ex usu communi loquendi. Si in istis capitibus duo termini comparati (v. g. arbor mala et peccator) vere similes sint, justa est comparatio, etsi in aliis capitibus valde dissimiles sint. *Multiplex porro est hujus textus interpretatio. 1°. Per arborem bonam et malam significari potest voluntas bona vel mala, seu potius homo ut habens et exercens voluntatem bonam aut malam. Et sic "similitudo in hac parabola constituitur in eo, quod sicut arbor bona bonos fructus producit, mala malos; sic pariter bona voluntas ex habitu bono plerumque bona opera producit, mala malos. Sed dissimilitudo est in eo, quod arbor bona vel mala sit causa naturalis, ideoque determinata ad suum fructum bonum vel malum: voluntas vero sit causa libera, quæ, licet ex consuetudine et habitu sit proclivior in bonum vel malum, semper tamen manet libera et indeterminata ad bonum vel malum, donec ipsa se determinet ad hoc vel illud, quod ipsa elegerit; tumque ipsa actu fit bona vel mala ex electione et operatione bona vel mala quam eligit et exercet. Quocirca non ait Christus, arbor bona non

potest *fieri mala*, nec arbor mala non potest *fieri bona*, sed 'Non potest arbor bona *malos fructus facere*, neque arbor mala *bonos*:' quia, dum voluntas bona est et virtuti incumbit, bona opera producit; dum vero mala est et vitio incumbit, mala opera profert. Sed, sicut ipsa potest se facere bonam et virtuti incumbere, ita consequenter potest et bene operari bonosque operum fructus producere; ac, vice versa, potest se facere malam et vitio studere, itaque vitiosos scelerum fructus edere. Ita SS. Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus et alii." A. LAPIDE, in loc.

*79. 2°. Secundum aliam interpretationem, per fructus hic non significantur omnes omnino sed omnes moraliter, fere omnes, plerique. Secundum usum loquendi, arbor diceretur bonos fructus efferre, etsi paucos malos efferat; et arbor diceretur malos fructus efferre, etsi paucos bonos efferat. Sic, ex communi usu loquendi, diceretur de viro sancto, eum non posse mala opera facere, etsi quædam levia peccata admittat; et similiter de viro iniquo, eum non posse bona opera facere, etsi pauca bona faciat. Et revera peccator, quamdiu actualiter peccato adhæret, etsi possit opus moraliter bonum facere, non potest opus salutare facere: ad hoc enim necessarium est ut aliquo saltem modo se a peccato avertat. Si vero sincere se accingat ad justificationem assequendam, sese in operibus ad id efficacibus exercendo, arbor non est aut simpliciter bona aut simpliciter mala, sed partim bona partim mala, mala quidem quatenus adhuc in peccato est, bona quatenus conatur ejus remissionem acquirere. Huic interpretationi favet modus loquendi Christi: non enim dixit *fructum bonum* vel *ullum fructum bonum* sed *fructus bonos*.

80. 3°. Aliæ sunt interpretationes: sed omnium probabilissima mihi semper visa est ea, quam, quoad substan-

itam, anteferre videtur idem A. LAPIDE. Secundum hanc interpretationem, arbor mala non significat quemcumque peccatorem vel peccatorem, ut sic, sed falsum prophetam (unde putant quidam alium esse usum ejusdem similitudinis apud Luc. vi. 43: alii vero dicunt Lucam esse interpretandum ex Mathæo). Hoc satis manifestum est ex nexu hujus versic. 18 cum antecedentibus et consequentibus versic. 15–20:—"Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus *eorum* cognoscetis *eos.* Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. *Igitur* ex fructibus *eorum* cognoscetis *eos.*"

*81. Sed qui sunt falsi prophetæ, et qui sunt fructus eorum? 1°. Propheta in Scriptura regulariter significat doctorem, qui munere alios docendi fungitur, aut futura occulta prædicendo, aut novam revelationem proferendo, aut jam revelata, v. g. difficilia loca Scripturæ, explicando. Insuper significat vel connotat doctorem ut habentem auctoritatem ad docendum (veram, si propheta verus sit; simulatam, si falsus sit), et frequentur ut specialiter a Deo missum et etiam divinitus inspiratum. Prophetæ falsi (ψευδοπροφῆται) hic sine dubio illi sunt qui religionem vel doctrinam prædicant vel totam vel ex parte novam, nullam ad id habentes missionem veram.

*82. 2°. Fructus falsorum prophetarum manifesto a Christo indicantur ut signa seu notæ, et quidem positivæ et certæ, quibus evincuntur esse falsi prophetæ—"ex fructibus

eorum *cognoscetis* eos." Notæ ergo illæ debent esse sensibiles et, in ratione argumenti, decretoriæ. Censeo autem fructus falsorum prophetarum non esse solas vitam et doctrinam eorum malam, nec etiam maxime aut primario. Possent enim vitam malam et cor a Deo prorsus alienum sub "vestimentis ovium" ad tempus, imo longo tempore et etiam per totam vitam (etsi hoc rarius fiat), celare; superbiam animi tumentem sub specie morum demissorum, ut a tot Jansenistis factum est; libidinem effusam occultam sub specie sermonis sancti et religiosi, et vultûs modesti et etiam severi. Possent item doctrinam falsam et perniciosam prædicare, quæ tamen non est manifesto talis, imo quæ indoctis et instabilibus fundamentum in Scriptura non leve habere videretur: qualis est doctrina justificationis per fidem solam habendæ: vid. d. 10, n. 70, 95. Censeo igitur fructus falsorum prophetarum, qui universaliter et in omni casu se produnt ut signa certa et clara, quibus prophetæ illi "cognoscuntur" esse falsi, fructus esse illos publicos, qui in eorum sequacibus, statim atque in sectam seu corpus distinctum coalescere incipiunt, efferuntur. Sicut enim signa erant per se manifesta divinæ missionis Apostolorum fructus eorum prædicationis, in iis qui per eam facti sunt Christiani, magna et constans unitas in eadem fide, charitas fraterna ardens et fructifera, puritas vitæ, patientia injuriarum et contumeliarum, mansuetudo, obedientia, &c.; ita inter discipulos hæresiarcharum crescunt horum omnium fructus contrarii; hi in his, illi in illis, multi in omnibus, omnes in multis; perpetui flexus et variationes in fide, odia, iræ, invidæ, tumultus, seditiones, rapinæ, cædes, effrenatæ morum depravationes—et hæ aliquando, ut in multis Jansenistis, per simulationem inducendæ novæ et severioris regulæ morum, &c. Et

revera præfatos fructus bonos eos esse, ad quos capiendos constituuntur pastores et doctores omnes, præsertim extraordinarie missi; et tales percipere fructus munus esse et officium eorum, *ut sic*, per se manifestum est, et patet ex verbis Christi, Joan. xv. 16:—"Elegi vos, et posui vos, ut eatis et fructum afferatis et fructus vester maneat;" et ex verbis S. Pauli, Rom. i. 13:—"Sæpe proposui venire ad vos, ut aliquem fructum habeam et in vobis, sicut et in cæteris gentibus;" et ex Scriptura passim.

83. *Object.* 15. Si peccator posset opus salutare facere, v. g. orationem salutarem, Deus eum in hoc opere audiret. Sed "Deus peccatores non audit." Joan. ix. 31.

84. *Resp.* Triplex est responsio, quarum quavis per se dissolvitur objectio. 1°. Hæc non sunt verba S. Spiritus sed cæci nati, cui oculi a Christo restituti sunt: nec probantur in Scriptura, sed mere narrantur. 2°. Deus non audit peccatores qui peccato adhærent, animum in eo perseverandi habent, et alios a recta via in errorem abducunt; qualem esse Christum pronunciabant Pharisæi, ad quorum mentem respondet cæcus natus. 3°. Maxime Deus non audit peccatores ejusmodi, ita ut per eos, ad eorum fraudes firmandas, miracula operetur; quæ etiam responsio ad eorundem mentem erat.

85. *Object.* 16. "Radix omnium malorum est cupiditas." 1 Tim. vi. 10. Ergo cupiditas, quæ in omni peccatore est, ita in eo dominatur, ut omnia ejus opera ex ea, quasi ex radice, crescant, et ergo mala sunt.

86. *Resp.* Distinguo verum sensum textus a falso: Nullum est genus mali ad quod non impellat cupiditas (i. e. avaritia, amor nummi, *φιλαργυρια*), et quod ex ea nasci non possit vel non soleat: Concedo: Cupidus non

potest in ulla sua actione ex alio quam cupiditatis motivo agere, et sic opera moraliter bona facere, vel etiam, agente gratia, opera salutaria, quibus disponatur ad animum avarum abjiciendum et justificationem comparandam: Nego. Hac distinctione posita, corruit consequentia.

*87. NOTA ex STRUGGL, d. 4, q. 2, a. 2, n. 11:—" *Quæres.* An sit de fide, quod non omnia opera infidelium sint peccata?

*88. "*Resp.* 1. In hoc sensu esse de fide, quod non omnia opera infidelium sint peccata ex natura operis, et quasi omnia inficerentur a peccato originali, se habente per modum qualitatis pravæ et morbidæ. Ratio hujus est, quia in hoc sensu sententia sectariorum damnata fuit a Concilio Trident.

*89. "*Resp.* 2. In hoc sensu non esse de fide, quod non omnia opera infidelium sint peccata ex fine operantis et pravæ intentionis. Patet hoc primo ex ipsa Bulla Pii V. et Greg. XIII., in qua post damnatas propositiones Baianas dicitur:—'Quas quidem sententias, stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore tamen, et proprio verborum sensu ab assertore intento, hæreticas, &c. respective damnamus.' Adeoque non sunt in omni sensu damnatæ. Secundo: quia ex Catholicis Theologis plures existimant nullas in infidelibus esse virtutes sine beneficio gratiæ. . . . . Inter quos eminet doctissimus Cardinalis Norisius. . . . . Tertio: quad alii apud Estium, ... dicunt, quod licet operatio infidelis possit esse naturaliter bona ex officio et fine, ille tamen semper peccet peccato omissionis; eo quod actionem non referat ad Deum. Quarto: &c. . . . . Verum quanam ratione istæ sententiæ sufficienter salvari possint, ego doctiorum relinquo judicio."

90. Plura huc pertinentia vid. apud SUAREZ, l. 1, passim; MONTAGNE, q. 3, a. 2; BELLIBERONE, c. 2, a. 4; PERRONE, n. 108, not. BULSAN. § 413, &c. JUNGMANN, n. 111, &c.

§ 4. *De gratia necessaria ad opera salutaria, quænam sit.*

91. Cum gratia elevans duplex est, habitualis et actualis, quæstio est utrum in justo necessaria sit gratia actualis ad *omne* opus salutare, an vero non sufficiat ad quædam opera ejusmodi gratia habitualis? Dixi "in justo;" certum est enim in peccatore requiri gratiam actualem et excitantem et adjuvantem, et illustrationis et inspirationis. Quæstio est de gratia pure elevante et non de medicinali. Quæstio ergo non est, an possit justus quodvis opus salutare etiam arduum præstare, vel an possit perseverare, sinè gratia actuali: sed an habitus per se unquam sufficiat ad opus elevandum, v.g., opus aliquod facillimum? THOMASSINUS citatur a MONTAGNE (q. 3, a. 2) ut affirmans: vera autem et communis sententia negat. Hæc sententia congruentior est textibus Scripturaæ (d. 3, n. 35, &c.) et definitionibus Ecclesiæ, in quibus necessitas gratiæ ad opera salutaria eodem modo de omnibus affirmatur; et, quoniam peccatores (qui numero plures sunt etiam in Ecclesia) gratia habituali carent, ergo sermo est in illis de actuali. Dixi "congruentior;" nescio enim an rigorose probetur. Dici enim potest ista opera esse omnia quidem ex gratia, sed gratiam habitualem in justis ea aliquando præstare posse. Neque adeo clari sunt textus Patrum allati, v.g. ex S. AUGUSTINO, de Natura et Gratia, n. 29:—"Sicut enim oculus corporis, etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere; sic et homo

etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere." S. Doctorem ibi loqui, non de necessitate auxiliorum ad singula opera salutaria, sed ad perseverantiam activam, patet ex ipsis verbis allatis, "recte *vivere.*" Patet quoque ex verbis immediate præcedentibus :—"Non deserit [Deus justum], si non deseratur, ut pie *semper* et juste *vivatur*. Sicut enim oculus" &c. ut supra. Patet etiam ex verbis immediate sequentibus, "recte non potest vivere. Sanat ergo Deus, non solum ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus."

*92. Sed qua certitudine certa sit nostra doctrina? ANTOINE (c. 5, a. 2, § 1) dicit :—"Accedit ad fidem: imo mihi videtur sufficienter definitum ac declaratum per traditionem." SUAREZ dicit (l. 10, c. 2, n. 12) :—"Sine dubio negare necessitatem actualis auxilii Dei ad opera supernaturalia, etiam respectu hominis justi, seu gratiæ supernaturalis, omnino falsum, seu contra fidem est, ut patet ex dictis supra, l. 3 [c. 8, n. 17, &c., c. 9, n. 4, 7]."

*93. Sed duo hic notanda sunt. 1°. Multi theologi docent (longe communius, ut puto) gratiam sanctificantem semper et virtute sua sibi adjunctas habere gratias actuales, saltem quæ necessariæ sunt ad eam aliquamdiu conservandam. Hinc docent istas gratias actuales, etsi speciales et indebitas homini *ut sic*, nec speciales nec indebitas esse homini justo *ut justo*. Vid SALMANT. d. 3, n. 222, 228 et 232, vers. "Ad argumentum," et infra, d. 12, n. 152. Dixi "aliquamdiu;" omnes enim concedunt ad diu perseverandum, præter illa auxilia, alia esse necessaria, quæ homini etiam justo prorsus indebita sunt et specialia, secundum doctrinam traditam, d. 5.

*94. Imo "non est omnino improbabilis et reprobanda

opinio illorum, qui existimant hominem justum posse aliqua bona opera facere absque nova gratia *excitante*, cum sola gratia *adjuvante*, in virtute scilicet habituum, quos habet infusos. Ita enim sentiunt quidam graves theologi, inter quos est TAPPERUS, ... et BELLARM. de Gratia et lib. arb. l. 6, c. 15, 13 sent." WIGGERS, q. 109, n. 75.

*95. Notandum 2°, "certum esse, quod homo justus in præsenti providentia, quando operatur ex motivo supernaturali, præter gratiam habitualem semper habeat gratiam actualem. . . . . Quia licet gratiæ actuales etiam in homine justo deberent produci a Deo per assistentiam specialem extrinsecam, Deus tamen in moderna providentia ut author supernaturalis omni tempore opportuno daret talem gratiam: sicut ut author naturæ omni causæ secundæ ad agendum dispositæ dat concursum simultaneum." STRUGGL, d. 4, q. 2, a. 6, n. 2. Idem in aliis locis (quæstiones prooem. q. 2, a, 2, n. 6; d. 6, q. 2, a. 4, n. 1) affirmatur de omnibus operantibus ex motivo supernaturali: et pro hac sententia citantur "LUGO, MOLINA, RIPALDA, PLATELIUS, VIVA et alii theologi communiter:" vid. SUAREZ, l. 3, c. 25, n. 11, &c. Affirmat autem hic auctor, cum aliis quos citat, ita se rem non habere ex natura rei: et idcirco, in alia providentia seu ordine, fieri posse ut homo justus, vi habitus infusi et sine gratia actuali eliciat aliquem actum intrinsece supernaturalem. Quod, si verum sit, plane evertit rationem theologicam, seu potius philosophicam, a quibusdam theologis ad nostram doctrinam firmandam, allatam: et, ut verum fatear, istam rationem parvi facio.

DISPUTATIO SEPTIMA.

DE GRATIA EFFICACI ET SUFFICIENTE: DE DISTRIBUTIONE GRATIÆ SUFFICIENTIS.

PARS PRIMA.—De Gratia Efficaci et Sufficiente.

§ 1. *Notiones Prævia.*

1. Deus omnibus suas gratias elargitur, sed præsertim fidelibus, et ex fidelibus continenter præsertim justis. Experientia autem quotidiana ostendit ex peccatoribus alios gratiis cedere et ad Deum se convertere et justificari, alios vero gratiis resistere et in peccato manere; ex justis similiter alios auxiliis ad perseverandum datis bene uti et in accepta justitia perseverare, vel diu vel etiam usque ad finem, alios vero gratiis illis male uti et in peccatum prolabi. In illis gratia suum effectum sortitur, in his non sortitur. Per plura secula usu venit ut in scholis gratia in priori casu vocaretur efficax, in altero casu sufficiens.

2. Sed, quoniam vocabula ista æquivoca sunt, ad omnem obscuritatem et perturbationem præcavendam sequentia sedulo notanda sunt. 1°. Gratia (sicut et aliæ causæ vel principia) vocari potest efficax in actu primo (seu efficacia virtutis) vel in actu secundo (seu effective efficax, seu efficacia connexionis). Priori sensu omnis gratia vocari potest et est efficax, etsi non sortiatur effectum a Deo

intentum. Non autem hoc sed altero sensu gratia hic vocatur efficax: gratia ergo efficax ea est quæ consequitur effectum a Deo intentum, seu cui homo actu cedit. In hac definitione generali, quæ est definitio nominis, omnes conveniunt: sed circa id unde hæc gratia efficaciam suam habet, seu circa definitionem rei, magna, ut infra videbitur (d. 8), existit controversia. LA FOSSE, de Deo, q. 5, a 3, § 1.

3. 2°. "Constat autem causam sic efficacem esse etiam sufficientem; quia non consequeretur effectum, nisi ad illud esset sufficiens; sicque dixit D. Paulo:—'Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur:' 2 Cor. xii. 9. Gratia enim illa quæ dabatur Paulo ad stimulum carnis superandum, et ad proficiendum in infirmitate, efficax profecto erat, et effectum consequebatur; et nihilominus merito dicitur sufficiens contra adversarium." SUAREZ, l. 4, c. 1, n. 3.

4. 3°. Ex usu vero scholarum, per gratiam sufficientem, per se et sine addito sic appellatam, et præsertim ut distinguitur a gratia efficaci, semper significatur gratia inefficax, seu gratia quæ, etsi in actu primo efficax, in actu secundo non est efficax, seu non sortitur effectum. In hac quoque definitione generali omnes conveniunt: undenam vero hæc inefficacia proveniat magnopere disputatur. Per gratiam ergo sufficientem semper significatur gratia *mere* sufficiens.

5. 4°. Gratia sufficiens, etsi non consequatur effectum, sufficiens est tamen non solum ut eam recipiens *possit* agere, sed sufficiens est ut *agat:* tum quia alioquin simpliciter insufficiens esset; "tum etiam quia tale auxilium ex se et intentione Dei datur homini, non tantum ut possit sed etiam ut faciat; nulla enim potestas datur propter se sed

propter actum; et si potestas sit sufficiens, data potestate datur actus, quantum est ex parte dantis potestatem." SUAREZ, l. 4, c. 2, n. 11.

6. 5°. Gratia quamquam remote tantum sufficiens (d. 1, n. 6) semper est vere et proprie sufficiens: etsi enim non sit in se proxime sufficiens ad opus faciendum, v. g. ad opus arduum præstandum, semper tamen est proxime sufficiens ad consequendam illam aliam gratiam, quæ erit proxime sufficiens ad opus efficiendum. Vid. SUAR, l. 4, c. 3, n. 8.

7. Libertas multiplex est, libertas a servitute, a peccato, a coactione seu violentia, &c. Sed hic agitur de libertate a necessitate, quæ vere et proprie libertas est. Liberum arbitrium seu libertas (idem enim hæc duo sonant) est potentia quæ, positis omnibus ad agendum necessariis, potest agere vel non agere. Hæc definitio, ait GORMAZ (de Actibus Humanis, n. 253), "fere omnium Catholicorum" est: et revera nullus est gravis auctor qui eam in dubium revocet; etsi quidam eam suo modo interpretantur: vid. BILLUART, de Act. Hum. d. 2, a. 1, § 4.

*8. Duplex est hujus libertatis species, exercitii et specificationis. Libertas exercitii, quæ etiam vocatur libertas contradictionis, in eo est qui potest agere vel non agere. "Libertas quoad specificationem vocatur libertas contrarietatis aut diversitatis: et consistit in hoc quod quis potest unum velle vel ejus contrarium, v. g. amare et odisse, bene agere et peccare—et hæc est libertas quoad specificationem contrariam [libertas contrarietatis]; *vel* in hoc quod possit unum vel ejus diversum velle, v. g. ex multis mediis ad consecutionem finis ordinatis hoc vel illud velle—et hæc est libertas quoad specificationem disparatam." BILLUART, de Incarnatione, d. 18, a 4, § 2.

*9. Ad facultatem liberam duo necessaria sunt. "Unum est quod illa sit potentia activa, ex se et ex sua interna facultate habens vim ad exercendam et suspendendam actionem suam. Aliud est, quod illa facultas, dum exercet actum, ita sit disposita et proxime (ut ita dicam) præparata ad opus, ut, positis omnibus requisitis ad agendum, possit agere et non agere." SUAREZ, Metaphysica, d. 19, s. 4, n. 8. "Duo sunt ad libertatem arbitrii necessaria. Unum est posse facere actum; aliud posse non facere, etiam supposita integra facultate faciendi. Ex qua duplici potestate prior dici potest fundamentalis, et quasi inchoans libertatem in actu primo; posterior vero voluntati dans modum potestatis indifferentis, et quasi complens libertatem. Utraque autem potestas debet subsistere cum auxiliis gratiæ: posterior quidem cum efficaci, prior vero cum sufficienti." *Idem*, hic, l. 4, c. 2. n. 7. Vid. et Prolegom. 1.

*10. Libertas, etsi præsupponit actum intellectus, formaliter est in voluntate, prout tenet communis sententia post S. THOMAM, 1. p. q. 83, a. 3 et 4; 1. 2. q. 13, a. 1. Dum enim per intellectum fit judicium, per voluntatem fit electio agendi vel non agendi. Alia de libertate videantur apud SUAR. ll. cc. et in tract. de Voluntario, d. 1, s. 3, et auctores passim in tract. de Actibus Humanis et in Metaphysica.

11. *Novatorum errores.* 1°. Lutherus et Calvinus dixerunt omnem gratiam efficacem in homine lapso prorsus perimere liberum arbitrium, et eum sub appulsu hujus gratiæ physica quadam necessitate agi, et similem esse "trunco, lapidi, statuæ vita carenti." Dixi "in homine lapso;" hoc enim non affirrmabant de homine in statu innocentiæ; imo ex lapsu et peccato originali hanc totam

exstinctionem liberi arbitrii derivarunt. 2°. Negabant ullam esse gratiam sufficientem, dicentes omnem gratiam voluntatem nostram, quasi rem inanimem, movere et flectere; vel, si dentur ullæ gratiæ quæ non ita movent animum, eas esse prorsus insufficientes et impotentes.

12. *Jansenii errores.* 1°. Omnem incitationem seu impulsum ad agendum posuit ille in delectatione. Duplex est ista delectatio; alia terrena seu ex concupiscentia, inclinans in peccatum; alia cœlestis seu ex gratia, inclinans in bonum. 2°. Si potentior sit delectatio terrena, ei necessitate ineluctabili cedit voluntas, et in peccatum trahitur; si potentior sit delectatio cœlestis, ei simili necessitate cedit voluntas, et facit bonum; et gratia hujus delectationis necessitantis, eaque sola, secundum Jansenistas, est gratia efficax. 3°. Ad declinanda argumenta Catholica, seu potius ad ipsos Catholicos ludendos et irridendos (vid. PERRONE, n. 331, not.), præter distinctionem illam duplicis delectationis terrenæ et cœlestis, aliam finxerunt delectationis cœlestis absolute victricis et relative victricis. Relative victrix ea est quæ, posito actuali conflictu cum opposita delectatione terrena, eam, utpote potentior, vincit; absolute victrix est, quæ, seposito et non spectato illo conflictu, sufficiens est, seu potius esset. Et ejusmodi gratiam vocabant parvam et etiam sufficientem; interponentes distinctionem sensus compositi et divisi, et dicentes gratiam illam esse sufficientem in sensu diviso illius conflictus seu eo seposito, non autem in sensu composito seu eo existente. 4°. Aliud excogitarunt effugium, ut se a criminatione Calvinismi a Conc. Trid. damnati liberarent, dicentes se admittere libertatem a coactione, quam iste non admisit. Hoc, etsi verum esset, nihil iis pro-

desset (infra, n. 54): sed falsissimum est, ut patet ex textibus Calvini apud PERRONE, n. 282, not.

13. Planum est Jansenium cum Novatoribus integre convenire 1°, in neganda libertate a necessitate sub gratia efficaci et 2°, in neganda gratia sufficienti. Non est opus ergo errores, qui re iidem sunt, seorsum convellere. Sed quoniam Jansenistæ distinctionem illam duplicis delectationis obtendunt, eam breviter excutiemus.

14. *Doctrina Catholica.* Hæc clara est ex can. 4, sess. 6 Concilii Trid. et ex propositionibus Jansenii damnatis; et continetur in propositionibus jam probandis.

§ 2. *Probatur doctrina Catholica de Gratia Efficaci.*

15. PROPOSITIO.—*Gratia efficax nullam infert homini necessitatem; seu, ei omnino libere cooperatur homo.*

16. *Argumenta ex S. Scriptura.* ARGUMENTUM I. Ex usu loquendi universali, perpetuo, absoluto, mandata, præcepta, monitiones, obsecrationes, minæ, &c. nunquam ab aliquo adhibentur ut alium adigat ad opus faciendum, quod hic non facere non potest; vel ad opus declinandum, quod non potest non declinare. Qui aliter scienter ageret aut pro irridente aut pro insaniente haberetur. In omni ergo ejusmodi mandato, &c. is, ad quem dirigitur, eo ipso intelligitur esse vere liber ad mandatum exsequendum vel violandum; et, si exsequatur, eum libere exsequi; si violet, eum libere violare. Eo ipso intelligitur ab eo non solum omnem coactionem sed omnem necessitatem abesse —et hanc multo magis: a coactione enim spes esse potest ut a seipso vel ab alio liberetur; a necessitate autem quis liberare potest?

17. Jamvero adeo frequenter in Scriptura occurrunt præcepta, monitiones, minæ, &c. ad bonum faciendum et malum fugiendum, ad hæc et illa opera salutaria præstanda, ad hæc et illa peccata et occasiones peccatorum vitanda, ut non est opus exempla proferre. Unum et alterum tamen dabimus.

" Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis: et facite vobis cor novum et spiritum novum." Ezech. xviii. 31.

" Poenitemini igitur, et convertimini, ut delcantur peccata vestra." Act. iii. 19.

" Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus." Ephes. v. 14.

18. Argumentum II. Ex simili usu loquendi universali, perpetuo, absoluto, quotiescumque alicui proponitur electio inter duo, semper supponitur eum liberum esse ad alterutrum eligendum, et id quod eligit eum omnino libere eligere. Sæpius autem in Scriptura hominibus a Deo proponitur electio inter bonum et malum. Ergo qui eligunt bonum (et ideo, vi termini, habentes gratiam efficacem), illud libere eligunt et faciunt. Minor probatur ex variis locis.

" Testes invoco hodie cœlum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas et semen tuum." Deuteron. xxx. 19.

"Nunc ergo timete Dominum, et servite ei. . . . Sin autem malum vobis videtur ut Domino serviatis, optio vobis datur: eligite hodie quod placet," &c. Josue, xxiv. 14, 15.

19. Argumentum III. Si homo necessitate ageretur, verum esset eum " veluti inanime quoddam nihil omnino

agere, mereque passive se habere" (Conc. Trid. S. 6, can. 4), et Deum in eo bonum opus, absque ulla ejus operatione, efficere—quod quidem ipsi adversarii diserte affirmant. Jamvero clarissime in Scriptura significatur hominem vere agere et operari; et iisdem ipsis verbis et locutionibus hoc significatur, quibus significatur actio et operatio Dei.

20. (a). Si Deus "*inclinet* corda nostra ad se, ut ambulemus in universis viis ejus" (3 Reg. viii. 58: item Psalm. cxviii. 36); et nos nosmetipsos (corda, aures) inclinamus ad Deum:—"Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum." Psalm. cxviii. 112: item xliv. 11; lxxvii. 1.

21. (b). Si Deus *aperiat* labia nostra vel ostium cordis nostri ("Domine, labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam:" Psalm. i. 17); et nos eadem aperimus:—"Os meum aperui, et attraxi spiritum." Psalm. cxviii. 131: item Luc. xii. 36; Apoc. iii. 20:—"Ecce, sto ad ostium et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum."

22. (c). Si Deus nos ad se *convertat* ("Converte nos Deus salutaris noster:" Psalm lxxxiv. 5); et nos nosmetipsos ad Deum convertimus:—"Cogitavi vias: et converti pedes meos in testimonia tua." Psalm. cxviii. 59: item Jerem. xv. 19; Joel, ii. 12, 13, 14.

23. (d). Si Deus nobis *faciat cor novum* ("Cor mundum crea in me, Deus:" Psalm. l. 12: item Ezech. xxxvi. 26): et nos nobis facimus cor novum:—"Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, ... et facite vobis cor novum et spiritum novum." Ezech. xviii. 31.

24. (e). Si Deus sit, qui *operatur* in nobis omne opus salutare, "et velle et perficere" (Philip. ii. 13); et nos

quoque eadem opera operamur:—"Salutem vestram operamini." Ibid. 12. "Operemur bonum ad omnes." Galat. vi. 10. Vid. d. 12, n. 20.

25. (f). Diserte denique affirmatur nos, in operibus bonis faciendis, Deo *cooperari*. Sed *co*operatio vi termini significat activitatem in cooperante; significat eum in opere efficiendo non ut instrumentum cæcum et pure passivum adhiberi: vid. textus S. Aug. infra, n. 30.

"Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum *laborem*: Dei *enim* sumus *adjutores*." 1 Cor. iii. 8, 9. Ibi clare significatur nos in nostra salute elaboranda vere operari, et ita operari ut Deo eandem operanti nos cooperemur—Θεου γαρ εσμεν συνεργοι, i. e. cooperantes, i. e. (si ita per pleonasmum loqui liceat) active cooperantes: quod semper hoc vocabulum in Scriptura sonat, ut Rom. xvi 3, 9, 21; 2 Cor. i. 24; viii. 23; Phil. ii. 25; &c.

26. "Gratia autem Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem sed gratia Dei mecum." 1 Cor. xv. 10. Gratia Dei fecit Paulum id quod erat, ita tamen ut ille laborando gratiæ cooperaretur: non Paulus ex se fecit, nec gratia per se, sed Paulus cum gratia.

27. *Argumenta ex Patribus.*

Εν τῃ προαιρεσει κειται τῃ ἡμετερᾳ, μετα την ανωθεν χαριν, τα της αρετης και της κακιας . . . . και σπουδασαντες δυναμεθα γενεσθαι εναρετοι, και ῥαθυμησαντες παλιν εις τον της ἁμαρτιας κρημνον καταφερομεθα. "In voluntate nostra, post supernam gratiam, sitæ sunt et virtutes et vitia, ... et studio nostro possumus fieri virtutibus conspicui, et e contra desides facti, in peccati præcipitium deferri." S. J. Chrysostomus, Hom. 54 in Genes. n. 1. Eadem doctrina æque clare et significanter in aliis locis a

S. Doctore traditur, ut in Hom. 47 (al. 46) in Joan, n. 4 :—Ἵνα μαθῃς ὁτι ου βιαζεται ἡ κλησις, σκοπει ποσους συνεβη των κληθεντων απολεσθαι. Ὁθεν φανερον, ὁτι και εν τῃ γνωμῃ κειται τῃ ἡμετερᾳ το σωθηναι και απολεσθαι. "Ut discas vocationem non vim inferre, perpende quot vocati perierint. Unde palam est, in nostro sitam esse arbitrio vel salutem vel perniciem nostram."

28. "Non servili ad obediendum constringimur necessitate, sed voluntate arbitra, sive ad virtutem propendemus sive ad culpam inclinamur." S. AMBROSIUS, de Jacob et vita beata, l. 1, c. 1, n. 1.

29. Non sine summa audacia S. AUGUSTINUM appellant adversarii, quasi ille eorum errori faveret: cum in ipso exordio operis sui "de gratia et libero arbitrio" (c. 1) errorem istum clare his verbis rejicit;—"Sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium; aut, quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium."

30. Idem adhuc clarius in Psalm. 78, n. 12, in verba, "Adjuva nos, Deus salutaris noster:"—"Cum adjuvari nos vult, nec ingratus est gratiæ, nec tollit liberum arbitrium. Qui enim adjuvatur, etiam per seipsum aliquid agit." Et iterum, Serm. 156, n. 11, in verba Apostoli, Rom. 8, "Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei:"—"Dicit mihi aliquis, Ergo agimur, non agimus. Respondeo, Immo et agis et ageris: et tunc bene agis, si a bono agaris. Spiritus enim Dei, qui te agit, agenti adjutor est tibi. Ipsum nomen adjutoris præscribit tibi, quia et tu ipse aliquid agis." Et iterum ibid. n. 13:—"Non enim adjutor est ille, si nihil agatis: non enim cooperator est ille, si nihil operamini."

31. Eodem denique num. prope finem hæc habet:—

"Neque enim templum suum sic de vobis ædificat Deus, quasi de lapidibus qui non habent motum suum: levantur [lapides hujusmodi], ab structore ponuntur. Non sic sunt lapides vivi: et vos tamquam lapides vivi coædificamini in templum Dei. Ducimini, sed currite vos: ducimini, sed sequimini."

§ 3. *Solvuntur Objectiones.*

32. *Object.* 1. "Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, ... et faciam ut in præceptis meis ambuletis." Ezech. xxxvi. 26, 27. Duplici modo his verbis significatur gratia necessitans. 1°. Cor novum, i. e. nova voluntas, a Deo datur; 2°, Deus facit ut ambulent.

33. *Resp.* Valde probabiliter hic locus intelligi debet de Ecclesia Christi, et de gratiis uberrimis et providentia speciali, quibus perpetuo eximie sancta conservabitur. Quicquid de hoc dicitur, Distinguo 1^{am} partem: Cor antea durum et gratiis datis resistens, novis gratiis emollietur, quibus cedet, sed libere: Concedo: Necessario: Nego: supra, n, 23. Sæpe novum esse dicitur, quod in novo et meliori statu ponitur. Distinguo 2^{am} partem: Facit ut ambulent libere: Concedo: quod etiam ipso vocabulo "ambuletis" significatur; nemo enim, cujus pedes necessitate moverentur, ambulare simpliciter diceretur: Ut ambulent necessario: Nego. Nihil communius in usu loquendi est quam ut quis dicat se facturum ut alius hoc vel illud agat, quod tamen omnino libere agit. Ut agat facit exemplo suo, suasione, præcepto, præmio proposito, &c.

34. *Object.* 2. "Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me traxerit eum." Joan. vi. 44. Qui trahitur ad aliquem, libere sane ad eum non accedit.

35. *Resp.* Distinguo: Qui trahitur vi aliqua aut necessitante aut cogente: Concedo: Qui trahitur libere, trahitur ductu cui resistere potest: Nego. Ex usu loquendi omnium gentium non sola necessitate vel coactione dicuntur homines trahi. Ad malum trahit homines ambitio, trahit avaritia, &c. Ad bonum trahit bona institutio, trahit bonum exemplum. Trahit spes, trahit timor: "trahit sua quemque voluptas." Vid. S. August. Tr. 26 in Joan. Nec repugnat usus verbi (ἑλκύσῃ, "traxerit") apud Græcos et Latinos. Patrem autem ad Christum (i. e. ad fidem Christi) libere trahere patet ex vers. 45 immediate sequenti:—"Est scriptum in prophetis et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit a Patre et *didicit*, venit ad me." Qui audivit *et didicit*. Qui audit a Patre, trahitur a Patre: sed audientis est etiam discere, ut veniat. Pater ergo (ut ait S. August. ibid. n. 7) trahit "docendo, non necessitatem imponendo." Vid. expositio copiosa hujus loci apud Molinam, Concordia, q. 14, a. 13, d. 12.

36. *Object.* 3. "Deus est, qui operatur in vobis et velle et perficere." Phil. ii. 13. Dei solius operantis in nobis sunt omnia opera nostra salutaria: ergo nos in illis faciendis nihil operamur.

37. *Resp.* Distinguo: Deus solus in nobis operatur in nobis opera salutaria, dando nobis gratiam excitantem et adjuvantem, cum qua opera illa et incipiunt et perficiuntur, et sine qua nec incipere possunt nec perfici: Concedo: Ita ut nos nihil operemur, istis gratiis consentiendo et cooperando: Nego.

38. *Urgetur.* Nulla in textu est mentio illius cooperationis.

39. *Resp.* 1°. Esto: in aliis textibus clare et diserte memoratur: supra, n. 24, 25. *Resp.* 2°. Nego: in hoc

enim ipso textu diserte memoratur:—"Cum metu et tremore vestram salutem *operamini:* Deus est enim, qui operatur" &c. ut supra.

Alios ejusmodi textus non est opus proferre: omnes eadem responsione enodantur.

§ 4. *Quædam solvuntur quæstiunculæ.*

*40. *Quæritur* 1°. Utrum gratia, quæ operatur in nobis opus salutare, illud moraliter an vero physice operetur?

*41. Ante responsum datum quædam sunt notanda. 1°. Causa immediata ea est quæ per se, nulla alia interposita causa vel instrumento, effectum præstat. Causa mediata agit per aliam interpositam causam vel instrumentum. Sic motûs cymbæ causa mediata est remigans, causa immediata est remus: motûs currûs causa mediata est auriga, immediata equus. Plures, in eodem præstando effectu, possunt esse causæ sive immediatæ sive mediatæ.

*42. 2°. "Physica est causa quæ effectum parit virtute propria, sive principali sive instrumentali. Moralis, quæ virtute propria nec producit effectum nec ad illum producendum ullo modo cooperatur; sed solum aliam causam aut aliam potentiam ejusdem suppositi aliquo modo inducit ad operandum. Hoc pacto imperium, consilium, minæ, preces sunt causæ morales, quatenus alterum ad operandum movent. Ita quoque merita vel demerita præmiorum vel poenarum sunt causæ morales. Imo etiam voluntas causa est moralis actuum, qui a cæteris potentiis ipsa imperante eliciuntur, quique propterca *imperati* nuncupantur. Idcirco in definitione dictum est causam moralem inducere ad agendum vel aliam causam vel aliam potentiam ejusdem suppositi. Patet ex his, causam moralem inducere posse ad agendum solummodo causas illas,

quæ cognoscendi facultate pollent. Ejus enim efficacia non continetur impulsu physico, sed exercetur in vires physicas alterius, mediante ejusdem cognitione." TONGIORGI, Ontologia, n. 264. Exemplum habes causæ physicæ, mediatæ et immediatæ, principalis et instrumentalis, in remige et remo. Exempla habes causæ moralis in omnibus casibus in quibus homines impellunt alios ad agendum mandando, monendo, suadendo, &c.

*43. Quæstio proposita est omnino libera, et in ea solvenda scinduntur theologi. Videntur omnes concedere gratiam pure excitantem agere ut causam moralem. Qui tenent eam etiam physice agere in actus salutares, concedunt eam prius agere ut causam moralem. "Ratio est, quia gratiæ excitantis pertinentis ad intellectum proprium est illustrare, docere, suadere, vocare, excitare et allicere ad actum salutarem : gratiæ vero excitantis pertinentis ad voluntatem proprium est inspirare, delectare, suave reddere, et inclinare ad eundem actum salutarem seu consensum. Atqui hæc omnia important causalitatem moralem relate ad actus salutares. Porro licet actus gratiæ excitantis probabilius etiam physice influant in actus salutares, prius tamen exercent causalitatem moralem quam physicam." STRUGGL, d. 2, a. 1, n, 3. Ita VIVA, d. 1, q. 4, a. 1; et alii. Pro physica causalitate gratiæ excitantis ab eodem STRUGGL (a. 2, n. 1) citantur BELLLARM. MOLINA, LESSIUS, VASQUEZ, &c., contra SUAREZ. TANNER. &c. Sed scite notat SUAREZ (opusc. de Auxiliis, l. 3, c. 5, n. 11) "Doctores, qui hoc genus causæ [physicæ] illi attribuunt, sub ea ratione, non excitantem sed adjuvantem gratiam eam appellare."

*44. Quæstione sic exposita, videretur dissidium esse maxime de modo loquendi: vid, d. 3, n. 7. Communis

sententia affirmare videtur gratiam adjuvantem semper physice operari. Etsi enim quidam dixerint gratiam adjuvantem aliquando moraliter tantum adjuvare, ita tamen suam sententiam explicant, ut hæc diversitas opinionum "ad modum loquendi pertinere videtur," ut ait SUAREZ, l. c.

*45. "Observandum est, aliud esse operari ut velimus, aliud operari ipsum velle. Nam qui consulit vel rogat alterum ut velit aliquid, id totum operatur, ut alter velit; non tamen operatur velle ipsius. Igitur operari ut velimus nihil aliud est quam operari in nobis aliquid, quo disponamur vel inclinemur ad volendum, et eo animo et intentione ut velimus : operari autem ipsum velle est efficere in nobis ipsummet actum volendi. . . . . Sic igitur ait Augustinus Deum operari in nobis sine nobis ut velimus: quia ipse solus sine consensu libero nostro efficit in nobis gratiam excitantem ; qua disponimur et inclinamur ad volendum, juxta illud : 'Præparatur voluntas a Domino.' Unde etiam in eo qui non vult Deus operatur ut velit, sed sufficientur tantum, quia ipse non vult consentire : quando vero alter consentit, facit etiam efficaciter. . . . . Ipsum autem velle non operatur Deus in nobis sine nobis libere cooperantibus : quamvis neque nos possimus illud perficere sine Deo adjuvante et cooperante nobiscum : quia, etiam postquam excitati sumus ab ipso ad volendum, adhuc ex nobis insufficientes sumus ad volendum, nisi Deus ipse nobiscum concurrat, et supernaturales vires præbeat." SUAREZ, ibid. n. 5.

*46. *Quæritur* ergo 2°. An dici possit opus salutare a sola gratia effici?

*47. *Resp.* 1°. Certum est liberum arbitrium active se habere in opere salutari præstando, et esse causam ejus efficientem. Imo hoc de fide est ex Trid. s. 6, c. 4.

*48. 2°. Valde displicet, neque ulla ratione probabili sustineri potest, sententia, quam quibusdam Thomistis ascribit VIVA (d. 1, q. 4, n. 5), affirmans "voluntatem non concurrere physice ad actus salutares, atque adeo totam virtutem producendi illos esse gratiam auxiliantem."

*49. 3°. Etsi duplex est principium operis, gratia adjuvans voluntatem et voluntas ipsa sic adjuta; et etsi voluntas est causa operis proxima—et bene ergo dici potest gratiam Dei et liberum arbitrium esse causas partiales operis salutaris; attamen melior est modus loquendi, secundum quem opus tribuitur gratiæ ut causæ ejus totali; *tum* quia hic modus loquendi conformior est modo loquendi Scripturæ et Patrum; *tum* quia, etsi nos Deo cooperemur in ipso opere faciendo, Deus tamen est qui solus et sine nobis excitavit ad opus faciendum, et ergo vere et proprie est causa ejus prima sola; *tum* quia, dum nos gratia et excitante et adjuvante indigemus, propter nostram impotentiam absolutam quodcunque salutare operandi, Deus nostram cooperationem exigit, non quia non potest opus sine ea efficere, sed quia vult ut opus libere a nobis efficeretur; *tum* quia tota ratio dignitatis, quæcumque sit in opere, ex sola gratia est. Sed revera hæc quæstio, ut jam insinuatum est, modum tantum loquendi respicit: videatur SUAREZ, de Gratia, l. 3, c. 27.

*50. *Quæritur* 3°. Quomodo explicetur sententia illa S. Augustini, in libro de Gestis Pelagii. n. 5 :—"Proculdubio plus est agi quam regi: qui enim regitur aliquid agit, et a Deo regitur ut recte agat; qui autem agitur agere aliquid ipse vix intelligitur?"

*51. *Resp.* "Ideo liberum arbitrium a gratia ita agitur, ut ipsum agere vix intelligatur; quia illud suis viribus naturalibus nequit producere actum supernaturalem; et

quia ad hunc producendum, per modum principii elevantis et productivi principalis, concurrit gratia. Rem declarat P. Maurus, quæst. 60, hoc exemplo:—Ponamus quod puer per suas vires, sine auxilio gigantis, solum possit movere unam libram: si, cum auxilio gigantis, moveat pondus mille librarum, puer potest dicere, 'Non ego moveo, sed gigas mecum movet, ut ego vix agam et moveam.' Atqui liberum arbitrium, sine auxilio et viribus gratiæ, solum potest producere actus naturales, qui exceduntur ab actibus supernaturalibus multo magis quam pondus unius libræ a pondere mille librarum. Ergo liberum arbitrium, quando cum gratia producit actus supernaturales, ita agit ut vix agere intelligatur. Interea tamen liberum arbitrium a gratia elevatum non solum eodem indivisibili influxu agit physice sed etiam moraliter et libere. Quod iterum Maurus explicat allato exemplo: potest enim gigas juvare puerum ad movendum pondus mille librarum, ita tamen attemperando suam actionem, et subjiciendo libero pueri arbitrio, ut iste possit resistere, si velit. Totum hoc declarat Concilium Trident. sess. 6, cap. 5, dicens:—'Ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest.' Ubi Concilium insinuat quod liberum arbitrium, comparative ad gratiam, ita agat ut, saltem in ratione principii productivi, vix agere intelligatur. Quod autem tamen agat, et quidem libere, docet idem Concilium, sess. cit. can. 4." STRUGGL, d. 2, q. 2, a. 3, n. 5.

§ 5. *Nudantur fraudes et errores Jansenistarum.*

52. I. Falsa est, imo, utpote S. Scripturæ et manifestæ totius Ecclesiæ fidei opposita, hæretica est, vel saltem ut hæretica damnari possit, propositio Jansenistica affirmans hominem ad poenitendum vel ad bene in genere operandum solo motivo delectationis agi. Sæpius enim in Scriptura motivum timoris exhibetur ut efficacissimum et omnibus valde commendandum :—"Initium sapientiæ timor Domini :" Psalm. cx. 10; "Timor Domini expellit peccatum:" Ecclic. i. 27; "Nihil melius est quam timor Domini:" ibid. xxiii. 37; "Perficientes sanctificationem in timore Dei :" 2 Cor. vii. 1. Similia habentur Job. xxviii. 28; Psalm ii. 11; xviii. 10; xxxiii. 10; cii. 11, 13, 17; Ecclic. xxv. 16; xl. 28 ; Jerem. xxxii. 40 ; Matth. x. 28; Phil. ii. 12; et in aliis multis locis. Idem patet ex manifesta fide Ecclesiæ, quæ semper et ubique et omnibus, peccatoribus ut a malo revocentur et justis ut in bono firmentur, per suos ministros prædicantes et per scripta a se probata, doctrinam perpetuo inculcat quam tradit S. Ignatius in ultima regularum ad sentiendum cum Ecclesia:—"Quamvis summe laudabile sit atque utile ex dilectione pura inservire Deo. Nihilominus tamen valde commendandus est Majestatis divinæ timor. Neque porro is timor solum, quem filialem appellamus, qui pius est ac sanctus maxime, verum etiam alter, servilis dictus. Quippe qui homini utilis est admodum, et sæpenumero necessarius, ut a mortali peccato, quando incidere contingit, resurgere prompte studeamus."

53. II. Etiamsi vera esect ista propositio affirmans hominem sola delectatione agi, non minus libertatem

perimit et hæretica est doctrina Jansenii quam Calvini. Si enim actus necessarius eo ipso non est liber, nihil refert utrum necessitas proveniat a delectatione necessitante an ab aliquo alio principio necessitante. Sicut, si tota et expleta halitûs compressio vitam homini adimit, nihil refert an ista compressio fiat strangulatione, abscissione capitis, submersione in aquis, &c.

54. III. Etsi verum esset, quod tamen falsissimum est (n. 12), Calvinum non admisisse in homine libertatem a coactione, non minus doctrina Jansenii definitioni Tridentinæ repugnat quam doctrina Calvini. Iis enim verbis utitur Concilium (cap. 5, can. 4 et 5), quibus homini diserte et absolute vindicatur vera et realis libertas, omni quocumque abjecto principio, quo libertas illa adimeretur, seu ficta et nomen sine re esset, maxime can. 5:—"Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et extinctum esse dixerit: aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum in Ecclesiam: anathema sit."

55. IV. Insuper, etsi verum esset, quod ex jam dictis falsissimum est, Concilium voluisse, contra istum simulatum errorem Calvini, statuere tantum libertatem a coactione (cum Ecclesia generatim non solet damnare nisi hæreses jam subortas et eo modo quo proferuntur), non minus hæretica esset doctrina Jansenii, utpote constanti et manifestæ fidei totius Ecclesiæ aperte repugnans. Etenim, ut fere dum hæc scribo docet Concilium Vaticanum (sess. 4, cap. 3), "fide divina et catholica ea omnia credenda sunt [et ergo opposita ut hæretica rejicienda], quæ in verbo Dei scripto vel tradito et ab Ecclesia sive solemni judicio *sive ordinario et universali magisterio* tamquam divinitus revelata credenda proponuntur."

56. V. Denique, etsi verum esset, quod falsissimum est, non manifestam fuisse de hac re fidem Ecclesiæ sed obscuratam, saltem quo tempore et loco se primum prodiit Jansenismus, a longo tempore, nempe, ex quo quinque propositiones Jansenii damnatæ sunt, ista fide nihil apertius esse potest, v. g. ex prop. 3:—"Ad merendum et [al. vel] demerendum, in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione:" quæ propositio damnatur ut hæretica. Opus meritorium quod facit homo est ex gratia, et quidem efficaci, quia fit opus. Atqui in opere isto faciendo non sufficit libertas a coactione, sed requiritur libertas a necessitate. Ergo gratia efficax non necessitat.

§ 6. *Probatur Doctrina Catholica de Gratia Sufficiente.*

57. Etsi ex dictis supra, n. 12, satis constat quid senserint Jansenistæ de gratia sufficiente, ut tamen res plenius et clarius explicetur, pauca hic addemus. 1°. Negabant ullam, in statu lapso, dari gratiam, quæ vere simul et mere sufficiens esset: et ideo dixerunt gratiam datam quæ non producit effectum, ideo non producere, non ex resistentia humanæ voluntatis libera, sed quia non potest producere. Et ideo dixerunt etiam ipsos justos, etiam volentes et conantes servare præcepta Dei, si ea violent, ideo violare quia non habent gratiam sufficientem ad ea servanda. Hæc est prima propositio Jansenii damnata ut hæretica:—"Aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus et conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant."

58. Dixi "in statu lapso:" in homine enim et angelo

innocente ultro admittebant liberum arbitrium, seu potestatem voluntatis se pro libitu ad opposita flectendi. Peccato autem amissa est hæc libertas; adeo ut, donec accedat impellens ista delectatio, cœlestis trahens in bonum aut terrena trahens in malum, voluntas quasi torpens et emortua jaceat.

59. 2°. Admiserunt gratiam parvam, quam sufficientem vocabant, non quia sufficeret ad agendum sed ad quasdam velleitates et inclinationes ad agendum excitandas. 3°. Gratiam etiam vocabant sufficientem, sed absolute tantum, non relative: supra, n. 12.

60. Cautissime abstinendum est non tantum a doctrina sed etiam modo loquendi quorundam auctorum, quos indicat Croix, l. 3, pars I, n. 4, et aliorum, qui dicunt justis non semper *dari* gratiam sufficientem ad servanda præcepta, sed semper *offerri*, conditione interposita quadam absurda actualis largitionis hujus gratiæ. Omnino tenendum et dicendum est gratiam sufficientem semper justis dari. Secundum prop. damnatam, n. 57, "deest illis gratia" sufficiens: ergo non deest, ergo adest, ergo non mere offertur sed habetur. Gratiam dico sufficientem aut proxime aut remote: non enim semper habent justi gratiam proxime sufficientem v. g. ad gravem tentationem superandam; imo sæpissime non habent—Deo, pro sua infinita sapientia et bonitate, ita ordinante, ut nos semper, et præsertim in angustiis nostris, ad eum convertamus, qui potens est eripere nos ab omnibus tribulationibus et eripere vult, et, si ipsi nos velimus, infallibiliter eripiet. Sed nota dicta supra, n. 6.

61. PROPOSITIO. ***Datur in præsenti statu gratia vere et relative sufficiens, et tamen mere sufficiens, seu quæ ex sola nostra culpa effectum suum non sortitur.***

62. *Argumenta ex S. Scriptura.* ARGUMENTUM I. "Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei [i. e. in colle, loco pingui et fertili]. Et sepivit [Dominus vineæ] eam, et lapides elegit [i. e. collegit et abstulit] ex illa, et plantavit eam electam [i. e. vitibus electis et optimis: Hebr. et Sept. 'vitem Sorek'], et ædificavit turrim in medio ejus, et torcular extruxit in ea: et expectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas [i. e. uvas agrestes et amaras: Sept. 'spinas']. Nunc ergo [loquitur Dominus vineæ], habitatores Jerusalem et viri Juda, judicate inter me et vineam meam. Quid est quod ultra debui facere vineæ meæ, et non feci ei [i. e. quid ei faciendum erat ut efferret uvas, et non est factum]? An quod expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas [i. e. ex Hebr., cur, cum, juste expectarem ut faceret uvas, fecit labruscas: vel, num in hoc peccavi, quod ex vinea tam exculta expectabam &c.]?" Isai. v. 1–4.

63. Gratia, de qua quæstio est in textu, fuit gratia mere sufficiens, seu, non est sortita suum effectum a Deo intentum, ut evidens est. Sed vere et relative, imo abundanter et superabundanter, sufficiens erat; et ex eo solo inutilis facta est, quod Judæi ei non solum restiterunt, sed singulari cordis duritie restiterunt: quod constat ex singulis fere textûs incisis et vocabulis. 1°. Locus optimus et fertilitati efficiendæ aptissimus deligitur, in qua vinea constitueretur ("in cornu filio olei"): eam diligenter curavit et tutatus est Dominus ejus ("sepivit eam"):

quæcumque ubertati ejus obesset abstulit ("lapides elegit") : vites optimas in ea posuit ("plantanvit electam") : &c. Hæc omnia talem tantamque curam et diligentiam de vinea, ut fructus bonos profunderet, adhibitam significant, quæ ad largitionem gratiæ populo Judaico factam, quam adeo nervose repræsentant, translata, eam uberrimam fuisse et potentissimam plane significant. 2°. Deus affirmat se ex gratiis istis populo Judaico collatis expectasse fructus bonorum operum : sed infinite sapiens et verax id affirmare non potuit, nisi gratiæ illæ essent vere et omnimodo sufficientes. Quomodo enim affirmare potuit se expectare ut creatura id præstaret, quod ei absolute impossibile fuit præstare? 3°. Adeo manifestum fuit, et nullam excusationem habens—et id ipsis etiam Judæis, ipsis reis—inefficaciam gratiæ eorum resistentiæ soli tribuendam esse, ut Deus eos ad judicium provocet, ut dicant, si possint, quodnam aliud potentius auxilium iis impertire debuit, præter ea quæ impertivit, ut fructus bonos facere possent.

64. ARGUMENTUM II. "Jerusalem, Jerusalem, ... quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti." Matt. xxiii. 37. Similiter et Luc. xiii. 34. Ista resistentia gratiæ Dei sæpius alibi in S. Scriptura significatur, ut Prov. i. 24–25 :—"Vocavi, et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis." Similiter et Isai. xxviii. 12; xxx. 15; lxv. 12; lxvi. 4; Jerm. vii. 13. Item effusa largitio gratiæ et defensionis divinæ sæpius exhibetur sub metaphora alarum quasi avis eas ad protegendum extendentis, ut Psalm. xvi 8–9 :—"Sub umbra alarum tuarum protege me a facie impiorum, qui me

afflixerunt." Similiter xxxv. 8; lvi. 2; lx. 5; Isai. xxxi. 5; &c.

65. Sed in nullo alio loco Scripturæ, hac metaphorâ, adeo clare et significanter amor Dei erga populum suum depingitur, ut in textu Matthæi, non amor ille sterilis et pure affectivus, sed in se valde effectivus et valens, et qui finem suum, nisi obstitisset voluntas libere renitens, certissimo assecutus fuisset. 1°. Inter omnes aves alia non est quæ tanto et tam valenti affectu in pullos suos fertur quam gallina. Eos sub alas quiescentes fovet: et, si ad eos nocendos accedat aut accedere timeatur canis, accipiter aut quodvis aliud formidandum, quantumvis ipsâ gallinâ potentius et grandius, illa statim se ad aggrediendum impavida erigit; alta voce singultit et quasi provocat; claustro, unguibus, alis et pennis distentis pro sua prole dimicare parata. Si Christus Deus Judæis, de quibus ibi loquitur, gratias nonnisi insufficientes tribuisset, comparatio ab eo instituta esset falsissima. 2°. Diserte et expresse malum successum gratiæ, non ipsius gratiæ insufficientiæ, sed humanæ voluntatis resistentis pervicaciæ unice et totum ascribit Christus:—"*volui* congregare, ... et *noluisti*."

66. ARGUMENTUM III. S. Stephanus alloquens Judæos dicit:—"Vos semper Spiritui Sancto resistitis: sicut patres vestri, ita et vos." Act. vii. 51. Hic 1°, aperte affirmatur flagitia Judæorum, et qui tunc erant et patrum eorum, omnino tribuenda esse resistentiæ gratiæ divinæ, non ergo debilitati seu insufficientiæ gratiæ ipsius. Qui sensus valde confirmatur ex præcedentibus ejusdem sermonis S. Stephani, in quibus plura narrat singularia Dei beneficia Judæis collata ab Abraham deinceps: quasi diceret, non sane ex defectu divini favoris fuisse,

quod ipsi et eorum patres toties et adeo turpiter prolapsi sint.

67. 2°. Si Titius conetur Caium attollere in locum altum, in quem Caius, nisi Titio auxiliante, nullomodo ascendere potest; et si Titius auxilium Caio ferat vere sufficiens quo iste bene ascendere potest, Titio sic incitante et adjuvante Caium ut ascendat; et si Caius maneat voluntarie in loco humiliori, et non ascendat; tunc vere diceretur Caium Titio resistere. Si vero Caius ideo non ascendat quia auxilium a Titio præstitum prorsus non sufficiens est, non vere diceretur resistere Titio, sed potius ab eo illudi et sugillari. Sic ergo, cum Judæi non potuerunt totam legem servare aut aliquid salutare operari nisi adjuvante S. Spiritu, dici nequaquam potest eos ei restitisse, nisi ab eo accepissent auxilia vere et omnino sufficientia.

68. Probatur propositio ex aliis multis locis Scripturæ, nempe, ex omnibus illis locis, "in quibus peccati redarguuntur homines, qui per gratiam sufficientem non operantur: nam si hoc illis ad culpam tribuitur, profecto excusationem non habent" (SUAR. l. 4, c. 2, n. 8); qualem certo haberent, si gratia vere sufficiens iis præsto non esset.

§ 7. *Solvuntur Objectiones.*

69. *Object.* 1. Auxilium, de quo quæstio est in textibus illis, non est gratia interna sed externa, nempe, S. Scriptura, prædicatio verbi, &c. Ita CALVINUS apud SUAR, l. 4, c. 3, n. 1.

70. *Resp.* Nego. Gratia, de qua in textibus agitur, ex jam probatis, est vere sufficiens ad operandum salutariter. Sed, ex probatis contra Pelagianos, nullum opus salutare sine gratia interna fieri potest. Insuper, textus Isaiæ et

Mathæi eximiam eam curam et auxilium significant, quæ nequaquam in mero externo auxilio contineri possunt.

71. Nota tamen, etsi auxilium internum id sit quo proxime et principaliter fit opus salutare, non excludi auxilium externum, imo regulariter et ordinarie includi. Externum illud auxilium cum interno conjunctum efficit quasi quid unum morale: et, etsi in se et quoad substantiam naturale est, jure vocari potest et debet gratia. Non enim casu aliquo aut ex mera industria humana fit ut huic et non illi objiciatur externum auxilium v. g. prædicatio, bonum exemplum, bonus liber, &c. sed ex providentia supernaturali Dei, ita suaviter et occulte disponentis: est ergo donum Dei gratuitum datum in ordine ad salutem. Vid. SUAREZ, ibid. n. 5, 6.

72. *Object.* 2 "Quomodo descendit imber et nix de cœlo, it illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram . . . . sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum sed faciet quæcumque volui." Isai. lv. 10, 11, Verbum illud est gratia interna: sed verbum illud nunquam caret effectu intento a Deo; ergo gratia nunquam caret effectu intento; ergo non datur gratia simul vere et mere sufficiens.

73. *Resp.* 1°. Nego majorem. Longe probabilior sicut et communior sententia affirmat ibi significari decretum et promissionem Dei de regno Messiæ statuendo. Secundum omnes interpretes, totum argumentum capitis præcedentis liv., sicui et totum vel fere totum hujus capitis, est de regno illo. Ut autem notat PERRONE, n. 340, adversarii permiscere solent, quæ sedulo distinguenda sunt, nempe, efficaciam voluntatis Dei aliquid absolute decernentis et efficaciam gratiæ. 2°. Distinguo minorem: Nunquam

caret effectu absolute intento seu volito: Concedo: Condionate intento: Nego.

74. 3°. Potest etiam concedi consequens primum, imo debet, eo sensu quod gratia nunquam caret *omni* effectu et ergo nunquam redit vacua. "Nam 1°, saltem hunc habet effectum a Deo intentum, ut manifestet divinam benignitatem, misericordiam, providentiam ac sinceram voluntatem salvandi omnes et singulos homines. 2°. Si non obtinet in homine ei resistente effectum a misericordia divina intentum, redundat in effectum justitiæ respectu illius. Deus enim, ut docet S. Thomas [Pars 1, q. 19, a. 6, in corp.], virtualiter duplicem habet intentionem, nempe, ut bonum fiat et ut homo, qui non vult bonum agere, poenam subeat. Unde, cum alterutrum semper fiat, verbum Dei sive exterius sive interius ad ipsum non redit vacuum." ANTOINE, c. 4, a. 1, § 3.

75. *Object.* 3. "Omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me." Joan. vi. 45. Gratia quæ ibi significatur, gratia illustrationis et inspirationis, est omnis gratia vere sufficiens: gratia autem ibi significata semper sortitur effectum; ergo omnis gratia vere sufficiens sortitur effectum.

76. *Resp.* Distinguo majorem: Gratia ibi significata est gratia vere sufficiens, cui homo consentit, et quæ ideo fit etiam efficax:—"qui audivit a Patre et *didicit,*" i. e. gratiæ isti cedit: Concedo: Est omnis gratia vere sufficiens: Nego: ex probatis enim datur talis gratia, cui multi non cedunt: sunt qui audiunt et non discunt. Ex hoc textu potius firmatur nostra doctrina: qui enim non venerunt ad Christum, agnoscentes eum esse vere divinitus missum, non ideo non venerunt quia non audierunt, i. e. gratiam non receperunt, sed quia non didicerunt, i. e. gratiæ non cesserunt.

77. *Object.* 4. "Miserebor cujus misereor, et misericordiam præstabo cujus miserebor. Igitur non volentis neque currentis sed miserentis est Dei." Rom, ix. 15, 16. Ergo 1°, omnis gratia vere sufficiens semper suum effectum sortitur: ille enim cujus Deus misereri vult, utique tribuens ei gratiam sufficientem, semper assequetur misericordiam, i. e. effectum gratiæ. 2°. Quod gratia suum effectum sortiatur non est hominis volentis, i. e. nullomodo pendet ex libero assensu, sed est solius Dei miserentis, i. e. omnino pendet ex voluntate Dei.

78. *Resp.* 1°. Non est sermo in isto capite de operibus salutaribus, nec de gratia fidelibus data ad opera ejusmodi præstanda, sed vel de electione seu æterna prædestinatione ad gloriam, vel (quod longe probabilius est, mihi moraliter certum) de vocatione ad fidem. Et sensus est, hominem non posse ullo opere suo, toto quidem mere naturali, istam misericordiam vocationis merere. 2°. Etsi daretur sermonem esse de gratia fidelibus data ad bene operandum, redit ad primum distinctio supra posita, n. 73, 2°. Ad secundum, distinguo: Non est volentis solius aut suis viribus naturalibus : Concedo : Cum gratia : Nego.

79. *Object.* 5. "Voluntati ejus [Dei] quis resistit?" Rom. ix. 19. Ergo effectus gratiæ totus et exclusorie est ex voluntate Dei.

80. *Resp.* 1°. Sermo est hic de voluntate Dei vocantis ad fidem: supra, n. 78, 1°. 2°. Verba textus non sunt verba S. Pauli sed adversarii imaginarii, quem supponit S. Paulus ea sibi objicere. 3°. Redit distinctio supra data, n. 73, 2°.

81. *Object.* 6. Gratia sufficiens est inutilis. Sed non datur a Deo gratia inutilis.

82. *Resp.* 1°. Distinguo majorem: Ipsa gratia inutilis

est; Nego: dat enim veram et expeditam potestatem operandi: Inutilis *facta est:* Subdistinguo: Ab homine ea male utente, ei resistente, eam abjiciente: Concedo: quo modo dona Dei innumera in ordine naturali ab hominibus, iis male utentibus, quotidie inutilia, et etiam sibi et aliis perniciosa, facta sunt, vires corporis, valetudo bona, oratoria virtus, ingenium poeticum, ipsa facultas rationis, &c., &c. Inutilis facta est ex aliquo sui defectu: Nego. Hæc et omnes ejusmodi difficultates "ex eo oriuntur, quod ponatur intrinsecum discrimen inter gratiam efficacem et gratiam sufficientem, quod tamen Ecclesia non docet. Si igitur gratia sufficiens nil aliud est nisi gratia rejecta, seu gratia quæ ex sola hominis malitia effectu suo caret, patet nullam inde peti amplius posse difficultatem. Nihil enim ejusmodi gratiæ deest, quod requiratur ad effectum obtinendum: *sola* siquidem perversa hominis voluntas efficit ut ea non producat effectum, ad quem expeditam ac plenam tribuit facultatem." PERRONE, n. 365.

83. 2°, Alio etiam sub respectu utilis est gratia mere sufficiens. "Quamvis enim gratia sufficiens non producat actum salutarem ad quem a Deo conceditur, e. g. actum conversionis in peccatore, excitat tamen illuminationes in intellectu et pia desideria in voluntate, quæ sunt dispositiones ad actualem conversionem: atque sæpe contingit, ut pii voluntatis motus, qui debiles primum et inefficaces sunt, successive augeantur, crescant, et tandem in actum habeant, prout accidisse in S. Augustino, et aliis magnis peccatoribus ut plurimum accidere notum est." BULSANUS, § 427, obj. 8.

84. *Urgetur.* Gratia sufficiens nunquam habuit effectum, nunquam habitura est. Ergo inutilis est.

85. *Resp.* 1°. Antecedens falsa est secundum jam dicta,

n. 83 : sæpe enim confert ad effectum producendum, modo ibi exposito. 2°. Apponatur distinctio similis ei jam datæ, n. 82 : Nunquam habuit &c. ex culpa hominis : Concedo: Ex defectu sui : Nego. 3°. Gratia vocari potest sufficiens triplici sensu. "1°. *Præcisive,* prout significatur eam conferre potentiam, sed præscinditur an conjungatur cum operatione ; quo quidem modo opponitur gratiæ insufficienti. 2°. *Positive,* nimirum prout spectatur conferre potentiam, et simul conjungi cum operatione : quo sensu gratia sufficiens cum efficaci identificatur. 3°. *Negative,* videlicet prout spectatur conferre potentiam, sed simul carere effectu, ob voluntatis repugnantiam vel neglectum; et sic opponitur gratiæ efficaci. In præsenti quæstione agitur de gratia sufficiente hoc tertio sensu, et sic considerata certe nunquam habet effectum ; id vere provenit ex humanæ voluntatis libera resistentia." JUNGMANN, n. 191. Antecedens hoc sensu intellecta idem sonat ac si diceretur, Gratia quæ nunquam habet effectum nunquam habet effectum ! Sed gratia sufficiens, sensu concreto et integro intellecta, ea est quæ semper dat veram potestatem operandi, et sæpe, assentiente libero hominis arbitrio, producit effectum (et tunc in scholis vocatur efficax), sed sæpe, renitente eodem libero arbitrio, non producit effectum (et tunc in scholis vocatur sufficiens seu mere sufficiens). *Nota.* Quæ jam dicta de gratia sufficienti ut inutili spectata, eadem de ea ut nociva dicenda sunt. Notetur quoque propositio 6 inter damnatas ab Alexandro VIII :—" Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere, A gratia sufficienti libera nos Domine."

86. *Object.* 7. Qui habet gratiam mere sufficientem vi termini non potest non peccare. Ergo gratia ista non potest esse donum Dei.

87. *Resp.* Distinguo antecedens: Non potest, necessitate consequenti seu sensu composito, quod actu sed libere resistat gratiæ: sicut sedens, dum sedet, non potest stare: Concedo: Necessitate antecedenti seu in sensu diviso, quasi non possit, si velit, gratiæ libere cedere, ita ut quæ nunc est mere sufficiens esset efficax: sicut qui nunc sedet posset, si voluerit, nunc stare: Nego.

88. *Object.* 8. Gratia mere sufficiens est ergo donum Dei. Ergo licet eam a Deo petere. Sed hoc esset petere a Deo gratiam quæ effiectu carebit: quod sane non licet.

89. *Resp.* 1°. Distinguo antecedens: Est donum Dei, quatenus est vere sufficiens, et *hoc* est totum a Deo: Concedo: Quatenus est mere sufficiens seu effectu carens, vel potius ipsa effectûs carentia est donum Dei: Nego: *hoc* enim totum ab homine est, quod Deus nullomodo aut facit aut vult. 2°, Distinguo consequens: Licet petere gratiam sufficientem simpliciter quomodo a Deo provenit: Concedo: Licet petere carentiam effectus ejus, i.e. peccatum nostrum: Nego.

90. *Object.* 9. Ecclesia in omnibus suis orationibus petit gratiam efficacem. Ergo supponit non dari gratiam vere sufficientem quæ non est efficax.

91. *Resp.* ad antecedens. 1°. Ecclesia in suis orationibus aliquando petit gratiam ad hunc vel illum effectum salutarem assequendum, aliquando ipsum effectum directe petit, utique per gratiam assequendum. Utriusque orationis formam habes in prima Missa anni ecclesiastici, nempe, Dominicæ primæ Adventus, in duabus primis orationibus. In prima orat ut a peccatorum nostrorum periculis, Deo *liberante*, mereamur *salvari:* in altera orat ut intercessionibus Mariæ Virginis *adjuvemur*. Sed in alterutra forma rarissime, ut puto, utitur vocabulo "efficax"

vel "efficaciter," sed petit gratiam vel effectum gratiæ simpliciter. 2°. Qui petit gratiam ad aliquem finem assequendum, sive generalem sive particularem, v. g. ad hanc instantem tentationem vincendam, si animo sincero oret (et sic non orando, non orat sed illudit), eo ipso et ex natura rei, id quod imprimis imo unice vult et intendit est ut liberetur a tentatione, vel saltem ut ab ea non vincatur, i. e. ut recipiat gratiam quam theologi vocant efficacem ; ita ut, si tentatio non esset superanda, forsan de oratione et gratia ne quidem cogitasset.

92. *Resp.* ad consequens, illud non sequi. 1°. Ecclesia et singuli fideles (si hi debito modo orent) semper petunt gratiam efficacem, non quia credunt gratiam non esse sufficientem nisi sit efficax ; sed quia effectus gratiæ id est quod primario et omnino volunt, et revera non petunt gratiam nisi propter effectum, ideo vi termini et necessario, implicite saltem, petunt effectum, seu petunt gratiam quæ sortietur effectum, i. e. gratiam efficacem. 2°. Insuper, consequens ex antecedente non sequi patet ex propositionibus Jansenisticis de gratia sufficienti ab Ecclesia damnatis.

93. *Object.* 10. Deus non esset beneficus dando gratiam quam prævidet esse mere sufficientem.

94. *Resp.* Nego. Hæc est, quoad principium, eadem objectio quæ urgetur contra bonitatem Dei in creandis angelis et hominibus quos prævidebat esse damnandos ; et solvitur supra dictis, n. 82 et alibi.

95. *Object.* 11. Gratia efficax est necessaria ad omne opus salutare. Ergo non datur gratia mere sufficiens.

96. *Resp.* Distinguo antecedens : Gratia efficax ut denominatione pure extrinseca ab effectu derivata a gratia sufficiente distincta, i. e, ut *habens* suum effectum : Concedo : Ut ulla vi intrinseca potiori a gratia sufficienti distincta,

quasi hæc non æque *possit* habere suum effectum, et, si tantum homo vellet, non æque haberet effectum, et sic esset efficax: Nego. Omnes ejusmodi objectiones totæ verbis ludunt, et sunt meræ verborum angustiæ. Ut enim sæpius dictum est, tota ratio discriminis, quod attinet ad præsentem disputationem, inter gratiam efficacem et sufficientem in eo solo ponitur quod, cum utraque sit *æque* vere sufficiens, prior sortitur effectum, altera vero non, et id ex solo arbitrio hominis eam libere rejicientis. Unam ergo tantum aliam ex his minutiis proferam.

97. *Object.* 12. Gratia mere sufficiens opponitur gratiæ efficaci. Ergo non potest producere effectum, seu esse efficax.

98. *Resp.* Distinguo antecedens: Opponitur ut non *producens* effectum: Concedo: Ut non *potens* producere: Nego.

PARS SECUNDA.—De Distributione gratiæ sufficientis.

99. Tres sunt quæstiones valde consimiles, seu potius, quoad rem, idem diverso modo significantes: An Deus vere et sincere velit salutem omnium hominum? An Christus ex eadem vera et sincera voluntate applicationis meritorum suorum pro omnibus mortuus sit? An Deus omnibus hominibus elargiatur gratiam sufficientem ad salutem? Duas primas quæstiones excutiunt theologi, quidam in tractatu de Incarnatione, plerique vero in tractatu de Deo. Posita responsione affirmativa ad has duas quæstiones, sequitur necessario responsio affirmativa ad tertiam. Si enim Deus vere omnium salutem vult, ergo dat omnibus medium sine quo salus haberi non potest.

Item, si pro omnibus præfata voluntate mortuus est. Non ergo intendimus hic proferre argumenta quibus istæ responsiones firmantur aut solutiones difficultatum quæ contra eas objiciuntur, sed tantum, quoad distributionem gratiæ, breviter capita rescensere doctrinæ sive definitæ ab Ecclesia sive aliter certæ et apud theologos receptæ et probatæ.

100. Non est quæstio de gratia efficaci, an gratia data omnibus sit efficax: manifestum enim est multos, et sæpius etiam ipsos justos, gratiæ receptæ resistere, et proinde eam mere sufficientem reddere.

101. I. Urgentibus præceptis, Deus dat omnibus justis gratiam sufficientem ad ea implenda. Est de fide ex propositione prima Jansenii, quæ hæretica declaratur et uti talis damnatur :—" Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant." Semper ergo et sine ulla exceptione, urgente præcepto, Deus justis dat gratiam sufficientem ad illud implendum, et quidem vere et relative sufficientem: alioquin enim aliqua præcepta illis, relate ad *præsentes* quas habent vires, essent impossibilia. Gratiam dico sufficientem aut proxime aut remote: si detur proxime sufficiens, alia non est necessaria ad operandum ; si statim non detur proxime sufficiens, statim semper et infallibiliter datur remote sufficiens, qua, si velit et conetur, bene utens statim infallibiliter recipiet gratiam proxime sufficientem.

102. II. Quoad fideles peccatores, duo sunt ab iis officia præstanda. 1°. Tenentur ex æquo cum justis implere præcepta; 2°, tenentur resipiscere a peccatis, ad quod non tenentur justi. Suppono peccatores nec obduratos nec

obcæcatos, de his enim specialis est difficultas. Propositio affirmans Deum dare ejusmodi peccatoribus gratiam sufficientem ad utrumque opus præstandum "spectat ad doctrinam catholicam" ait PERRONE, n. 389. Eam tenent "Catholici omnes" ait ANTOINE, c. 4, a 3, § 1. Etsi non sit expresse definita ab Ecclesia, censeo eam esse definibilem de fide ex manifesta Scriptura, traditione et sensu omnium fidelium. Et, solo consensu theologorum inspecto cum gravitate rationum quas proferunt, censeo oppositam doctrinam, etiam ante definitionem Ecclesiæ, saltem temerariam esse.

103. Nota autem peccatoribus istis, urgente præcepto, semper dari gratiam sufficientem ad illud servandum ; non autem semper et omni tempore dari gratiam ad conversionem, sicut nec ipsis justis semper datur gratia ad salutariter operandum. "Quia, licet, quantum est de se, singulis momentis sit paratus [Deus] ad danda auxilia, si tempus esset opportunum, et nisi illa ex cursu causarum impedirentur ; hæc tamen sæpius impediuntur, ita ut connaturaliter dari non possint, ut v. g. quando homo dormit, vel occupatur aliis negotiis, nihil cogitando de rebus ad salutem pertinentibus." STRUGGL, d. 3, q. 1, a. 2, n. 10. Sed etiam extra duos illos casus somni et occupationis non omne tempus est opportunum, sed nunc hoc nunc illud, secundum beneplacitum et providentiam divinam. Bonum aliquod exemplum, bonus liber acceptus (ut in casu S. Ignatii), concio audita, mors subita amici, et alia ejusmodi plura occasiones sunt ordinariæ, quibus datis Deus interna sua gratia mentem excitat: quæ omnes, etsi sæpius casu et fortuito contingere videantur, sine dubio ex suavi et misericordi providentia Dei fiunt. Occasiones dico ordinarias : multæ enim factæ sunt et quotidie fiunt conversiones modo extraordinario, quorum exempla habes in vitis

Sanctorum: imo non raro factæ sunt conversiones modo valde extraordinario et etiam plane miraculoso.

104. "Inter peccatores alii sæpius et copiosius, alii rarius et parcius gratiam sufficientem ad conversionem accipiunt, prout Deus vult sua bona distribuere. Præterea Deus aliquos peccatores miraculose privat vita in flagranti delicto, vel permittit ut interficiantur: item permittit ut aliqui peccatores statim post admissum crimen in amentiam perpetuam incidant. Quare loquor de peccatoribus, qui notabili aliquo tempore post peccatum vivunt rationis usu præditi." ANTOINE, l. c. § 2. Hæc omnia vera sunt de peccatoribus simpliciter talibus sicut et de obcæcatis et obduratis, cum distinctione tamen infra apponenda, n. 109.

105. Ratio autem ob quam, etsi peccatoribus semper, urgente præcepto, tribuitur gratia ad illud servandum, non ideo semper tribuitur gratia ad conversionem, præter datam, n. 103, hæc alia esse videtur: quia præceptum conversionis, sive per contritionem sive per sacramentum poenitentiæ, non semper urget; et post peccatum admissum potest conversio differri absque novo peccato—quousque disceptabitur in tractatu de poenitentia.

106. III. De excæcatis et obduratis, quorum status est omnium in hac vita miserrimus, intellectu per excæcationem vulnerato, voluntate per obdurationem. "Sita est excæcatio non solum in *subtractione divinæ illustrationis*, sed etiam in *positiva judicii perversione:* unde hæc duo ad illam requiruntur. (*a.*) Ratione prioris fit, ut salutaria non intelligant vel non apprehendant, saltem eo modo quo apta sunt affectum movere. Itaque neque ex concionibus, neque ex colloquiis piorum, neque ex lectione sacra fructum referunt. (*b.*) Ratione posterioris fit, ut perverse de

rebus ad salutem spectantibus judicent, approbantes falsa pro veris, pestifera pro salutaribus, tenebras pro luce, mala pro bonis: et, e contrario, vera ac salutaria detestantes ut falsa et nocentissima, et lucem serenam ut tenebras cimmerias. De talibus dicitur Isaiæ v. 20:—'Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum: ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum.'

107. "Excæcationem sequitur obduratio: quod enim excæcatio est in intellectu et judicio, hoc obduratio est in voluntate et affectu. Nam quemadmodum ex illuminatione divina sequitur in voluntate promptitudo quædam ad obsequendum Deo, et amplectendum quod ille inspiraverit; ita ex mentis cæcitate sequitur durities quædam et obstinatio in malo, per quam salutaribus monitis et divinis inspirationibus resistitur: quamvis et in ipsa excæcatione obduratio quædam intrinsece contineatur, quatenus quis affectum adversus veritatem obdurat, nullis rationibus aut declarationibus locum relinquens. Consistit obduratio in firma et obstinata affectûs ad aliquod malum, propter speciem quamdam boni, adhæsione: qua fit ut neque externis monitis, neque internis inspirationibus, neque flagellis, neque promissis dimoveri possit, sed velut saxum se ad omnia obduret et impenetrabilem præstet, nisi majore quadam vi divinitus impellatur." LESSIUS, de Perfectionibus Divinis, l. 13, n. 76, 81. Vid. etiam LUGO, de Poenitentia, d. 8, s. 1, n. 37, et locus insignis ex S. BERNARDO apud PERRONE, n. 403. Porro "excæcatio et cordis durities sunt peccatum, poena peccati et causa peccati." ANTOINE, l. c. § 3.

108. De istis excæcatis et obduratis hæc dicenda sunt. 1°. Omnes illi recipiunt gratiam saltem remote sufficientem

ad servanda præcepta. 2°. Pariter sine dubio quidam eorum recipiunt gratiam non tantum sufficientem sed etiam efficacem ad conversionem: notum est enim quosdam, imo non paucos, fuisse conversos, infideles ad fidem, fideles ad poenitentiam. 3°. Omnibus tribui, pro loco et tempore, gratiam sufficientem ad conversionem a peccatis, ut *certum* propugnat PERRONE, n. 404. Hanc sententiam affirmantem tenent plerique theologi. Sunt tamen graves auctores qui negant: "ita senserunt e.g. ex veteribus DOMINICUS BANNES et LEDESMA, GODOY, GONZALES et GONET: quibus plures recentiores assentiuntur." JUNGM. n. 212. Eorum argumenta "non levia" sunt, ait LUGO, l. c. n. 31: videantur apud GONET, de Prædestinatione et Reprob. d. 5, n. 186, &c. tom. 2, p. 99. Verumtamen, sicut longe communior esse videtur sententia affirmans, ita et longe graviora, imo plane invicta, mihi videntur argumenta quibus innititur; censeo autem sententiam negantem esse adhuc omnino liberam, et nulla nota theologica affici posse.

109. 4°. Intercedit autem discrimen inter hujusmodi peccatores et alios. "Nam peccatores obdurati rarius accipiunt gratiam sufficientem ad conversionem, et sæpe remote tantum sufficientem: atque interdum ad tempus deseruntur destituti omni gratia, etiam remote sufficiente ad conversionem; quod non accidit peccatori non obdurato." ANT. l. c. § 2. "Peccatores reliqui uberiores et frequentiores gratias consequuntur præ obduratis et obcæcatis.': PERRONE, n. 427. Horum unum est genus quorum non paucos in his regionibus ipse noveram, de aliis multis ex testimonio gravi didici, et quorum nullus, ne unus quidem, unquam conversus est, sed omnes in peccato mortui sunt obdurati. Catholici hi erant qui, sive ante sive post matrimonium

initum, non solum ipsi a fide et Ecclesia defecerunt, sed etiam liberos suos in hæresi educarunt.

110. IV. Infidelium alii sunt negativi, nempe, qui de fide nunquam audierunt seu quibus fides nunquam sufficienter proposita est, quorum ergo ipsa infidelitas non est peccatum; alii sunt positivi, nempe, quibus fides sufficienter proposita est, qui tamen in sua infidelitate manent, vel, quod pejus est, qui fidem olim habitam abjecerunt, quorum ergo infidelitas est ipsa et peccatum et ex peccato et poena peccati et causa peccati. De his nulla quæstio esse potest: ideo enim adeo graviter peccaverunt, quia, cum tanta eis gratia data est, eam respuerunt. Propositionem quæ affirmat infidelibus omnibus, etiam negativis, dari pro loco et tempore gratiam sufficientem ad salutem, pariter et jure merito tanquam *certam* propugnat PERRONE. Gratia vero quæ infidelibus primum tribuitur non est, regulariter saltem aut lege statuta, gratia proxime sufficiens ad fidem habendam vel etiam initia fidei, imo non est necessario vel etiam regulariter elevans, sed tantum medicinalis et ad servandam legem naturalem. Hac gratia si bene utantur, alia et alia eis dabitur, donec postremo lucifer fidei oriatur in cordibus eorum: et id, non quasi opera illa facta cum auxilio naturali et pure medicinali ullam habeant rationem dispositionis positivæ ad gratiam, sed quia sic amovetur seu potius non ponitur obex ad gratiam, et Deus, ex voluntate salvandi omnes homines, infallibiliter dat gratiam omnibus non ponentibus obicem: vid. d. 3, n. 75–86.

111. V. "De infantibus est peculiaris difficultas, propter eos qui ita videntur remedio salutis destituti, ut eis non possit per humanam industriam vel diligentiam applicari. Sic enim accidit imprimis omnibus his qui in maternis

visceribus moriuntur: deinde illis qui in ea occasione et dispositione nascuntur, ut, priusquam possit aqua, verbi gratia, inveniri, vel minister vocari qui baptizare sciat, moriuntur. Denique eadem ratio est de omnibus qui, sine culpa alicujus, casu aliquo sine sacramento decedunt." SUAREZ, de Prædestinatione, l. 4, c. 4, n. 1. Difficultas hæc non tantum peculiaris est, sed etiam gravis et, ut ait LA FOSSE (Objic. 9) cum aliis auctoribus, gravissima.

112. Quæstio non est utrum Deus velit salutem istorum infantium antecedenter ad peccatum originale; nec utrum, supposito peccato originali, velit voluntate quadam sterili seu meræ complacentiæ; sed an velit voluntate activa, ita ut illis actu paraverit media salutis, imprimis baptismum eis certo conferendum, nisi obstarent causæ secundæ, vel liberæ vel in ordine physico necessariæ, et quas ut provisor generalis impedire non tenetur.

113. Omnino rejiciendæ sunt sententiæ Cajetani et quorumdam aliorum paucorum, quos memorat PERRONE (de Baptismo, n. 156), qui dixerunt illos infantes salvari posse parentum fide, precibus, &c. Nec minus ficta et absona est opinatio cujusdam auctoris recentissimi, qui, quærendo tamen potiusquam affirmando, putat forsan baptismum istis infantibus ab Angelis conferri. Nova est hæc sententia, aliena a sensu universali fidelium, ratiunculis plane futilibus nixa. Dicit v. g. sacramentum Eucharistiæ hominibus aliquando ab Angelis ministratum fuisse. Sed hoc miraculum rarissime factum est, in quibusdam Sanctis, non quod ipsis ullo modo ad salutem necessarium esset sacramentum, sed ad testificandam eorum sanctitatem insignem et amorem Dei erga eos eximium.

114. Longe communior inter theologos est sententia affirmans "Deum sincere velle salutem etiam parvulorum

in utero materno morientium, ipsisque de sufficienti remedio providisse, quatenus scilicet paravit media exteriora, ut sunt sacramenta, ex sese salvandis pueris maxime sufficientia: quæque ipsis possent applicari, nisi obstarent certæ quædam causæ naturales et necessariæ; quarum Deus, utpote provisor universalis, vim et ordinem per miraculum impedire non tenetur." LA FOSSE, l. c. Hæc sententia non solum probabilior sed probabilissima seu moraliter certa esse videtur. Censeo tamen sententiam negantem adhuc omnino liberam esse, et sine ulla censura defendi posse. Censet SUAREZ (l. c. n. 4) quod "fortasse magna pars hujus controversiæ sit in modo loquendi:" quod definite de VASQUEZIO, sententiæ negantis præcipuo propugnatore, censet PERRONE, de Deo, n. 539, not.

*DISPUTATIO OCTAVA.

(Vid. Præf.)

DE MODO CONCORDIÆ GRATIÆ ET LIBERI ARBITRII.

§ 1, *Notiones Prævia.*

1. De concordia ipsa nulla est inter theologos disceptatio, ut ex disp. præcedente manifestum est. Sed de modo quo ista concordia habetur magna inter eos existit dissensio: aliis efficaciam gratiæ ab intrinseco derivantibus, aliis ab extrinseco. "Notandum porro est, gratiam dici ***ab intrinseco*** efficacem, quando infallibilis ejus cum effectu connexio in ipsa gratiæ natura fundatur, ita ut non idcirco gratia efficax fiat, quia ei homo consentit, sed ideo homo consentiat, velit et agat, quia gratia efficax est; ***ab extrinseco*** autem efficacem gratiam vocari, quando infallibilis ejus cum effectu connexio non ex gratiæ natura repetitur, sed ex aliqua causa gratiæ extrinseca, e. g., ex prævisione consensus humanæ voluntatis." Bulsan. n. 439. Quatuor sunt præcipua systemata, nempe, Thomistarum et Augustinianorum, qui gratiam ab intrinseco efficacem propugnant; Molinistarum et Congruistarum, qui gratiam ab extrinseco efficacem propugnant. Sed ut controversia rite intelligatur quædam ex tractatu de Deo in memoriam revocanda sunt.

2. I. Scientia Dei in se unica est et simplicissima: quoniam vero plura objecta habet, et quoniam, utpote infinita, pluribus scientiis particularibus æquivalet, objective igitur et secundum nostrum modum concipiendi multiplex distingui potest. Divisio scientæ Dei, quæ ad præsentem materiam pertinet, ea est qua distinguitur in scientiam *simplicis intelligentiæ* (quæ etiam aliquando vocatur *naturalis*, aliquando *necessaria*) et scientiam *visionis* (quæ etiam vocatur *libera*). Prior est scientia imprimis ipsius essentiæ Dei deinde omnium rerum mere possibilium, seu possibilium quæ nec existebant nec existunt nec extituræ sunt: altera est scientia omnium rerum in tempore aut præterito aut præsenti aut futuro existentium. In hac distinctione omnes eatenus conveniunt: sed an sit divisio adæquata, et an non detur alia species scientiæ objective distinctæ, quam scientiam *mediam* vocant, infra, n. 99, &c., disputabitur.

3. II. Decretum divinum est actus voluntatis Dei quo vult aliquid fieri, ut, volo creare mundum, permittere lapsum Adami, &c. Sicut scientia Dei, etsi in se actus unus et simplex quo omnia cognoscit, ratione tamen objecti multiplex distinguitur; ita et decretum Dei, etsi unicus voluntatis actus quo omnia decernit, multiplex distinguitur. Insuper, etsi nec inter intellectum et voluntatem Dei in se ulla datur distinctio realis, nec inter actus horum attributorem ullus ordo realis, quasi Deus hoc prius deinde illud sciat aut decernat; attamen, propter infirmitatem nostræ mentis, et ad clariores conceptus habendos, ex reali distinctione et ordine successionis objectorum divinæ scientiæ et voluntatis, inductus est in scholis theologicis modus concipiendi et loquendi, secundum quem dicimus Deum primo instanti hoc scire aut decernere, secundo instanti illud scire

aut decernere, &c. Ejusmodi distinctiones, etsi non reales, habere tamen fundamentum in re et omnino rectas et justas esse suo loco a theologis ostenditur. "Instantia porro illa nuncupantur *instantia rationis*, ut intelligatur ea nec esse instantia temporis, nec etiam causalitatis vel originis, sed idcirco tantum esse inventa et invecta, ut quæ ad scientiam et voluntatem Dei, uno verbo ad ejus providentiam et præcipue prædestinationem et reprobationem attinet facilius exprimerentur." LA FOSSE, q. 5, a. 3, § 1.

4. III. Tria sunt in creaturis, intra ambitum meræ naturæ spectatis, quibus maxime declarantur omnipotentia Dei, supremum ejus in illas dominium et illarum ab eo dependentia omnimoda. Primus est actus divinus quo e nihilo producuntur, et hæc vocatur *creatio*. Secundus est actus quo in esse sic recepto permanent, et hæc vocatur *conservatio*. Nec minus absolute necessarius est hic actus et influxus conservationis continuus ut creaturæ existere perseverent, quam actus creationis ut existere incipiant. "Itaque totus ille impetus et influxus, quem primo creationis momento præstitit [Deus], ut rem ex nihilo in lucem et speciem excitaret, debet indesinenter continuari, omnibusque momentis dari: alioquin si vel unico temporis puncto intermittatur, tota creatura funditus peribit, et in suum nihilum, unde emersit, relabetur. Sicut ut mundus illustretur, non sufficit solem semel ex se lumen fudisse, sed necesse est ut illud assidue conservet, continuando primum influxum. Si enim vel unico momento vim suam cohiberet, repente totum lumen extingueretur. Similiter si pondus aliquod in aere manu suspendas, illud assidue sursum teneri et eodem impetu ibi conservari debet, quo ab initio ibi est suspensum." LESSIUS, de Perfectionibus Divinis l. 10, n. 20. Unde actus conservationis nihil aliud

est quam actus creationis continuatus, nec una ab altera nisi ratione distinguitur.

5. Tertius actus (de quo solo hic sermo est) est *influxus* in creaturam in agendo, et hic vocatur *concursus.* Apud omnes enim certum est causas secundas, i. e. omnes causas creatas, nihil agere vel efficere posse sine auxilio seu concursu causæ primæ, i. e. Dei. Hic concursus, utpote omnibus omnium omnino creaturarum actionibus necessarius, vocatur concursus *generalis,* ut distinguatur ab auxiliis quæ, præter hunc concursum generalem necessaria sunt ad hoc vel illud speciale efficiendum, v. g. ad ponendum opus salutare. Quæstio non est hic de causis ex necessitate agentibus, v. g. igne ad lignum adhibito illudque comburente, sed de actibus liberis, v. g. humanis: et de his quæritur, qualis sit concursus in iis ponendis. Triplicem de hoc sententiam breviter simul et clare enarrat BECANUS (de Deo, c. 18, n. 14), loquens de causa secunda in genere, sive necessario sive libere agente:—"Concursus Dei cum causis secundis, in genere causæ efficientis, tribus modis intelligi et explicari potest. Primo, ut Deus ideo dicatur concurrere cum causis secundis, quia dat illis naturalem vim agendi, et eam conservat. Secundo, quia movet et applicat illas ad agendum, sicut faber movet et applicat securim ad scindendum [sed causas liberas ad libere agendum, infra, n. 29]. Tertio, quia influit in actionem et effectum illarum. Est autem magnum discrimen inter hos tres modos. Nam primus nihil aliud tribuit Deo nisi conservationem causarum secundarum [cum virtute agendi]. Secundus, præter conservationem, tribuit, etiam actionem quandam, qua movet et applicat causas secundas ad agendum: ita ut actio illa sit distincta ab actione causæ secundæ; sicut actio, qua faber movet et applicat securim

ad agendum, distincta est ab actione securis, qua scindit lignum. Tertius modus, præter conservationem, tribuit illi etiam actionem quandam, non tamen distinctam ab actione causæ secundæ, sed plane eandem; ita ut Deus dicatur concurrere cum causa secunda, non quia movet illam ad agendum, sed quia simul cum causa secunda ad eundem effectum concurrit." Vid infra, n. 14–20.

6. Concursus primus, quem DURANDUS solus aut fere solus propugnat, est concursus *mediatus*. Hanc sententiam ceteri omnes rejiciunt, alii tanquam erroneam, ut SUAREZ, Metaph. d. 22, s. 1, n. 6; alii tanquam falsam et minus tutam, ut MOLINA, Concordia, q. 14, a. 13, d, 25. Concursus secundæ speciei is est quem tenent Thomistæ, eum affirmantes esse *immediatum;* quod tamen negant Molinistæ et Congruistæ, qui tertiam speciem concursus propugnant.

7. Docent Thomistæ ad omnem actum seu effectum omnis creaturæ, non solum necessario agentis (de quo, ut dixi, nulla est hic quæstio) sed etiam libere agentis, absolute necessariam esse præmotionem seu prædeterminationem physicam a Deo agenti impressam; ita ut non solum sine ea agere non possit creatura, sed cum ea id infallibiliter efficiat ad quod efficiendum sic determinatur, et repugnet ut id non efficiat, etsi tamen libere efficit.

8. "Notandum primo: Duplicem distingui a Thomistis prædeterminationem; unam æternam, et in Deo manentem; alteram temporalem et in creatura receptam. Prima dicitur decretum prædeterminans, seu divina prædefinitio; secunda appellatur præmotio vel prædeterminatio physica, vel gratia efficax et prædeterminans, quando movet et applicat voluntatem ad actus supernaturales.

9. "Notandum secundo: In his nominibus, 'Decretum

prædeterminans, prædeterminatio physica, gratia prædeterminans,' particulam 'præ' non designare prioritatem durationis sive temporis, sed duntaxat naturæ seu causalitatis et dependentiæ, quam explicat Aristoteles, ... dum ait, quod illud est prius a quo aliud pendet tanquam a causa, et nihilominus convertitur subsistendi consequentia, ita ut, *si verum sit unum esse, verum etiam sit esse et alterum.* Quomodo causa etiam in actu est prior sua operatione et effectu: quia licet non possit concipi causa in actu, nisi concipiatur ejus operatio et effectus ab illa procedens, nihilominus, quia operatio et effectus dependent a causa in actu, ideo causa in actu dicitur prior sua operatione et effectu prioritate dependentiæ et causalitatis, quæ etiam vocatur 'prioritas instantis a quo.'

10. "Notandum tertio: Divinam motionem in creatura receptam ab eisdem Thomistis physicam appellari, non quod forma naturalis sit, seu per modum naturæ ad unum determinans (absit), sed quia ex propria essentia et ab intrinseco est efficax, *independenter a quocumque creato consensu:* quod est physicum theologice non philosophice. Exemplum tibi dat ipse Thomista, dum docet gratiam physice expellere peccatum, non quod exerceat oppositionem formæ naturalis seu physicæ, sed quia oppositionem habet cum illo ex sua propria essentia et ab intrinseco, independenter a quacumque lege extrinseca." GONET, tract. de Prædestinatione, d. 6, n. 65, &c.

11. Potest omnis actio et motio gratiæ, saltem adjuvantis, sive efficacis sive mere sufficientis, vocari præmotio aut motio physica: d, 7, n. 40, &c. Sed, prætermissis hoc et aliis modis in quibus adhiberi potest hæc locutio, sensum in quo hic adhibetur vocabulum "physica" sic explicat SUAREZ (de Vera intelligentia Auxilii Efficacis, c. 46 ;

vid. et opus de Gratia, l. 5, c. 6):—"Proprie et, ut ita dicam, ex instituto per illam vocem significatur talem esse entitatem illam, quæ prædeterminatio vocatur, ut, eo ipso quod inhæret voluntati, sola sua vi et proprietate connaturali ita constituat illam in ultimo complemento actus primi ad operandum, ut non stet a voluntate sic affecta separari actum secundum, sed consequtione et illatione omnino necessaria consequatur, adeo ut implicet contradictionem voluntatem in tali actu primo constitui, et pro eodem instanti seu duratione carere actu secundo, non minus quam repugnat currere et non moveri, aut solem illuminare aerem, et aerem non illuminari, aut Deum actu concurrere cum igne ad calefaciendum, et ignem non calefacere. Atque hæc proprietas seu causalitas prædeterminationis, si vera est, optime significatur per illam particulam 'physica:' nam denotat totam efficacitatem convenire illi prædeterminationi ex intrinseca natura sua, et ex vi solius entitatis suæ." Hoc opus SUAREZII de Vera intelligentia, maxime, ut videtur, ad suas sententias de gratia vindicandas conscriptum, nonisi post mortem eximii auctoris in lucem editum est, an. 1655: obiit autem an. 1617.

12. Ratio theologica fundamentalis qua statuitur hoc systema derivatur ex supremo dominio Dei et absoluta et essentiali dependentia omnium creaturarum ab eo in omnibus suis operationibus: quæ dependentia talis est, ut nulla creatura potest ullum effectum producere, cujus Deus non est prima causa movens.

13. Præcipuæ rationes theologicæ quibus impetitur illud systema tres sunt, nempe, quod libertatem humanam perimat, quod nullam gratiam nisi efficacem vere sufficientem admittat, et quod Deum faciat auctorem peccati.

14. Concursus Thomistarum concursus *prævius* vocatur.

Concursum illum omnino rejicit MOLINA, et alium, qui *concomitans* seu simultaneus vocatur, propugnat—concursum dico universalem et ad operationes pure naturales, sive liberas sive necessarias: quid autem dicendum est de concursu ad opera supernaturalia vid. infra, n. 89, &c. De illo concursu hæc habet auctor idem, l. c. d. 26:—"Dicendum est, Deum immediate immediatione suppositi [et non sola immediatione virtutis causis secundis inditæ] concurrere cum causis secundis ad earum operationes et effectus: ita videlicet ut, quemadmodum causa secunda immediate elicit suam operationem, et per eam terminum seu effectum producit, sic Deus concursu quodam generali immediate influat cum ea in eandem operationem, et per operationem seu actionem terminum illius atque effectum producat. Quo fit ut concursus Dei generalis non sit influxus Dei *in causam secundam, quasi illa eo prius mota agat et producat suum effectum*, sed sit influxus immediate cum causa *in illius actionem et effectum.*" Alibi, prope finem ejusdem disp., hæc profert:—"Cum perspiceret [Deus] causas secundas, quibus vires ad operandum statuebat conferre, nihil omnino posse efficere, nisi una cum illis in operationes et effectus earum ipse influeret, æterna sua voluntate statuit ita accommodare et quasi attemperare suum influxum, atque eo modo auxilium ac juvamen illis conferre, ut non ipse solus ad earum præsentiam actiones et effectus produceret, sed *suum locum atque influxum sic illis relinqueret, ut operationes et effectus essent proprii earum*, quod in creaturarum dignitatem redundabat. Ipse vero influxu quodam rebus omnibus communi, qui pro diversitate concursuum causarum secundarum ad varias operationes et effectus distrahi ac limitari posset (qua ratione concursus generalis Dei dicitur), suppleret earum imbecillitatem, tam quoad pro-

ductionem quam quoad conservationem suorum effectuum. Eaque ratione æterna sua voluntate statuit ita omnibus causis præsto esse per ejusmodi generalem concursum, ut quoties causæ secundæ, vel naturæ necessitate, vel sponte sua ac libertate cooperarentur, perinde ejusmodi influxus, ex determinatione liberæ suæ voluntatis perpetuo ordinarisque statuta lege, sequeretur, ac si ipse causa esset ex necessitate naturæ influens: paucis duntaxat eventibus exceptis, in quibus, futurorum omnium præscius, eadem æterna suæ voluntatis determinatione statuit illum suspendere, causisque secundis ob altiorem quendam finem miraculose denegare."

15. Duo sunt principia MOLINÆ fundamentalia de concursu Dei *generali*—diligenter enim præ mente tenendum est de hoc solo concursu hic verbum fieri. Primum est Deum concursu suo nequaquam præmovere causam ad operandum, nec in eam agere sed tantum cum ea in effectu producendo. Supponuntur enim vires ad operandum jam existere in creatura, primùm per creationem deinceps per conservationem: omnibus autem paratis et dispositis ad operandum, Deus simpliciter concurrit ad operationem præstandam; positis enim istis omnibus prærequisitis ad operandum, adhuc creaturæ necessarius est concursus Dei ut actu operetur. Et in hoc definite consistit concursus ille. Concursum hunc creaturæ nunquam denegat Deus, nisi in casu extraordinario supra notato, nempe, quando vult miraculum facere.

16. "Est itaque divinus concursus aliquid, quod causæ secundæ actionem comitatur, et ipsum se habens per modum actionis, qua divina virtus una cum creatura agit, ad eumdemque terminum immediate tendit, ad quem tendit creaturæ actio. Ad eum fere modum, quo binæ causæ partiales et cooperantes, v. g. duo homines aliquid fune trahentes, non ita cooperantur alter alteri, ut alter in alterum

agat, sed ita ut uterque in eumdem effectum immediate influat. Ita quoque causa prima et secunda ita simul operantur, ut in unum eumdemque effectum immediate, tamquam ad terminum actionis, tendant.

17. "Hinc sequitur effectum non partim a Deo manare et partim a creatura, sed totum esse Deo adscribendum et totum creaturæ: diversimode tamen; a Deo enim est, ut a causa prima et independenti; a creatura, ut a causa secunda et dependenti. Sic utraque causa totalis est, in suo videlicit modo causandi totum effectum. Quod si integra causalitas ad effectum necessaria consideretur, nihil vetat quominus, ut quidam loqui amant, et Deus et creatura ad eumdem effectum partialiter concurrere dicantur." TONGIORGI, Theol. n. 301, 3°, 4°. Haec hujus cl. auctoris expositio omnino ad mentem MOLINÆ est.

18. Sit exemplum causæ necessario agentis ex igne calefaciente hominem. Accedente homine ad ignem, non est opus ut ulla nova motio seu vis ipsi igni communicetur, quam ante accessum hominis non habuit, ut eum calefaciat; sed requiritur tantum concursus vim ignis jam habitam concomitans, ut effectum naturalem suum califaciendo hominem præstet. Si Deus in aliquo casu hunc concursum miraculose deneget, ignis non producet effectum et non calefaciet, sed vis ejus calefaciendi manet eadem.

19. Exemplum est causæ liberæ in homine omnibus necessariis ad agendum vel non agendum instructo. Sicut causæ ex necessitate agenti jam dispositæ ad suum effectum producendum, v. g. igni ad comburendum, datur concursus, non ut vim habeat comburendi (hanc enim, ex hypothesi, jam habet), sed ut actu comburat, i. e. ad effectum præstandum ad quem *ex necessitate* determinatur; ita causæ liberæ datur concursus ad effectum præstandum ad

quem se *libere* determinat. Habeo nunc potestatem aut ambulandi aut sedendi: datur mihi concursus ad ambulandum, si ambulare eligam; ad sedendum, si sedere eligam.

20. Principium secundum (n. 15) hoc est. Concursus Dei cum causis ex necessitate agentibus determinatus est, v. g. cum igne calefaciendum, comburendum. Concursus cum causis liberis indeterminatus est in se, v. g. nec determinate ad ambulandum datur nec determinate ad sedendum; et determinatur ad unum aut alterum secundum electionem creaturæ. "Deus præbet unicuique causæ secundæ concursum modo accommodato naturæ ejus. Sed hæc est natura causæ liberæ, ut, positis cæteris omnibus conditionibus prærequisitis, sit indifferens ad plures actus. Ergo debet etiam recipere in actu primo concursum modo indifferente. Ergo debet, quantum est ex parte Dei, illi offerri concursus non tantum ad unum actum sed ad plures." SUAREZ, Metaph. d. 22, s. 4, n. 21. Sicut calor solis in se indifferens est concurrendo ad efferendam quercum aut rosam, sed determinatur semine quercûs concurrere ad efferendam quercum, et semine rosæ ad efferendam rosam; ita concursus Dei indifferens est ad actus liberos creaturæ, donec determinetur *libera* ejusdem creaturæ determinatione. Concursus autem solis determinatur *necessaria* determinatione seminis quercus aut rosæ: quo modo etiam concursus divinus determinatur in causis ex necessitate agentibus.

21. Sed contra hæc gravis imo et gravissima urgetur difficultas. Petrus quidem hic et nunc liber est ad ambulandum aut sedendum: sed ipsa ejus determinatio ad ambulandum potiusquam ad sedendum, vel vice versa, non est, ut verbis SUAREZII (l. c. n. 34) utar, "sine concursu Dei: illius enim determinatio non est aliud quam ejus volitio, quam constat fieri non posse sine concursu Dei." Ipsa ergo electio seu determinatio Petri, ipse actus volun-

atis, quo hic et nunc vult ambulare et non sedere, præstari non potest absque concursu. Quomodo ergo dici potest concursum datum Petro determinari a determinatione Petri qua se determinat ad ambulandum, cum hæc ipsa determinatio Petri fieri non potest sine concursu Dei?

22. Hanc difficultatem sibi objicit SUAREZ, l. c. n. 27, disertius et clarius LESSIUS, de Gratia Efficaci, c. 4. Eorum autem solutiones, salva tantorum doctorum reverentia dicam, mihi valde obscuræ et difficiles sunt, neque ullomodo satisfaciunt: SUAR. maxime n. 14–17, 21, 34; LESS. n. 11–16. Quæ enim dicunt de concursu *præparato* et *oblato* et de relativa prioritate naturâ concursus Dei et determinatione hominis punctum difficultatis intactum mittunt, nempe, Deum, ut concurrat ad ambulationem aut sessionem Petri, exspectare determinationem liberam Petri qua se determinet ad alterutrum; et tamen ad hanc determinationem Petri æque necessarius est concursus Dei ac ad ipsam deambulationem aut sessionem—ad priorem concursum vocant indifferentem, ad alteram determinatum per determinationem Petri. Sed nimis longum esset in opere hujusmodi compendioso hæc omnia latius prosequi et excutere.

23. Non aliam hujus difficultatis video solutionem veram et solidam, nisi dicendo Deum mentibus creaturarum intelligentium et liberarum vim et virtutem indidisse, qua, in iis in quibus liberæ sunt, possint, sine ullo alio concursu, sese inclinare et determinare ad agendum vel non agendum, ad hoc vel illud agendum; statim vero in ipsa actione inchoanda et exsequenda, sive negativa sive positiva, adesse concursum immediatum. Uno verbo, ipsa electio seu determinatio fit ex concursu mediato, cetera omnia quæ sequuntur ex concursu immediato.

24. Nec dicatur hanc solutionem convenire cum sententia Durandi: ille enim omnem concursum Dei cum causis secundis mediatum tantum esse voluit; nos autem hunc concursum affirmamus de illo solo actu quo libera creatura se determinat ad agendum.

25. Neque iterum dicatur hac solutione minui amplitudinem divinæ potentiæ et perfectam atque essentialem subordinationem inter causam primam et secundam; quæ, ait SUAREZ (l. c. s. 1, n. 13), est "optima ratio" contra Durandum. Tantum enim abest ut solutione nostra minuatur amplitudo potentiæ divinæ, ut magis augeri videatur; utpote quæ potentia non solum tanta est, ut omnia possit, et nihil nisi ex ea et per eam fieri possit; sed etiam tanta est, ut possit creaturam condere activam et intelligentem, eique vires et facultates adjicere intrinsecas, quibus possit absque alio auxilio sese ad hoc vel agendum aut non agendum inclinare. Sicut non læditur sed augetur dignitas et efficacia meritorum Christi ex eo quod opera nostra meritoria faciunt: d. 12, n. 89.

26. "Ex dictis [multo magis ex dictis hic, n. 23-25] solùm habemus Deo non tribui actiones nostras malas moraliter tanquam causæ positivæ in eas influenti. Ad quod accommodatum est exemplum de fabro gladios conficiente. Ut enim non imputantur fabro facinora quæ ab iis fiunt qui gladiis non recte utuntur, eo quod gladii indifferentes sint ad bonum et malum usum, sed imputantur libero arbitrio eorum, qui gladiis male utuntur; ita cum concursus Dei generalis indifferens sit ad bonas et ad malas actiones, malæ actiones non Deo, sed abutentibus concursu Dei generali ad malum, sunt tribuendæ.

27. "At dicet aliquis, sicut culpæ datur fabro, cum gladium tradit ei quem probabiliter novit eo abusurum;

ita cum Deus præsciat quinam abusuri sint suo generali concursu, cur ei non imputabitur ad culpam, quod non subtrahat concursum, siquidem ea ratione impedire peccatum illud potest, nec tamen impedire vult? Dicendum tamen est diversam esse rationem in hominibus ac in Deo. Deus namque, cum dominus sit omnium, legitimaque de causa examini et probationi exponat creaturas suas libero arbitrio pollentes, ut si bene suo arbitrio gratia ipsius adjuto fuerint usæ, propriis meritis vitam æternam consequantur, sin autem male, justo supplicio afficiantur, non tenetur impedire peccata, sed ea potest legitime permittere: ad providentiamque ipsius spectat non denegare singulis rebus ea, quæ necessaria sunt ut accommodate ad suas naturas operentur, esto quædam talia sint quibus et bene et male uti possunt. At vero homines, qui Deo legibusque divinis sunt subjecti, lege divina naturali tenentur suorum proximorum peccata impedire, si commode possint, et ad damnum alterius non cooperari. . . . . Ad hoc enim ut aliquid alicui tanquam causæ negativæ ascribatur, necessarium est ut teneatur et possit id impedire et non impediat: Deus autem non tenetur peccata nostra impedire." MOLINA, d. 31, ad calcem: vid. et plura notabilia in disp. insequenti 32.

§ 2. *Systema Thomisticum.*

28. Thomisticum seu Thomistarum hoc systema vocatur, quia a theologis ordinis Dominicani propugnatur, et quia ab omnibus qui illud defendunt tanquam vera et pura doctrina S. THOMÆ exhibetur. Talem autem doctrinam tenuisse angelicum doctorem omnino negant Molinistæ et Congruistæ. BANNEZIUM hoc systema primum invexisse vel saltem ordinasse et expoliisse a multis affirmatur.

Quoniam autem, in expositione hujus systematis, non omnes auctores inter se in omnibus convenire video, aliis hoc aliis illud aut interponentibus aut prætermittentibus; aliis inter Thomismum antiquum et recentiorem, genuinum et spurium distinguentibus; idcirco ea tantum proferemus, in quibus graviores Thomistæ et Thomismi interpretes concinunt, sequentes maxime auctores qui ab ineunte seculo superiori aut exeunte seculo 17mo floruerunt, ut GOTTI, BILLUARI (edit. Paris, 1827, xx vol.), &c.

29. Post supra dicta, systema Thomistarum, quod saltem attinet ad principia generalia et, ut ita dicam, animum ejus, paucis enarrari potest. 1°. Omnem gratiam efficacem esse ab intrinseco efficacem seu ex se et essentia sua, et antecedenter ad omnem consensum creaturæ et ab omni tali consensu independenter, affirmant Thomistæ: et idcirco gratiam non esse efficacem quia homo consentit, sed hominem consentire quia gratia est efficax. 2°. Hæc gratiæ efficacitas habetur ex prædeterminatione physica; quæ, cum ad omnes actus naturales necessaria est, multo magis ad actus supernaturales. Hanc autem voluntatem Dei prædeterminantem affirmant "ita esse efficacem et infallibilem, ut ei resisti non possit (saltem in sensu composito, et potentia consequenti), id est, ut cum illa non possit componi et conjungi actualis resistentia seu dissensus." GONET, de Deo, tr. 4, d. 5, n. 7. Attamen 3°, affirmant actum sic ex præmotione physica effectum esse vere et omnino liberum: ut enim aiunt, Deus, pro infinita sua sapientia et potentia, sicut omnem actum creaturæ prædeterminat, ita et quem vult potest et liberum esse prædeterminare: prædeterminat actum fieri et simul libere fieri.

30. Hæc sunt tria principia Thomismi fundamentalia. Alia vero sunt, quæ in exponendis argumentis ad propug-

nandum et impugnandum illud systema allatis melius intelligentur. Istorum argumentorum non possumus nisi quædam præcipua hic excutere, et hæc ex Scriptura et ratione theologica—quæ autem ex S. Augustino et S. Thoma proferuntur videantur apud auctores.

31. *Argumenta pro Thomismo ex S. Scriptura.* Varios textus qui ad hoc systema firmandum adducti sunt ad sex capita revocat SUAREZ, strenuus ejusdem systematis impugnator, l. 5, c. 29–32. Eos vero ad tria revocat insignis Thomista GONET (l. c.), qui post editas lucubrationes SUAREZII de auxiliis (an. 1651) scripsit, eumque sæpius citat. Hunc, tum brevitatis causa, tum quia ipse Thomista est, sequemur.

32. I. *Argumentatur* ex textibus in quibus significatur "voluntatem Dei ita esse efficacem et infallibilem, ut ei resisti non possit," &c. ut supra, n. 29. "Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel." Esther, xiii. 9. "Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet." Isai. xlvi. 10. "Voluntati ejus quis resistit?" Rom. ix. 19. Similia alibi frequenter inveniuntur.

33. *Respondetur* vanum prorsus et infirmum esse argumentum hoc. 1°. Sermo est in istis et similibus textibus de voluntate seu decreto efficaci, sive absoluto sive conditionato. Quis autem Catholicus dubitat quin Deus, si finem aliquem velit attingere efficaciter, finem illum infallibiliter et irresistibiliter attingere—"*si decreveris* salvare Israel." Sed quæstio est an liberas creaturarum actiones ad finem talem assequendum medio præmotionis physicæ ordinet, imo eo solo ordinare possit: cum, ex altera parte infinite sapiens novit alia media, et infinite potens quod

ex illis voluerit adhibere potest; cum vero, ex altera parte. et hoc præsertim, nulla sit in istis textibus, ne minima quidem, præmotionis physicæ significatio.

34. 2°. Sed tantum abest ut in istis textibus significetur prædeterminatio illa, ut nec etiam significetur ipsa gratia efficax, de qua sola hic quæstio est, gratia scilicet qua homines adjuti præstant opera salutaria. Sic, in Esth. significatur decretum Dei eripiendi Judæos ex ruina ipsis ab Aman parata. In Isai. significatur infallibilis certitudo qua ea fient quæ eventura esse prædicit Deus :—" Annuntians ab exordio novissimum, et ab initio quæ necdum facta sunt, dicens: Consilium meum stabit," &c. De Rom. ix. vide supra d. 7, n. 79.

35. II. *Argumentatur* ex textibus in quibus dicitur Deus trahere, vertere, convertere, immutare, aperire cor hominis: Joan. vi. 44; 1 Reg. x. 9; Esth. xiv. 15; Prov. xxi. 1; 2 Machab. i. 4; Act. xvi. 14. *Resp.* Non est opus verba textuum exscribere: prorsus enim nullum est argumentum ex iis eductum. In textibus enim ex 1 Reg. et Esth. et satis probabiliter Prov. non est quæstio de gratia, saltam de ea gratia de qua hic. De textu ex Joan. vi. vid. d. 7, n. 34. Principium interpretationis ibi datum facile ad ceteros textus accommodari potest. Non solum enim in materia de gratia, sed in aliis materiis, cor hominis in hoc vel illud trahi, verti, &c. potest variis modis et mediis. Et ut sistamus in materia de gratia, Deus potest cor creaturæ trahere, &c. vel gratia necessitante, ut facit cum beatis in cœlo, vel præmotione physica aut morali (an ita servata libertate, alia est quæstio, de qua infra, n. 44, &c.), vel aliis modis. Dicendo ergo Deum trahere, &c., significatur quidem *effectus* (Deum *trahere*), sed de *modo* quo trahit nihil significatur—nisi forsan in contextu

aliquid addatur ad hunc modum declarandum : nihil autem ejusmodi in textibus allatis aut ullo alio textu invenitur. Nihil ergo pro Thomismo ex illis textibus educitur magis quam contra illum. Ponatur argumentum sequens:— Gratia efficaci cor hominis trahitur, &c. Ergo gratia ista per modum prædeterminationis physicæ operatur. Sive consequens verum sit sive non, consequentia sine dubio nulla est, nisi ostendatur vel illum modum trahendi significari in textu, vel dici non posse, secundum usum loquendi, hominem ullo alio modo trahi.

36. III. *Argumentatur* ex textibus in quibus Deus dicitur facere ut faciamus, et in præceptis ejus ambulemus, ac judicia ejus custodiamus: Ezech. xxxvi.27 ; Isai xxvi. 12 ; Philip. ii. 13.

37. *Resp.* Non est certum sermonem in isto loco Isaiæ esse de gratia de qua hic loquimur. Sed esto rem ita se habere, eadem est, quoad substantiam, responsio ad illos et omnes similes textus quæ jam data est. Quis enim negat Deum facere ut nos faciamus, et omne bonum, quoad velle et perficere, operari in nobis? Sed sola quæstio est an per modum præmotionis physicæ, ad sensum Thomistarum, faciat ut faciamus et operetur in nobis : cujus præmotionis nullum est in textibus allatis vestigium. Alios textus, per modum confirmationis, profert GONET, 10, 11 : sed argumenta ex iis educta simili modo facilè dissolvuntur.

38. *Argumento pro Thomismo ex Rationibus Theologicis.* I. Deus est prima causa, primus motor omnium actionum omnis creaturæ. Sed talis non esset nisi physice prædeterminando.

39. Major ab omnibus tenetur. Nego minorem, quæ nullo, quod viderim, solido argumento probatur. Exempla quæ profert BILLUART ad eam suadendam (de Gratia, d. 5,

s. 7, § 3), et quæ "apertissima" vocat, eam potius apertissime infirmant: vid. supra n. 14, &c.

40. II. Summa et omnimoda est dependentia creaturæ a Deo in agendo. Atqui talis non esset nisi præmotione physica admissa.

41. Major certissima est. Nego minorem, tum quia nullo gravi argumento probatur; tum quia valde infirmatur argumentis quibus propugnatur Molinismus. "Sine prædeterminatione physica creaturæ liberæ perfectissime pendent a Deo in agendo, quatenus indigent influxu Dei tum in earum virtutem agendi, eam complendo et corroborando; tum in earum actus. Nihil enim agere possunt nisi dependenter a Deo in ipsas per præmotionem physicam *non determinantem ad unum*, et cum ipsis per concursum simultaneum agente. In actibus vero supernaturalibus requiritur insuper gratia præveniens et adjuvans.

42. "Neque per prædeterminationem physicam major habetur creaturæ liberæ a Deo dependentia vera et possibilis, sed tantum chimerica. Nam, cum prædeterminatio physica repugnet libertati creatæ, dependentia ex illa proveniens repugnat quoque, proindeque nulla est." ANTOINE, c. 3, a. 3, § 1. Vid. et SUAREZ, l. 5, c. 20, n. 16, et alibi.

43. *Argumenta contra Præmotionem Thomisticam.* Argumenta quæ ex Scriptura proferuntur ad probandum Molinismum, si firma sint, plane evertunt Thomismum: videantur infra, n. 109, &c. Ex rationibus theologicis duas dabimus, non solum quia præcipuæ sunt, sed etiam quia in illis excutiendis ipsum systema magis enucleabitur. Derivantur autem ex eo quod systema illud tollit et libertatem hominis et veram sufficientiam omnis gratiæ quæ non est efficax.

44. I. Præmotio illa perimit libertatem. Ut enim homo sub ea motione vere liber sit, necessarium est ut ei dissentire possit, et inspirationem Dei abjicere: ex Trid. sess. 6, cap. 5 et can. 6. "Atqui decreto prædeterminanti et gratiæ per se efficaci habenti infallibilem nexum cum consensu voluntatis, voluntas dissentire non potest: alias decretum non esset prædeterminans, nec gratia a se efficax, quam voluntas dissensu suo posset reddere inefficacem." Ita BILLUART (de Deo, d. 8, a. 4, § 2) sibi ex scriptis adversariorum, præcipue TOURNELII, objectionem proponit.

45. Respondet idem BILL. adhibendo minori celeberrimam istam distinctionem. "Decreto prædeterminanti et gratiæ per se efficaci voluntas non potest dissentire, potentia consequente, potentia futuritionis, in sensu composito (hæc enim sunt synonyma), hoc est, voluntas non potest simul jungere *non actum* cum motione ad actum: Concedo: quia, cum motio sit simul tempore cum actu (illum enim præcedit tantum natura et causalitate), sequeretur quod posset simul jungere non actum cum actu, quod implicat: Voluntas non potest dissentire potentia antecedente, potentia possibilitatis, in sensu diviso, hoc est, sub illa motione non servat *potentiam dissentiendi:* Nego. Quia . . . . sic Deus vult nos agere, ut etiam velit nos libere agere, et sic movet ad agendum, ut etiam moveat ad libere agendum; seu, ut communiter dicitur, movet non solum ad substantiam actus sed etiam ad ejus modum, qui est libertas: et cum ejus voluntas sit omnipotentissima et efficacissima, sicut et ejus motio, sequitur necessario nos libere agere, et consequenter nos servare sub ista motione potentiam illi resistendi et eam abjiciendi.

46. "Sic ergo intelligenda est hæc famosa distinctio sensus compositi et divisi, ut sensus compositus componat

cum actu aut cum prærequisitis natura tantum ad actum, non actum, aut actum oppositum: ut si dicas, 'sedens potest stare,' significat in sensu composito quod possit sedere simul et stare, seu componere sessionem cum statione. Sensus divisus dividit actum non a potentia ad non actum seu actum oppositum, sed a non actu tantum seu ab actu opposito: ut si dicas, 'sedens potest stare,' significat in sensu diviso quod sedens sub sessione retineat potentiam standi, non tamen componendi simul stationem cum sessione. Uno verbo, sensus compositus importat potentiam simultatis, sensus divisus simultatem potentiæ.

47. "Aliter Calvinus intellexit hanc distinctionem. Secundum illum sensus compositus componit actum cum potentia ad non actum, et hic est sensus noster divisus. Sensus autem ejus divisus dividit ab actu potentiam ad non actum, ita ut juxta illum præmotus ad agendum non possit non agere in sensu composito, id est, stante præmotione non habet potentiam non agendi; possit in sensu diviso, id est, sublata præmotione habet potentiam non agendi: sicut, inquiunt, vinctus catenis non habet potestatem currendi in sensu composito, id est, manentibus vinculis; habet potentiam currendi in sensu diviso, id est, sublatis vinculis. Hunc sensum hæreticum, quem damnamus et execramur, non erubuerunt aliquando nobis imponere quidam adversariorum."

48. Sed his antea bene respondebat ANTOINE (scripsit circ. an. 1740, BILL. circ. an. 1750), de Gratia, l. c. § 2:—"Ut distinctio sensus compositi et divisi salvet libertatem, sensus divisus debet esse in potestate voluntatis, hoc est, voluntas debet posse tollere id, in cujus sensu composito alterum oppositum non potest. . . . Sed sensus divisus prædeterminationis physicæ non est in potestate voluntatis: nam

voluntas non potest impedire nec arcere a se prædeterminationem physicam, quâ ita alligatur ad unum actum prius natura quam agat, ut eâ positâ repugnet non fieri actum ad quem datur.

49. "Neque opponas, eum qui amat non posse non amare in sensu composito, sed tantum in sensu diviso amoris, et tamen libere amare; item eum qui sedet non posse stare in sensu composito sessionis, sed solum in sensu diviso, et tamen libere sedere et libere non stare. Nam impotentia non amandi in sensu composito amoris est impotentia tantum consequens usum libertatis: oritur enim ex libera determinatione voluntatis ad amorem [et ergo libere posita est, et ipsa libera]. Item qui sedet, licet non posset stare in sensu composito sessionis, libere tamen sedet, et libere non stat: quia impotentia standi in sensu composito sessionis est tantum consequens exercitium libertatis, quia homo voluit sedere; et sensus divisus est in ejus potestate, nam potest tollere sessionem. At impossibilitas non amandi in sensu composito prædeterminationis ad amorem antecedit omnem usum libertatis: nam provenit ex motione illum antecedente, et habente prioritatem causabilitatis respectu determinationis voluntatis; ac proinde est impossibilitas antecedens. Impossibilitas autem antecedens est necessitas antecedens. Ergo posita prædeterminatione ad amorem, est necessitas antecedens ut sit amor: ergo amor non est liber."

50. Difficultatem vero nequaquam tollunt quæ profert BILL. supra, n. 45, et alibi in eadem sectione, respondens ad secundam objectionem TOURNELII:—"Sensus compositus cadit et in ipsam Dei motionem et in ipsam hominis actionem, quia sunt simul tempore, non quidem componendo cum motione Dei et actione hominis *potentiam*

dissentiendi (iste enim sensus Calvinisticus est); sed componendo cum motione Dei et actione hominis *ipsum dissensum actualem.* Juxta autem hanc compositionem, posse dissentire in sensu diviso et non posse in sensu composito, non est posse dissentire sublata motione, et non posse ea stante; sed est *posse dissentire* sub ipsa motione, non tamen *posse componere seu actu jungere dissensum cum illa.*"

51. Sed 1°, ignoscat mihi doctus et pius auctor, quem nunc in cœlo regnare credo, si dicam me hæc verba et verba supra, n. 45, allata sæpius diligenter perlecta et perpensa plane intelligere non posse nisi in sensu perabsurdo, scilicet, possum, sub præmotione physica, ei dissentire, *sed* non possum ponere actum dissensus. Quid vero aliud est *posse dissentire* nisi *posse ponere actum dissensus?*

52. 2°. Dicit præmotionem physicam non præcedere actum tempore, sed natura tantum et causalitate. *Esto:* sed, quod ipso verbo significatur, vere præmovet et prædeterminat ad actum, ita ut sine illa præmotione non *solum* actus fieri non potest et per illam fit, sed ita per illam fit, ut, stante illa, repugnat ut non fiat. Quæro *ergo* utrum isti præmotioni invincibiliter et insuperabiliter cedat voluntas, an non? Si primum dicas, tollis libertatem; si secundum, deseris Thomismum.

53. Respondet Billuart ("ad quartum"), dicens, "quod *τo invincibiliter* et *insuperabiliter* cadant non solum supra determinationem præcise, sed etiam supra ejus modum; ita ut voluntas invincibiliter et insuperabiliter se determinet libere." Sed quod voluntas simul libere et invincibiliter atque insuperabiliter se determinet, non minus implicat in terminis quam si vocares unum et eumdem actum simul liberum et necessarium.

54. Ad mysterium denique confugit hic auctor. "Mys-

teria autem," ait, "licet ea esse certo constare possit, tamen quomodo sint non facile explicatur." Hoc quidem verissimum est: sed Thomismo objicitur non quod adeo obscurus sit ut comprehendi non possit, sed quod duo de eadem re affirmat inter se aperte repugnantia, scilicet, eundem actum esse simul liberum et physice prædeterminatum. Sane si, ut insinuat auctor, doctrina ista argumentis firmis probaretur, tunc ad mysterium liceret confugere. Sed tantum abest ut ita se res habeat, ut e contrario dum ex altera parte ne unum quidem solidum argumentum in ejus gratiam prolatum est, ex altera vero argumentis (ut mihi videtur) claris et invictis tum directe, ut hic, tum indirecte, ut infra, n. 109, &c. impugnatur.

55. II. Posita necessitate physicæ præmotionis ad efficaciam gratiæ, sequitur gratiam mere sufficientem esse vere insufficientem. Vere enim insufficiens est gratia quæ caret auxilio absolute necessario ad effectum habendum; sed gratia sufficiens caret præmotione physica, quæ absolute necessaria est ad effectum habendum.

56. Respondet Billuart (l. c. §. 3) distinguendo:—"Istud auxilium, ultra quod requiritur aliud, non est sufficiens absolute et in omni ordine: Transeat: Non est sufficiens in suo ordine: Nego: confert enim potentiam completam et expeditam ad agendum, ita ut nihil desit ex parte potentiæ seu actus primi, unde est sufficiens in suo ordine seu *in ratione potentiæ* [Remittit hic pro ampliori expositione ad tractatum de Gratia, in quo tamen nihil addit substantiale]. Cæterum breviter dico recte dici sufficiens, sicut ignis dicitur communiter sufficiens ad comburendum, licet ulterius debeat applicari ut comburat: sicut panis vulgo dicitur sufficiens ad nutriendum, licet non

nutriat nisi manducetur et trajiciatur in stomachum: sicut passio Christi dicitur sufficiens ad salutem, licet ut salvet actu debeat ultra applicari: et similiter de pluribus aliis." Pag. 216.

57. *Resp.* I. (vid. infra, n. 64). Quod supra, n. 51, de alia distinctione dixi et de hac distinctione ægre repetere adigor. Id enim definite, in quo contendimus gratiam sufficientem Thomisticam non esse vere sufficientem, est in ratione potentiæ, seu potius in ratione auxilii quo datur potentia. Exempli gratia; me hic et nunc impetit gravis tentatio. Datur mihi gratia sufficiens ad orandum auxilium divinum ut tentationem comprimam. Vel illa gratia est physice prædeterminans, vel non. Si primum dicas, gratia non est mere sufficiens sed efficax, et cum ea non possum non orare; si secundum, gratia est mere sufficiens, et cum ea non possum orare.

58. *Urget* BILL. respondens ad quæstionem, Quomodo jure damnari potest qui, non habens gratiam efficacem, præceptum violat? "Habenti auxilium sufficiens denegatur efficax propter culpam concomitantem et præsens impedimentum quod apponit; quatenus scilicet, cum Deus sit paratus, quantum in se est, dare omnibus gratiam et sufficientem et efficacem, et gratia sufficiens ex natura sua et voluntate Dei antecedente ordinetur ad efficacem, homo mala voluntate libere prorumpens in actum inordinatum resistit gratiæ sufficienti, sistit ejus cursum, et ponit obicem gratiæ efficaci, ponendo actum incompossibilem cum illa et cum actu ad quem moveret si adesset." Pag. 218.

59. *Resp.* Hanc responsionem et simplicem et claram vocat auctor, qualis mihi utique non est. Quantum capere possum, Deus paratus est gratiam efficacem omnibus, urgente præcepto, elargiri. Si alicui non elargiatur, causa

est quia ille gratiæ sufficienti jam datæ resistit. Sed redit difficultas tota et intacta. Vel enim illa gratia sufficiens prædeterminat physice vel non, &c. ut supra, n. 57.

60. *Instat* idem. "Verissimum est, ad non resistendum gratiæ sufficienti, seu ad illi consentiendum, opus esse gratia efficaci: at ad illi resistendum non requiritur gratia efficax, sed sufficit mala voluntas: ista autem resistentia est causa cur subtrahatur gratia efficax. Non enim ideo voluntas resistit gratiæ sufficienti quia caret efficaci, sed e contra ideo caret efficaci quia resistit sufficienti: causa autem hujus resistentiæ, ut dixi, est mala voluntas." P. 179, 222, 225.

61. *Resp.* Voluntas quidem est causa resistentiæ, est enim voluntas quæ resistit. Quæstio non est de voluntate nuda seu carente omni gratia—talis enim voluntas nihil salutare aut facere aut velle potest. Nec quæstio est de necessitate gratiæ, sive sufficientis sive efficacis, ad sibi *resistendum* seu ad præceptum violandum—quod summum est et purum deliramentum. Sed quæstio est de voluntate *adjuta* auxilio ad præceptum *servandum*, an auxilium illud quod Thomistæ vocant sufficiens vere sufficiens sit, quoniam caret præmotione physica, sine qua voluntas *non potest* actum ponere seu servare præceptum. Voluntas adjuta gratia sufficienti Thomistica ei resistit, et non potest non resistere, quia gratia illa revera insufficiens est. Voluntas est quidem causa resistentiæ, sed voluntas auxiliata auxilio sufficienti Thomistico ideo ei resistit quia est vere insufficiens auxilium; non quia voluntas caret gratia efficaci, sensu Moliniano, sed quia caret gratia efficaci sensu Thomistico.

62. Sic, si oculos habeam hebetiores, ita ut librum legere non possim, hebetudo ista oculorum causa utique

est quare legere non valeo. Sed si ope perspicilli boni et pellucidi facile legere possim, et loco talis perspicilli mihi aliud tradatur obscurum et mihi ineptum, cum quo legere non possum; nonne hæc impotentia legendi non soli hebetudini oculorum meorum perspicillum nunc gestantium, sed etiam ipsi perspicilli defectui, et huic maxime, merito tribueretur? Ita et non soli voluntati ista gratia inefficaci adjutæ, sed etiam ipsi gratiæ insufficientiæ, et huic maxime, resistentia tribui debet.

63. *Urgent* quidam, hominem habentem istam gratiam sufficientem non ideo non ponere actum quia non potest ponere, sed quia non vult ponere. Sed nonne istud "vult" habendum est ex gratia efficaci, non minus atque actus ipse?

64. *Resp.* II. ad n. 56. Similitudines istæ prorsus ineptæ sunt. 1°. Ignis quidem communiter et merito dicitur esse sufficiens ad comburendum, et panis ad nutriendum, etsi insuper requiratur applicatio ignis et manducatio panis; quia communiter supponuntur casus in quibus adest potentia expedita et completa applicandi ignem et panem. Sed id nunquam affirmaretur in casibus in quibus non esset talis potentia. De igne aut pane nunc in Gallia existente quis affirmaret eum nunc sufficere ad comburendum aut nutriendum in Hibernia? Ita et de gratia: sufficienti Thomistica, quam nunc habeo ad hoc vel illud præceptum implendum, non magis sine præmotione physica uti possum, non magis ei cedere possum, quam possum nunc applicare ignem aut manducare panem nunc in Gallia existentem.

65. 2°. De igne et pane dicitur in genere eos esse sufficientes ad comburendum aut nutriendum: sed semper sup-

ponitur ut in omni casu particulari adsit idonea quantitas ignis et panis, spectato objecto comburendo aut nutriendo. Quis enim diceret de exiguo igne quod sufficeret ad ingentem arborem comburendam, aut de exiguo pane ad virum nutriendum?

66. Simile quid dicendum est de exemplo ex passione Christi: quæ generatim, simpliciter et sine addito, vocatur sufficiens, quia generatim subauditur, utpote dogma apud omnes fideles notissimum, necessitas applicationis ejus. In circumstantiis vero, in quibus hæc necessitas non subaudiretur, nequaquam a Catholico affirmaretur sufficientia passionis Christi ad salutem: imo affirmatio ejusmodi ab omnibus haberetur ut falsa et hæretica. Insuper, quod passio Christi per se non sufficiat ad salutem non oritur ex aliquo suo defectu intrinseco, sed ex defectu prorsus extrinseco, nempe, non-applicationis; dum insufficientia gratiæ sufficientis Thomisticæ est ipsi intrinseca, nempe, ex carentia præmotionis physicæ.

67. Similiter ineptæ sunt similitudines inferius (pag. 227–8) ab eodem allatæ. Exempli gratia, hæc est earum prima:—"Cum peritus scriptor manum imperiti discipuli movet et dirigit, quicquid est perfectionis in scriptura magistro tribuitur: at si discipulus manum magistri repellat, quod est imperfectionis in scriptura non tribuitur magistro non dirigenti, sed discipuli imperitiæ et malæ voluntati qua adjutorium magistri recusavit. Sic quod homo bene agat tribuendum est auxilio Dei ipsum moventis et dirigentis: at quod, recusato Dei auxilio, delinquat, non defectui auxilii sed pravæ ejus voluntati, quæ auxilium recusavit, tribuitur." *Resp.* Sane imperfectio in scriptura nullomodo tribuenda est "magistro *non* dirigenti:" sicut et tota perfectio tribuenda est magistro diri-

genti per modum, ut ita dicam, præmotionis physicæ. Sed si magister vere dirigat, dirigat autem alio modo, in quo non est præmotio physica (quæ tamen absolute necessaria est ut discipulus bene scribat), tunc imperfectio in scriptura tribuenda est tum imperitiæ tum imperfectæ directioni—et huic maxime, quoniam magister suscepit directionem, et tamen imperfecte direxit. Et hæc est similitudo vera: vid, supra, n. 61, 62. Dixi "per modum præmotionis physicæ," per hoc significans auxilium datum ad bene scribendum æquivalens auxilio præmotioni physicæ ad bene agendum. Eodem modo facile emendantur duæ aliæ similitudines ibidem allatæ, et pariter vitiosæ.

68. Finem faciam aliam emendando similitudinem D. ALVARES, apud eundem BILLUART, p. 219:—"Sicut, si Deus imponeret homini præceptum volandi, et quantum est ex parte sua offerret illi alas ad adjutorium necessarium ut volaret, ipse autem sua libertate responderet, 'Domine, nec volo alas recipere, nec volare ;' merito reputaretur reus et transgressor præcepti etiamsi non posset absque alis volare, quia sua culpa se impedivit ne illi donarentur a Deo." Huic facile ex jam dictis respondetur, ipsum *velle* recipere alas et volare debere haberi a Deo per præmotionem physicam.

69. *Nota* 1°. Theologi qui rejiciunt hoc systema contra illud conficiunt argumentum ex Trid. sess. 6, can, 4. Argumentum illud grave esse censeo, et nequaquam clare solutum a Thomistis. Sed utrum tale sit an non, certum est hoc systema nullomodo *damnari* verbis Tridentini. Trid. enim damnat tantum doctrinam quæ affirmat hominem non libere sed necessario agere quoties agit ex gratia. Duo autem affirmant Thomistæ: 1°, hominem omnino

libere agere sub gratia efficaci, quod solum definitur a Tridentino; 2°, gratiam efficacem agere per modum physicæ præmotionis. Hæc duo sunt omnino distincta, sive inter se conciliari possint (ut Thomistæ tenent), sive non (ut negant alii). Insuper, Thomistæ adeo firmiter tenent primum (ut articulum fidei, cum omnibus Catholicis), ut si ipsis constaret, multo magis si definitum esset, secundum (quod tantum ut opinionem, quamtumvis ipsis certam, tenent) cum primo conciliari non posse eique repugnare, illud statim rejicerent et damnarent.

70. In hoc ergo fundamentaliter et toto cœlo differt Thomismus a Jansenismo multo magis a Calvinismo. Alia sunt capita discrepantiæ non pauca, quæ videas late enarrata apud LA FOSSE. a. 3, § 3, brevius apud ANTOINE.

71. *Nota* 2°. Quidam auctor recens, cujus verba, tacito auctoris nomine, profert PERRONE, n. 307, not., fatetur illam distinctionem sensus compositi, et divisi aliquanto subtiliorem esse, "sed perspicua, ni fallor," ait, "reddetur, ubi fiat comparatio voluntatis determinatæ a Deo cum voluntate seipsam determinante ad mentem adversariorum. Jamvero fingamus voluntatem se ipsam propriis viribus efficaciter determinare ad amorem ; certe in sensu composito fieri non potest quin amet ; alias esset efficaciter determinata ad amorem, ut supponitur, et non esset, quia illa determinatio, quæ non habet effectum, efficax dici non potest ; libera nihilominus dicetur voluntas sic determinata, quia potest non amare in sensu diviso et absolute. Eodem plane modo cum efficaci gratia in sensu composito non potest esse actus contrarius, alias sequeretur eamdem gratiam non esse efficacem; potest tamen esse in sensu diviso et absolute, quod ad libertatem sufficit."

72. Mihi videtur tantum abesse ut hæc explicatio per-

spicue solvat difficultatem, ut eam potius perspicue statuat et firmet. 1°. Aliud est hominem seipsum propriis viribus determinare, aliud vero omnino eum a Deo determinari, et id quidem prædeterminatione physica. 2°. Si homo statuat seipsum determinare ad amorem, ad eliciendos actus amoris, per semihoram, potest singulis momentis illius semihoræ determinationem abjicere, inefficacem reddere, se avertendo ab amore: determinatus a Deo præmotione physica per totam illam semihoram, num possit per id tempus etiam uno momento isti præmotioni resistere et ab amore recedere? 3°. Ista explicatio contradicit systemati Thomistico, et, ut ita dicam, in sensu composito illius systematis implicat in terminis. Supponit enim explicatio hominem seipsum propriis viribus efficaciter determinare; dum, secundum Thomismum, prædeterminatio physica absolute necessaria est ad omnem actum in ordine naturali et supernaturali.

§ 3. *Systema Augustinianum.*

73. Vocatur Augustinianum, quia ejus propugnatores affirmant illud esse ipsam doctrinam S. Augustini, quod tamen negant adversantes theologi. In principio fundamentali convenit hoc systema cum Jansenistica doctrina, excluso quod in hac hæreticum est.

74. 1°. Nec Angeli nec primi homines in statu innocentiæ gratia indigebant ad operandum bonum aut ad perseverandum ab intrinseco efficaci. Duplex distinguunt adjutorium, alterum adjutorium *sine quo non*, seu gratiam sufficientem, dans posse sed non dans velle; alterum adjutorium *quo*, seu gratiam ab intrinseco efficacem, dans et posse et velle. Non est datum adjutorium *quo* etiam Angelis

perseverantibus; sine eo enim, cum adjutorio *sine quo*, perseverabant, sicut et Angeli lapsi et Adam perseverare poterant, si voluissent. In hoc Augustiniani a Thomistis omnino recedunt, et omnino Moliniani sunt: adeo ut BERTI dicit (l. 14, c. 8) quod "MOLINA nihil aliud præstitit, nisi quod gratiam Conditoris [pro homine innocente] in gratiam Salvatoris [pro homine lapso] commutavit, et pro adjutorio hujus status subrogavit illud, quod Augustinus tradit Angelis et primo homini necessarium."

75. 2°. Ideo autem Angeli et homo innocens gratia ab intrinseco efficaci non indigebant, quia claram et perfectam scientiam habebant, et appetitus hominis inferiores rationi perfecte subjiciebantur (d. 2, n. 25, &c.). Homo vero lapsus et in intellectu et in voluntate gravissime vulneratus est, tenebris ignorantiæ obductus et impeditus, stimulis concupiscentiæ acriter infestatus. Delectatione terrena in malum adeo inclinatur, ut ad eam vincendam absolute necessaria est gratia delectationis cœlestis relative victricis, i. e. delectationis quæ major et fortior est delectatione opposita terrena: ita ut, si talis sit, indeclinabiliter et infallibiliter, efficacia sua intrinseca, vincet; si talis non sit sed minus fortis, est quidem gratia vere sufficiens (sensu mox exponendo, n. 77, &c.), sed non expedite sufficiens per se ad hanc existentem concupiscentiam jam vincendam. Hæc, quantum capere potui, ad mentem BERTII, insignis Augustiniani, concinnavi. Sed ut lector ipse judicet, et ut systema hoc melius intelligatur, sequentia ex isto auctore exscribo.

76. "Adam et Angeli non opus habebant adjutorio gratiæ efficacis: beati spiritus, qui steterunt, sese gratia versatili ad perseverandum libero arbitrio inflexerunt. Supernaturalis gratiæ auxilium et specialis Dei motio in

cum actu aut cum prærequisitis natura tantum ad actum, non actum, aut actum oppositum: ut si dicas, 'sedens potest stare,' significat in sensu composito quod possit sedere simul et stare, seu componere sessionem cum statione. Sensus divisus dividit actum non a potentia ad non actum seu actum oppositum, sed a non actu tantum seu ab actu opposito: ut si dicas, 'sedens potest stare,' significat in sensu diviso quod sedens sub sessione retineat potentiam standi, non tamen componendi simul stationem cum sessione. Uno verbo, sensus compositus importat potentiam simultatis, sensus divisus simultatem potentiæ.

47. "Aliter Calvinus intellexit hanc distinctionem. Secundum illum sensus compositus componit actum cum potentia ad non actum, et hic est sensus noster divisus. Sensus autem ejus divisus dividit ab actu potentiam ad non actum, ita ut juxta illum præmotus ad agendum non possit non agere in sensu composito, id est, stante præmotione non habet potentiam non agendi; possit in sensu diviso, id est, sublata præmotione habet potentiam non agendi: sicut, inquiunt, vinctus catenis non habet potestatem currendi in sensu composito, id est, manentibus vinculis; habet potentiam currendi in sensu diviso, id est, sublatis vinculis. Hunc sensum hæreticum, quem damnamus et execramur, non erubuerunt aliquando nobis imponere quidam adversariorum."

48. Sed his antea bene respondebat ANTOINE (scripsit circ. an. 1740, BILL. circ. an. 1750), de Gratia, 1. c. § 2:—"Ut distinctio sensus compositi et divisi salvet libertatem, sensus divisus debet esse in potestate voluntatis, hoc est, voluntas debet posse tollere id, in cujus sensu composito alterum oppositum non potest. . . . Sed sensus divisus prædeterminationis physicæ non est in potestate voluntatis: nam

voluntas non potest impedire nec arcere a se prædeterminationem physicam, quâ ita alligatur ad unum actum prius natura quam agat, ut eâ positâ repugnet non fieri actum ad quem datur.

49. "Neque opponas, eum qui amat non posse non amare in sensu composito, sed tantum in sensu diviso amoris, et tamen libere amare; item eum qui sedet non posse stare in sensu composito sessionis, sed solum in sensu diviso, et tamen libere sedere et libere non stare. Nam impotentia non amandi in sensu composito amoris est impotentia tantum consequens usum libertatis: oritur enim ex libera determinatione voluntatis ad amorem [et ergo libere posita est, et ipsa libera]. Item qui sedet, licet non posset stare in sensu composito sessionis, libere tamen sedet, et libere non stat: quia impotentia standi in sensu composito sessionis est tantum consequens exercitium libertatis, quia homo voluit sedere; et sensus divisus est in ejus potestate, nam potest tollere sessionem. At impossibilitas non amandi in sensu composito prædeterminationis ad amorem antecedit omnem usum libertatis: nam provenit ex motione illum antecedente, et habente prioritatem causabilitatis respectu determinationis voluntatis; ac proinde est impossibilitas antecedens. Impossibilitas autem antecedens est necessitas antecedens. Ergo posita prædeterminatione ad amorem, est necessitas antecedens ut sit amor: ergo amor non est liber."

50. Difficultatem vero nequaquam tollunt quæ profert BILL. supra, n. 45, et alibi in eadem sectione, respondens ad secundam objectionem TOURNELII:—"Sensus compositus cadit et in ipsam Dei motionem et in ipsam hominis actionem, quia sunt simul tempore, non quidem componendo cum motione Dei et actione hominis *potentiam*

nutriat nisi manducetur et trajiciatur in stomachum: sicut passio Christi dicitur sufficiens ad salutem, licet ut salvet actu debeat ultra applicari: et similiter de pluribus aliis." Pag. 216.

57. *Resp.* I. (vid. infra, n. 64). Quod supra, n. 51, de alia distinctione dixi et de hac distinctione ægre repetere adigor. Id enim definite, in quo contendimus gratiam sufficientem Thomisticam non esse vere sufficientem, est in ratione potentiæ, seu potius in ratione auxilii quo datur potentia. Exempli gratia; me hic et nunc impetit gravis tentatio. Datur mihi gratia sufficiens ad orandum auxilium divinum ut tentationem comprimam. Vel illa gratia est physice prædeterminans, vel non. Si primum dicas, gratia non est mere sufficiens sed efficax, et cum ea non possum non orare; si secundum, gratia est mere sufficiens, et cum ea non possum orare.

58. *Urget* BILL. respondens ad quæstionem, Quomodo jure damnari potest qui, non habens gratiam efficacem, præceptum violat? "Habenti auxilium sufficiens denegatur efficax propter culpam concomitantem et præsens impedimentum quod apponit; quatenus scilicet, cum Deus sit paratus, quantum in se est, dare omnibus gratiam et sufficientem et efficacem, et gratia sufficiens ex natura sua et voluntate Dei antecedente ordinetur ad efficacem, homo mala voluntate libere prorumpens in actum inordinatum resistit gratiæ sufficienti, sistit ejus cursum, et ponit obicem gratiæ efficaci, ponendo actum incompossibilem cum illa et cum actu ad quem moveret si adesset." Pag. 218.

59. *Resp.* Hanc responsionem et simplicem et claram vocat auctor, qualis mihi utique non est. Quantum capere possum, Deus paratus est gratiam efficacem omnibus, urgente præcepto, elargiri. Si alicui non elargiatur, causa

est quia ille gratiæ sufficienti jam datæ resistit. Sed redit difficultas tota et intacta. Vel enim illa gratia sufficiens prædeterminat physice vel non, &c. ut supra, n. 57.

60. *Instat* idem. "Verissimum est, ad non resistendum gratiæ sufficienti, seu ad illi consentiendum, opus esse gratia efficaci: at ad illi resistendum non requiritur gratia efficax, sed sufficit mala voluntas: ista autem resistentia est causa cur subtrahatur gratia efficax. Non enim ideo voluntas resistit gratiæ sufficienti quia caret efficaci, sed e contra ideo caret efficaci quia resistit sufficienti: causa autem hujus resistentiæ, ut dixi, est mala voluntas." P. 179, 222, 225.

61. *Resp.* Voluntas quidem est causa resistentiæ, est enim voluntas quæ resistit. Quæstio non est de voluntate nuda seu carente omni gratia—talis enim voluntas nihil salutare aut facere aut velle potest. Nec quæstio est de necessitate gratiæ, sive sufficientis sive efficacis, ad sibi *resistendum* seu ad præceptum violandum—quod summum est et purum deliramentum. Sed quæstio est de voluntate *adjuta* auxilio ad præceptum *servandum*, an auxilium illud quod Thomistæ vocant sufficiens vere sufficiens sit, quoniam caret præmotione physica, sine qua voluntas *non potest* actum ponere seu servare præceptum. Voluntas adjuta gratia sufficienti Thomistica ei resistit, et non potest non resistere, quia gratia illa revera insufficiens est. Voluntas est quidem causa resistentiæ, sed voluntas auxiliata auxilio sufficienti Thomistico ideo ei resistit quia est vere insufficiens auxilium; non quia voluntas caret gratia efficaci, sensu Moliniano, sed quia caret gratia efficaci sensu Thomistico.

62. Sic, si oculos habeam hebetiores, ita ut librum legere non possim, hebetudo ista oculorum causa utique

est quare legere non valeo. Sed si ope perspicilli boni et pellucidi facile legere possim, et loco talis perspicilli mihi aliud tradatur obscurum et mihi ineptum, cum quo legere non possum; nonne hæc impotentia legendi non soli hebetudini oculorum meorum perspicillum nunc gestantium, sed etiam ipsi perspicilli defectui, et huic maxime, merito tribueretur? Ita et non soli voluntati ista gratia inefficaci adjutæ, sed etiam ipsi gratiæ insufficientiæ, et huic maxime, resistentia tribui debet.

63. *Urgent* quidam, hominem habentem istam gratiam sufficientem non ideo non ponere actum quia non potest ponere, sed quia non vult ponere. Sed nonne istud "vult" habendum est ex gratia efficaci, non minus atque actus ipse?

64. *Resp.* II. ad n. 56. Similitudines istæ prorsus ineptæ sunt. 1°. Ignis quidem communiter et merito dicitur esse sufficiens ad comburendum, et panis ad nutriendum, etsi insuper requiratur applicatio ignis et manducatio panis; quia communiter supponuntur casus in quibus adest potentia expedita et completa applicandi ignem et panem. Sed id nunquam affirmaretur in casibus in quibus non esset talis potentia. De igne aut pane nunc in Gallia existente quis affirmaret eum nunc sufficere ad comburendum aut nutriendum in Hibernia? Ita et de gratia: sufficienti Thomistica, quam nunc habeo ad hoc vel illud præceptum implendum, non magis sine præmotione physica uti possum, non magis ei cedere possum, quam possum nunc applicare ignem aut manducare panem nunc in Gallia existentem.

65. 2°. De igne et pane dicitur in genere eos esse sufficientes ad comburendum aut nutriendum: sed semper sup-

ponitur ut in omni casu particulari adsit idonea quantitas ignis et panis, spectato objecto comburendo aut nutriendo. Quis enim diceret de exiguo igne quod sufficeret ad ingentem arborem comburendam, aut de exiguo pane ad virum nutriendum?

66. Simile quid dicendum est de exemplo ex passione Christi: quæ generatim, simpliciter et sine addito, vocatur sufficiens, quia generatim subauditur, utpote dogma apud omnes fideles notissimum, necessitas applicationis ejus. In circumstantiis vero, in quibus hæc necessitas non subaudiretur, nequaquam a Catholico affirmaretur sufficientia passionis Christi ad salutem: imo affirmatio ejusmodi ab omnibus haberetur ut falsa et hæretica. Insuper, quod passio Christi per se non sufficiat ad salutem non oritur ex aliquo suo defectu intrinseco, sed ex defectu prorsus extrinseco, nempe, non-applicationis; dum insufficientia gratiæ sufficientis Thomisticæ est ipsi intrinseca, nempe, ex carentia præmotionis physicæ.

67. Similiter ineptæ sunt similitudines inferius (pag. 227-8) ab eodem allatæ. Exempli gratia, hæc est earum prima:—"Cum peritus scriptor manum imperiti discipuli movet et dirigit, quicquid est perfectionis in scriptura magistro tribuitur: at si discipulus manum magistri repellat, quod est imperfectionis in scriptura non tribuitur magistro non dirigenti, sed discipuli imperitiæ et malæ voluntati qua adjutorium magistri recusavit. Sic quod homo bene agat tribuendum est auxilio Dei ipsum moventis et dirigentis: at quod, recusato Dei auxilio, delinquat, non defectui auxilii sed pravæ ejus voluntati, quæ auxilium recusavit, tribuitur." *Resp.* Sane imperfectio in scriptura nullomodo tribuenda est "magistro *non* dirigenti:" sicut et tota perfectio tribuenda est magistro diri-

situm est, n. 14, &c. Nunc quid de concursu Dei particulari per auxilia gratiæ docuerit exponendum est. Hanc expositionem auctor ipse a d. 35 quæstionis 14 late et dilucide prosequitur (editio qua utimur prima est, Olyssipone, 1588): nos autem eam non possumus nisi forma longe contractiori exhibere.

89. "Asserimus auxilia prævenientis atque adjuvantis gratiæ, quæ *lege ordinaria* viatoribus conferuntur, quod efficacia aut inefficacia ad conversionem seu justificationem [vel ad quodvis opus salutare præstandum] sint, pendere a libero consensu et cooperatione arbitrii nostri cum illis; atque adeo in libera potestate nostra esse vel illa efficacia reddere, consentiendo et cooperando cum illis ad actus quibus ad justificationem disponimur, vel inefficacia illa reddere, continendo consensum et cooperationem nostram, aut etiam eliciendo contrarium dissensum." Hæc sunt ipsius MOLINÆ verba (d. 38), in quibus principium et germen totius ejus systematis continetur.

90. In hoc systemate 1°, omnis gratia quæcumque homini datur est in se seu intrinsece efficax *efficacia virtutis* seu *in actu primo:* adeo ut homo proximam et omnino expeditam potentiam habeat ei, si velit, cedendi; et nihilo alio egeat ut ei cedat. Si ei cedat, gratia fit efficax *efficacia connexionis* seu *in actu secundo.* Si ei resistat, gratia fit inefficax: sed hæc inefficacia non ipsius gratiæ qualitati ullo modo tribuenda est, sed soli voluntati humanæ gratiam libere respuenti. Aliis verbis, homo gratiæ cedit non ex eo quod gratia est efficax, sed gratia est efficax ex eo quod homo ei cedit.

91. 2°. Hinc "licet nemo credere possit ut ad salutem oportet, nisi præveniatur gratia divina, nihilominus auxilium gratiæ non est sola et integra causa quod fidei assen-

tiatur : quandoquidem de fide est eum, qui prævenitur gratia et vocatur ad fidem, posse per suum liberum arbitrium non consentire et non converti, ut in Concilio Trid. sess. 6, cap. 5 et can. 4 definitum est. Quare fieri potest ut duorum, qui æquali auxilio interius a Deo vocantur, unus pro libertate sui arbitrii convertatur, et alter in infidelitate permaneat. Sæpe enim accidit ut cum quo auxilio unus non convertitur alius convertatur : id quod satis aperte docuit Christus Dominus ex ea collatione incolarum Bethsaidæ et Corosain cum Tyriis et Sidoniis. Imo fieri potest ut aliquis præventus et vocatus longe majori auxilio pro sua libertate non convertatur, et alius cum longe minori convertatur. Sæpe enim Deus vocat, et peccatores renuunt, despiciuntque omne consilium Dei. Neminem enim Deus, vim necessitatemque inferendo, consuevit ad se adducere, sed sponte sua ac voluntate quisque adducitur." *Idem*, d. 12.

92. 3°. "Cum liberum arbitrium una cum auxilio Dei efficienter in actum, quo se ad justificationem disponit [homo], influat, sitque causa libera potens majori aut minori conatu pro sua libertate influere, utique ab inæquali conatu et influxu liberi arbitrii provenire potest ut, conferente Deo duobus hominibus æquale auxilium gratiæ *adjuvantis*, unus eorum intensius operetur, meliusque se disponat ad gratiam justificantem quam alius ; et ut, conferente eisdem inæqualia auxilia, æque operentur; aut is interdum plus, qui minori suffultus est auxilio. Id quod et doctores passim affirmant, et aperte sonant verba illa Concilii Trid. sess. 6, cap. 7 :—' Justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam, secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et *secundum* propriam cujusque dispositionem et *coopera-*

tionem." *Idem*, d. 37. (Literæ cursivæ in hoc sicut et in ceteris locis ex auctore isto exscriptis omnes meæ sunt.)

93. 4°. Nota verba "lege ordinaria" in loco supra, n. 89, exscripto. Nequaquam enim negat MOLINA aliquando dari gratias extraordinarias, ita intensas ut eis moraliter resisti non possit. Talis fuit gratia data S. Paulo, Magdelenæ, &c. Etiam in lege ordinaria non omnis gratia æqualis est, sed alia alia fortior, et id per plures gradus usque ad magnam intensitatem. Nulla tamen datur gratia, etiam minima et tenuissima, quæ, sensu Moliniano, non sit vere et proprie sufficiens ad effectum ad quem datur assequendum.

94. 5°. Cum de duobus gratiam recipientibus ad conversionem (aut ad quodvis aliud opus salutare præstandum) dicitur, ut supra, n. 91, alterum converti posse, dum alter, qui æqualem aut etiam longe majorem gratiam habuit, non convertatur, hoc semper intelligendum est de gratia præveniente seu excitante. Qui enim gratiæ excitanti cedit et convertitur jam habet gratiam adjuvantem (sive hæc sit influxus novus ipsius gratiæ prævenientis, sive non: d. 3, n. 7), quam ille qui gratiæ excitanti restitit non habet. Unde in rigore verum non est dicere non conversum in casu habere majus aut æquale auxilium, nisi significetur auxilium gratiæ excitantis, quod tamen semper significatur. *Idem*, d. 38, prope finem, vers. "Ad secundam."

95. 6°. Gratiâ voluntatem excitante, voluntas ei aut resistere aut cedere potest. Si resistat, resistit non obstante et, ut ita dicam, *renitente* gratia, ipsa sola voluntate operante. Si cedat, cedit non ipsa sola operans, sed gratiâ in eam et cum ea agente. Unde patet voluntatem gratiæ cedentem nequaquam nudam seu per vires naturales operari, sed omnino ex gratia et cum gratia: gratiæ nihil confert,

sed e contrario ex gratia omnino habet quod possit salutaliter operari, et quod ita operetur. "Nullus effectus, nullaque actio, aut ratio formalis actionis vel effectus est, quæ sit a libero arbitrio, et non simul ac *præcipue* sit a Deo cooperante et coadjuvante, quin potius totus effectus totaque actio, totalitate ut vocant effectus, et est a Deo et ab arbitrio nostro, tanquam a duabus partibus unius integræ causæ tam actionis quam effectus: non secus ac quando duo agentia movent mobile aliquod, quod neutrum, *eo influxu quo actu influit*, moveret, nisi cooperante alio, unumque illorum agentium magis ac principalius influit quam aliud. Quemadmodum enim tunc nihil est in eo motu, quod non sit ab unoquoque illorum moventium, sed partialiter partialitate causæ et non effectus, quia totus effectus est ab illo, sed cooperante simul alio, influxusque major unius illorum moventium in eum motum non est aliud quam motus ipse spectatus ut præcise ab illo majori vi emanat, sed cooperante simul alio: et influxus minor alterius moventium non est aliud quam idem ipse motus spectatus, præcise ut minori vi ab eo emanat, sed coadjuvante plus altero: ita res habet in proposito." *Idem*, d. 12. "Quivis illorum actuum [credendi, sperandi &c. salutariter] totus est a libero arbitrio, et totus a gratia præveniente, seu a Deo per eam tanquam per supernaturale instrumentum in eundem actum influente: at a neutro est, ut a tota et integra causa, sed ut a parte integræ causæ." *Idem*, d. 36. Vid SUAREZ, Opusc. 1, l. 3, c. 14, n. 2.

96. 7°. Idem auctor, d. 39, clarius exponit duo discrimina, in prioribus disputationibus indicata, "inter concursum Dei generalem cum libero arbitrio ad actus naturales et auxilium gratiæ prævenientis, ex ea parte quà

gratia præveniens est, ad actus liberi arbitrii supernaturales quibus ad gratiam se disponit. Primum erat quod concursus Dei generalis ad actus naturales non est concursus Dei in liberum arbitrium ut causa est illorum actuum, quasi prius suscipiat in se eum motum, eoque applicetur et potens reddatur ad influendum in actum, sed est influxus immediatus una cum libero arbitrio in actum [supra, n. 15]: at vero auxilium gratiæ prævenientis, ea ex parte quà gratia præveniens est, est influxus Dei in liberum arbitrium, quo illud movet et excitat, potensque reddit ut eo pacto motum, tanquam habens jam in seipso principium efficiens actuum supernaturalium, simul influendo ulterius eos producat. Secundum discrimen, quod ex hoc primo oritur, erat, quod influxus Dei cum libero arbitrio per concursum generalem ad actus naturales nec tempore nec natura antecedit influxum liberi arbitrii in eosdem actus; sed a se mutuo pendent, simulque omnino sunt in rerum natura, et in eandem numero actionem et effectum uniuntur: gratia vero præveniens, quà præveniens gratia est, tempore vel natura antecedere solet influxum liberi arbitrii ad actum supernaturalem, potestque frustrari, si arbitrium ipsum pro sua innata libertate non velit cum ea elicere actum per quem ad justificationem disponatur.

97. "Dixi toties gratiam prævenientem, *quà gratia præveniens est*, tempore vel natura antecedere influxum liberi arbitrii: quoniam, si sumatur ut posterius tempore vel natura, sortitur rationem gratiæ cooperantis, videlicet dum, consentiente jam libero arbitrio influenteque in suum actum, ipsa quoque in eundem actum influit, cooperaturque simul cum libero arbitrio, tunc influxus ille, per quem sortitur rationem gratiæ cooperantis, neque tempore neque

natura antecedit influxum liberi arbitrii: quin potius perinde hi duo influxus, una cum concursu universali quo Deus influit etiam in eundem actum, sunt simul, atque a se mutuo pendent, uniunturque in eandem supernaturalem actionem ab omnibus iis tribus causis tanquam ab una integra effectam; ac influxus Dei generalis et influxus causæ secundæ in rerum natura simul ponuntur ac tolluntur, et a se mutuo pendent, uniunturque in eandem actionem et effectum naturalem ab utraque causa productum."

98. En præcipua systematis Molinianæ capita in ipsis auctoris verbis fere tota declarata. Duæ vero sunt doctrinæ quæ in quovis systemate sartæ tectæ servandæ sunt. Altera est quæ affirmat hominem sub influxu gratiæ vera semper libertate gaudere: altera affirmat Deum quemcumque absolute vult effectum per gratiam, manente ista libertate, infallibiliter producere posse. Thomismum et Augustinianismum huic omnipotentiæ divinæ satis consulere manifestum est; istis autem systematibus, ut supra visum est, vitio vertitur quod non satis libertati humanæ consulant. E contrario Molinianismo objiciebatur quod libero arbitrio nimium tribuerit, adeo ut a quibusdam nota Semipelagianismi afficeretur: quam tamen objectionem, ex notatis supra, n. 95, manifesto vanam, nemo, ut puto, hodie urgeret. Majori veri specie huic systemati objicitur quod in eo lædatur omnipotentia Dei et infallibilis efficacia gratiæ ad effectum assequendum (v. g. conversionem Petri) quem Deus efficaciter vult. Quoniam enim efficacia gratiæ non ab ipsa gratia pendet sed a nostro libero arbitrio, quomodo, fieri potest ut Deus, si velit absolute effectum aliquem producere, illum infallibiliter producet?

99. Huic difficultati occurit MOLINA celeberrima distinc-

tione scientiæ Dei, quam sic ipse (d. 50) enarrat:—"Triplicem scientiam oportet distinguamus in Deo, nisi periculose in concilianda libertate arbitrii nostri et contingentia rerum cum divina præscientia hallucinari velimus. Unam mere naturalem, quæ proinde nulla ratione potuit esse aliter in Deo [supra, n. 2], per quam omnia ea cognovit ad quæ divina potentia sive immediate sive interventu causarum secundarum sese extendit, tum quoad naturas singulorum et complexiones eorum necessarias, tum etiam quoad contingentes, non quidem quod futuræ essent vel non essent determinatæ, sed quod indifferenter esse et non esse possent, quod eis necessario competit, atque adeo sub scientiam Dei naturalem etiam cadit. Aliam mere liberam, qua Deus post liberum actum suæ voluntatis absque hypthesi et conditione aliqua cognovit absolute et determinate ex complexionibus omnibus contingentibus, quænam reipsa essent futuræ, quæ non item. Tertiam denique mediam scientiam, qua ex altissima et inscrutabili comprehensione cujusque liberi arbitrii, in sua essentia intuitus est quid pro sua innata libertate, si in hoc vel illo vel etiam infinitis rerum ordinibus collocaretur, acturum esset, cum tamen posset, si vellet, facere reipsa oppositum.

100. "Sciscitabitur forte aliquis, an hujusmodi scientia media appellanda sit libera an naturalis. Ad quod in primis respondendum est eam nulla ratione esse dicendam liberam: tum quia antecedit omnem liberum actum voluntatis divinæ: tum etiam quia in potestate Dei non fuit scire per eam scientiam aliud quam reipsa sciverit. Deinde dicendum neque etiam in eo sensu esse naturalem, quasi ita innata sit Deo, ut non potuerit scire oppositum ejus quod per eam cognoscit. Si namque liberum arbitrium creatum acturum esset oppositum, ut revera potest, id ipsum scivsiset

per eandem scientiam, non autem quod reipsa scit. Quare non est magis innatum Deo scire per eam scientiam hanc partem contradictionis ab arbitrio creato pendentem quam oppositam. Dicendum ergo est partim habere conditionem scientiæ naturalis, quatenus prævenit actum liberum voluntatis divinæ, neque in potestate Dei fuit aliud scire; partim habere conditionem scientiæ liberæ, quatenus quod sit unius potius partis quam alterius habet ex eo quod liberum arbitrium, ex hypothesi quod crearetur in uno aut altero ordine rerum, esset potius facturum unum quam aliud, cum utrumvis indifferenter posset facere. Atque hoc sane postulat libertas arbitrii creati, quæ, posita etiam præscientia divina, non minus est de fide quam eadem præscientia et prædestinatio.

101. "Ne vero primo suo aspectu te hæc doctrina perturbet, memento ista omnia quæ sequuntur aptissime inter se convenire et cohærere; Nihil esse in potestate creaturæ, quod etiam non sit in potestate Dei; Deum sua omnipotentia inflectere posse nostrum liberum arbitrium quocumque ipse voluerit, præterquam in peccatum; Deum quicquid facit interventu causæ secundæ posse efficere se solo, nisi in effectu involvatur ut sit a causa secunda; Deum permittere posse peccata, non vero præcipere aut ad ea incitare vel inclinare; item quod res libero arbitrio prædita, si in certo ordine rerum et circumstantiarum collocetur, in unam aut alteram partem se flectat, *non provenire ex præscientia Dei, quin potius ideo Deum id preæscire, quia ipsa res libero arbitrio prædita libere id ipsum agere debet*, neque provenire ex eo quod Deus velit id ab ea fieri, sed ex eo quod ipsa libere id velit facere. Inde vero apertissime sequitur scientiam qua Deus, antequam statuat eam creare, prævidet quid sit factura, ex hypothesi quod in eo rerum ordine

collocetur, pendere ex eo quod ipsa pro sua libertate hoc vel illud sit factura, et non e contrario. Scientia vero, qua Deus absque ulla hypothesi absolute scit quid per liberum arbitrium creatum sit reipsa futurum, semper est in Deo libera, pendetque a determinatione libera suæ voluntatis, qua tale liberum arbitrium in tali ordine rerum creare statuit."

102. Scientia ista futuribilium liberorum (infra, n. 104) vocatur scientia *media*, "vel quia mediat inter scientiam simplicis intelligentiæ et visionis, ac de utraque participat: est enim necessaria ex parte subjecti, scilicet Dei, utpote antecedens omne actuale decretum liberum de futuritione rei, ... et est libera ex parte objecti, quia terminatur ad objecta libera, ad futura scilicet contingentia conditionata, quæ per illam cognoscuntur. Vel secundo hæc scientia vocatur media, quia per illam Deus attingit futura conditionata, quæ veluti medium tenent locum inter mere possibilia, quæ cognoscuntur per scientiam simplicis intelligentiæ, et absolute futura, quæ attinguntur per scientiam visionis." GONET, tr. 2, d. 6, n. 3. Vid GORMAZ, de Deo, n. 245, &c.

103. "Actus liber prius ratione cognoscitur ut possibilis quam cognoscatur condionate futurus seu futuribilis: et ratione prius cognoscitur ut futuribilis sub conditione quam ut existens absolute pro aliquo tempore. Sic. v. g. Deus prius ratione novit conversionem ut possibilem quam ut futuribilem sub conditione: nam ratione prius est rem esse possibilem quam futuribilem, cum futuribilitas supponat possibilitatem. Et ratione prius eamdem conversionem novit ut futuribilem sub aliqua conditione quam ut futuram absolute seu existentem pro aliquo tempore: nam scientia visionis præsupponit decretum, cui præsupponitur scientia media, utpote illud dirigens. Quare scientia sim-

plicis intelligentiæ nullam præsupponit scientiam, et præsupponitur ab omnibus aliis: scientia vero media præsupponit scientiam simplicis intelligentiæ, et præsupponitur a scientia visionis, atqui ita inter utramque mediat.

104. "Futuribile est id quod futurum esset, si futura esset aliqua conditio: sive est id quod esset, si poneretur aliqua conditio. Nam futurum conditionate non est proprie futurum, sed esset futurum, si poneretur aliqua conditio. Futuribile duplex est, nempe, necessarium et liberum. Necessarium est illud quod necessario futurum esset, si poneretur aliqua conditio, sive quod necessario esset posita aliqua conditione: talis est calor intensior ex hypothesi majoris ignis. Unde pertinet ad scientiam necessariam, nempe, scientiam simplicis intelligentiæ. Futuribile liberum, quod est objectum scientiæ mediæ, est illud quod libere futurum esset, si poneretur aliqua conditio, sive quod libere esset posita aliqua conditione. Talis est conversio Petri ex hypothesi talis gratiæ.

105. "Futuribile liberum duplex est, unum scilicet futuribile tantum, et alterum futuribile et futurum. Futuribile tantum est illud quod aliquando esset, si esset aliqua conditio; sed nunquam erit, quia nunquam erit illa conditio. Talis fuit poenitentia Tyriorum pro tempore antecedente adventum Christi: nam futura fuisset, si apud illos futura fuisset prædicatio Christi conjuncta cum miraculis; quæ tamen futura non fuit, unde nec futura fuit Tyriorum poenitentia. Futuribile simul et futurum est illud de quo verum est dicere, esset si esset talis conditio, et reipsa erit quia erit talis conditio. Talis fuit conversio Magdalenæ: nam pro tempore antecedente prædicationem Christi vere dici potuit, Magdalena converteretur, si adiret Christum et tali gratia excitaretur; reipsa Magdalena con-

vertetur, quia reipsa audiet Christi prædicationem cum tali gratia interna conjunctam. Utrumque futuribile est objectum scientiæ mediæ, sed spectatum duntaxat ut futuribile. Nam ejus objectum est omne futuribile liberum spectatum præcise ut futuribile, sive illud sit etiam futurum sive non. *Unde præscindit a futuritione absoluta, nec eam includit nec excludit.*

106. "Per conditionem, qua posita actus futurus esset, intelligitur id quod esset causa actûs futuribilis, aut saltem occasio vel præsuppositio quædam ad eum pertinens, quia ad eum conduceret. Quare propositiones, quarum veritas est objectum scientiæ mediæ, sunt illæ omnes et solæ, quibus enuntiatur vel enuntiari potest libera connexio, quam actus cujusvis causæ libere agentis habent cum aliquo supposito ut existente pro aliqua temporis differentia, et se habente per modum causæ aut saltem occasionis vel præsuppositionis cujusdam ad rem seu actum conducentis. Tales fuerunt pro suo tempore hæ propositiones: Petrus negaret Christum, si tali modo tentaretur: Petrus lapsus converteretur, si talem gratiam acciperet: &c. Nam ad scientiam mediam non pertinent propositiones hypotheticæ, quæ fiunt inter disparata et impertinentia, qualis est ista: Si Petrus luderet Parisiis, Joannes peccaret Romæ. Tales enim propositiones sunt omnes necessario falsæ: quia significant connexionem, quæ nec est nec esse potest inter disparata et impertinentia; ac proinde sunt objectum scientiæ necessariæ, nempe, simplicis intelligentiæ. Quod si ejusmodi propositiones quandoque significant simplicem coexistentiam objectorum, sunt veræ vel falsæ, prout futura vel non futura est objectorum coexistentia ut enuntiatur. Sed horum cognitio pertinet ad scientiam visionis, ut patet in hac propositione: Si cras hanc domum petieris, ibi me

invenies: nam hoc ipso quod Deus per scientiam visionis novit me cras in tali domo commoraturum, novit propositionem veram esse. Item propositiones hypotheticæ de libero futuribili, quæ significant illationem unius ex alio, seu ex antecedente hoc consequens inferri sive necessario sive probabiliter tantum, non pertinent ad scientiam mediam: quia veritas aut falsitas illarum pendet ex necessitate vel probabilitate illationis significatæ; ac proinde cognitio veritatis aut falsitatis illarum pertinet ad scientiam necessariam, non ad contingentem, qualis est scientia media." ANTIONE, de Deo, c. 5, a. 5, § 1.

107. Objectum ergo scientiæ simplicis intelligentiæ est omne possibile, ut sic, ut solem creari triangularem, Tyrios et Judæos (Matth. xi. 21), per easdem eis gratias collatas, converti. Objectum scientiæ mediæ est id quod non tantum possibile est, sed posita hac vel illa conditione, actu esset ut conversio Tyriorum et nonconversio Judæorum, iisdem illis gratiis collatis. Objectum scientiæ visionis est omne existens in quocumque spatio temporis, ut conversio S. Petri, nonconversio tum Tyriorum tum Judæorum. Quoniam distinguitur scientia divina secundum objecta distincta; et quoniam aliud est mera possibilitas conversionis Tyriorum, quæ illis cum Judæis communis erat, aliud eorum conversio actualis in hypothesi quod recepissent gratias quas Judæi receperunt: videtur ergo admittendam esse scientiam mediam ut distinctam ab aliis scientiis. Videatur hoc argumentum, cum aliis, ampliatum apud auctores.

108. Sed revera quæstio præcipua non est an detur talis distinctio, quam quæstionem dicit BAILLY (c. 10, a. 3), et insinuat BECANUS (c. 10, q. 1, n. 5) esse levis momenti et de nomine: omnes enim hodie tenent Deum certo et

infallibiliter cognoscere omnia possibilia quæ neque extiterunt neque exstitura sunt, sive, posita quadam conditione, existerent sive non existerent; pluribus hanc scientiam vocantibus nomine simplicis intelligentiæ. Sed tempus est ut ex argumentis quibus propugnatur systema Molinæ, ut supra, n. 89, &c., expositum, unum et alterum proferamus.

109. I. Argumenta ex Isai. v. Matt. xxiii. &c., d. 7, n. 62 &c. contra jansenisticam doctrinam de gratia sufficienti constructa, collatis præsertim dictis supra, n. 55 &c., præsenti materiæ facile et clare accommodari possunt. In illis enim textibus apertissime significatur *totam* rationem sterilitatis gratiæ in pravo usu liberi arbitrii seu resistentia humanæ voluntatis reponi, *nullo* autem modo in defectu cujusdam qualitatis in ipsa gratia, præmotionis aut delectationis, qua posita qualitate suum gratia sortita fuisset effectum. Vide enarrationes textuum ibidem datas. De celeberrimo argumento ex Matt. xi. 21 vid. SUAREZ, l. 5, c. 26, n. 2, &c.

110. Vis hujus argumenti merifice augetur, imo plane invicta redditur, ex eo quod systemata opposita 1°, nullo solido fundamento ex Scriptura nituntur, et 2°, argumentis gravissimis, ne dicam et insolubilibus, præsertim systema Thomisticum, impugnantur: ut satis constat ex supra dictis, n. 32 &c. n. 44 &c. n. 81.

111. II. In hac materia, si in ulla, communis sensus fidelium summam et ineluctabilem vim habere debet. Est enim materia quæ ad omnes fideles pertinet, quæ creberrime in eorum cogitationes incidit; non tantum doctorum sed indoctorum et rudium; non tantum eorum qui sanctam vitam ducunt, sed etiam eorum qui aliquando aut sæpius graviter peccant (et horum forsan non raro maxime) et

etiam in eodem peccato habituatorum et recidivorum—excipe, si velis, obcæcatos et eos qui nomine tantum Catholici sunt. Tentationes quotidie sentiunt graviores aut leviores, easque vel superant vel ab eis superantur: quotidie et sæpius in die, et non pauci centies in die et frequentius adhuc, motibus gratiæ incitantur, eisque aut cedunt aut resistunt, vel penitus vel plus minus: sæpius audiunt conciones de gratia, de conversione peccatorum, &c. legunt libros, capitula, meditationes, &c. variis modis de gratia tractantes. Uno verbo, necessitas gratiæ, vis et efficacia gratiæ, quodcumque demum ordinarie spectat ad distributionem gratiæ ejusque modos operandi et effectus, in cogitationes fidelium adeo frequenter per vitam veniunt, ut non possint non habere de hac materia judicium quoddam, rude forsan, sed sibimet ipsis clarum omnino et firmum.

112. Jamvero, si eos excipias qui studio theologiæ scholasticæ incubuerunt et qui, ex institutione suæ scholæ aut alio quodam influxu peculiari, ad amplectendum systema Thomisticum aut Augustinianum adducti sunt, censeo in nullius unquam, sive clerici sive laici, mentem incidisse etiam cogitationem de præmotione physica vel delectatione victrici, tanquam necessaria ut ulla, multo minus ut omnis, gratia suum sortiatur effectum—non dico sub his terminis (quod manifestum est), sed quoad rem, quocumque modo, quacumque specie seu idea, quocumque nomine. E contrario, censeo id quod in systemate MOLINÆ caput est (supra, n. 89) omnium mentibus quasi naturaliter et ut doctrina apud omnes recepta et obvia insidere: ita ut simplex et pius fidelis, cui prima vice doctrina opposita proponeretur, maxime de præmotione physica, summa incredulitate et etiam horrore quodam afficeretur. Clara et gravia sunt verba ipsius MOLINÆ (q. 14, a. 13, d. 38):—

"Asserimus auxilia prævenientis atque adjuvantis gratiæ, quæ lege ordinaria viatoribus conferuntur, quod efficacia aut inefficacia ad conversionem seu justificationem sint, pendere a libero consensu et cooperatione arbitrii nostri cum illis; atque adeo in libera potestate nostra esse vel illa efficacia reddere, consentiendo et cooperando cum illis ad actus quibus ad justificationem disponimur, vel inefficacia illa reddere, continendo consensum et cooperationem nostram, aut etiam eliciendo contrarium dissensum [supra, n. 89]. Hoc sane est quod disertissimis verbis definit Concilium Tridentinum duabus definitionibus relatis [sess. 6, cap. 5 et can. 4]. Hoc ipsum est quod postulat ratio viæ, et sine quo libertas arbitrii nostri ad justificationem in puncto, quo ad Deum a peccatis convertimur, non potest salva consistere. . . . . . Hoc ipsum denique est quod vel *ipsa experientia in unoquoque nostrum testatur,* quando ad Deum convertimur. Quivis enim in se ipso experitur, dum de peccatis propter Deum dolet, in sua potestate esse continere eum actum quo dolet, non solum divertendo ad alia, sed etiam dissentiendo, complacendoque tunc in iis ipsis peccatis de quibus dolet. Eaque ratione inter justi laudes computatur, quod potuerit transgredi et non sit transgressus, facere mala et non fecerit: id quod non video cur excipiendum sit in puncto ipso momentove justificationis."

113. Objectiones contra systema Molinianum allatæ vel in perversa ipsius systematis enarratione, vel in prava aut infundata interpretatione textuum S Scripturæ (iis hic sepositis quæ ex Patribus derivantur) omnes mihi niti videntur. Unam aut alteram hic tantum proferam. "Quis enim te discernit [ab aliis]? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non

acceperis?" 1 Cor. iv. 7. Si efficacia gratiæ ex libero arbitrio consentiente habeatur, ergo qui gratiæ cedit habet, præ eo qui gratiæ resistit, unde glorietur, nempe, suum consensum. "Etenim in hoc systemate eadem est gratia, sive in eo qui convertitur, sive in illo qui pertinax in malo induratur: immo in isto major quandoque quam in illo [supra, n. 91]: in utroque sufficiens, flexibilis et a voluntatis nutu suspensa. Quod ergo unus ea bene utatur præ altero non gratiæ adscribi debet, quæ eadem est in utroque et indifferens. . . . Restat ergo ut tota unius ab altero discretio sit ab arbitrio repetenda: ut proinde justus possit præ peccatore gloriari quod seipsum discreverit, et aliquid habeat a Deo minime sibi datum, scilicet, bonum gratiæ usum." GAZZANIGA, p. 1, d. 5, n. 119.

114. Etsi longe probabilius sit S. Paulum in textu objecto et ad literam loqui de donis naturalibus sapientiæ et eloquentiæ, quoniam tamen omnes concedunt verba ejus a fortiori de donis supernaturalibus affirmari posse, *Resp.* 1°, ad primum membrum argumenti. Distinguo: Si efficacia gratiæ ex libero arbitrio consentiente habeatur—ex libero arbitrio suis propriis viribus agente, seipsum solo flectente: Concedo: Ex libero arbitrio excitato et impulso a gratia, gratia illud flectente—cui tamen gratiæ resistere potest, et sæpe resistit; si vero cedat, ex gratia habet quod cedat: Nego. 2°. Distinguo similiter secundum membrum: Ergo qui gratiæ cedit habet unde glorietur, nempe, suum consensum, si consensus iste suus omnino sit, eodem modo quo dissentientis suus est; si ex viribus naturæ præstetur et non ex gratia: Concedo: Si consensus iste sine gratia nec præstetur nec præstari possit; si a libero arbitrio præstetur gratiâ excitato, informato, inclinato et adjuto: Nego. "Quo fit ut con-

sensus liberi arbitrii Deo excitanti et vocanti per gratiam prævenientem nihil in re sit quod non sit supernaturale, et quod non simul a Deo emanet, non solum tanquam ab alliciente, excitante et invitante ad id arbitrium nostrum, sed etiam tanquam a cooperante per auxilium gratiæ: atque adeo fit ut nihil omnino habeat adultus ex iis, quæ ad justificationem sunt necessaria, et quibus a non justificato discernatur, de quo gloriari possit, ac si id a Deo non acceperit: tametsi ad multa ex iis, quæ ad justificationem sunt necessaria, libere cooperetur ac influat, ita ut in ipsius potestate sit non cooperari et non influere, atque adeo impedire ne in rerum natura existant." MOLINA, d. 38: similia alibi sæpius habet, ut inferius in eadem disp. solvens objectionem a GAZZAN. supra, n. 113, repetitam, nempe, totam unius ab altero discretionem ab arbitrio esse repetendam:—"Neganda est consecutio, si intelligatur de consensu, qui ita sit a libero nostro arbitrio ut non simul ac præcipue sit a Deo, non solum ad id alliciente, vocante et incitante per auxilium gratiæ prævenientis, sed etiam cooperante per idem auxilium gratiæ. Quare Deus est qui præcipue justificatum discernit a non justificato, sed cooperante ipsius adulti, qui justificatur, arbitrio, ut est de fide: ac proinde nihil habet justificatus quo a non justificato discernatur, quod a Deo non acceperit, atque adeo de quo gloriari possit quasi id non acceperit. Id tamen non tollit illud ipsum pendere simul a libera cooperatione et influxu arbitrii talis justificati, sine quo illud ipsum non esset."

115. Hinc facile dissolvuntur instantiæ quorundam auctorum: v. g. 1°. Petro consentienti et Paulo dissentienti æqualis gratia datur, imo forsan Paulo major, n. 91. Ergo quod Petrus consentiat non gratiæ sed soli Petro

tribuendum est. 2°. Deus nihil Petro dat quod non dat Paulo: ergo non dat Petro eonsensum salutarem: ergo consensus Petri est Petri solius. *Resp.* Utrique dat Deus consensum salutarem in actu primo, dando utrique gratiam, cui uterque cedere potest, uterque resistere potest: cedit Petrus gratiæ ex gratia, resistit Paulus non obstante gratia. Vid. supra, n. 95.

116. *Instat* GAZZAN. l. c.:—"Quemadmodum miles, quanquam sine armis pugnare non potest, quod tamen armis strenue utatur, sibi ipsi debet et nulli alteri: quia arma potentiam quidem pugnandi præbent, sed non ipsum actum aut bonum usum. Hæ consecutiones adeo recte fluunt ex Moliniano systemate, ut ipse Molina eas omnino negare non potuerit."

117. Quod ultimis verbis dicit G. de MOLINA verum non est. Locus autem, quem ex hoc auctore (d. 12, prope finem) ad id suadendum exscribit, cum contextu suo perpensus longe aliud sonat ab eo quod, forma ista truncata prolatus, sonare videtur. Sed quicquid de noc dicitur (infra, n. 119), objectio ipsa bene et clare dissolvitur animadversione quadam D. JUNGMANN in expositione hujus systematis, n. 199:—"Apprime animadvertatur efficaciam connexionis gratiæ cum bono opere non pendere a nuda voluntate, ac si voluntas viribus suis aliquid adderet gratiæ, quum potius gratia vires det efficacissimas voluntati, quibus ipse actus elicitur. Gratiæ enim operatio in nobis non ita est concipienda, uti interdum vulgi opinione solet apprehendi, quasi nempe hinc habeamus gratiam influentem inde vero seorsim nostras rationales facultates influxui gratiæ obnoxias, ita ut gratia sit causa *mediata* et impellens, voluntas *nuda* ab ea impulsa causa *immediata* actus. Neque enim concipi debet gratia ut simpliciter consociata

voluntati, aut, si ita loqui fas est, *juxta* voluntatem posita eique *extrinsecus* applicata, ut ipsam juvet et sustentet in opere perficiendo. Tales conceptus præposteri sunt et causa multiplicis confusionis. Gratia igitur infunditur intrinsecus et intime nostris viribus ac facultatibus, suaque luce ac vigore eas penitus imbuit, *ita ut vires gratiæ fiant vires ipsius voluntatis.* Neque jam gratia est supernaturale principium *separatim* operans cum *naturali* principio, sed unum fit cum voluntate nostra *comprincipium.* Actus proinde salutares nec a facultate seorsim eliciendi erunt nec a gratia seorsim; sed a gratia operante in facultate, ut actu imbuta intrinsecus vigore gratiæ, et per eum elevata et roborata quoad ipsos actus edendos. Et sicut illos actus salutares edere potest voluntas, eo quod vires gratiæ factæ sunt vires ipsius voluntatis, ita et, quia libera est, actum omittere potest, et gratiæ ipsi resistere."

118. Ad hanc rem illustrandam similitudinem aptam et accomodatam ex opere D. CERCIÆ de Gratia Actuali profert hic auctor:—"Non pigeat similitudinis loco meminisse Sampsonis brachii, quod certe non habuit assistentem sibi velut extrinsecus præternaturalem vigorem, quo urgeretur ad suos actus, sed eo intrinsecus erat imbutum, *sicut brachium cujusque imbuitur sua naturali virtute.* Unde nec agebat seorsum aut vigor aut brachium, sed unum ex utroque comprincipium habebatur, quod edendis miræ fortitudinis prodigiis erat coæquatum, sicut cujusque brachium ad communes actus exercendos proportionem habet." (Opus illud CERCIÆ non vidi, et, etsi diligenter exquisitum, comparare non potui.)

119. Sed hæc, ut specimina, sufficiant. Ceteræ objectiones ex principiis in hac disputatione et in aliis sparsim datis, præsertim d. 7, facile solvi possunt. Nota autem

nos omnia et singula dicta MOLINÆ, per modum explicationis, argumenti, &c., ita invulnerabilia esse nullomodo affirmare velle. Isti enim doctissimo et clarissimo auctori facile contingere potuit, quod et aliis doctissimis et clarissimis auctoribus contigit, præsertim in materia difficili et obscura et ab antecedentibus auctoribus non ita funditus et subtiliter excussa, ut, nempe, ea aliquando proferant quæ plane infirma sunt, inepta, sibi minus cohærentia. Quod ergo supra de systemate Moliniano dictum est, de eo tantum quoad substantiam et capita, ut supra enarrato, significari volo.

§ 4. *Systema Congruisticum.*

120. Diversas hujus systematis enarrationes apud auctores, præsertim recentiores, prolatas video: ita ut, secundum unam interpretationem, non multum a Moliniano recedat, secundum alteram vero, ad Augustinianum haud parum, quoad rem, accedat, loco delectationis victricis ponendo congruitatem. Explicatio BULSANI (§ 433) præ ceteris, quæ minus prolixe exaratæ sunt, verior nobis et clarior esse videtur.

121. "Ad præcavendas magnas difficultates, quæ systemati Molinæ opponebantur, cl. Suarez, eximius Societatis Jesu Theologus, aliud systema construere, seu potius illud Molinæ mitigare et emendare, nisus est. Duplicem idcirco gratiam distinxit, unam *congruam* et alteram *incongruam.* Prima congrua dicitur, quia est accommodata indoli, inclinationibus et aliis circumstantiis illius, qui eam recipit, et in quibus Deus per scientiam mediam ab æterno prævidit ipsum infallibiliter consensurum: ita ut hæc gratia congrua *semper* sit efficax; alias non foret congrua, et Deus in

sua præscientia falleretur. Altera dicitur incongrua, quæ non est satis accommodata indoli, inclinationibus, passionibus, habitibus, tempori, loco aliisque circumstantiis, in quibus versatur is qui eam recipit, ut ab illo consensum obtineat, et ideo non est nisi sufficiens.

122. (1.) "Imprimis ergo Suarez statuit Deum, per voluntatem antecedentem salvandi omnes, præparasse omnibus tales gratias, quæ per consensum voluntatis efficaces fieri possunt, et ad salutem sufficiunt. Si autem Deus indeclinabiliter et insuperabiliter vult actum salutarem, tunc ipsas circumstantias ita ordinat, ut sint gratiæ tribuendæ congruæ, et gratiam indoli hominis attemperat eamque in talibus circumstantiis congruis largitur, in quibus humanam voluntatem libere consensuram esse, ope scientiæ mediæ, infallibiliter cognoscit. Ita Suarez efficaciam gratiæ explicat, dicens: (c. 21, n. 4) 'Vocatio efficax illa est quæ, ... includit quamdam congruitatem respectu personæ cui datur, ut sit illi ita proportionata et accommodata, sicut oportet, ut in tali persona in tali tempore et occasione infallibiliter effectum habeat, et per hoc habet illa vocatio quod congrua et efficax sit [Vid. etiam Opusc. 1, l. 3, c. 14, n. 7, &c.].' Atque certe a nemine negabitur, externas et internas circumstantias magnam in hominis voluntatem vim exercere, et ab illis persæpe liberum consensum dependere. Ita frequentissime homo, in mala societate aut turpis occasionis illecebris constitutus, peccatum committit, quod in aliis circumstantiis fugit et odit. Repentina alterius morte perterritus bona monita attendit, quæ recreationibus dissipatus contemnit.

123. (2.) "Libertas hominis in actibus salutaribus, posito hoc systemate, clarissime elucet. Nam efficacia gratiæ in illo repetitur ab ipsa virtute gratiæ tanquam a principio

activo, a circumstantiis congruis, quæ in consensum voluntatis influunt, et a scientia Dei, tanquam a principio directivo. Gratia autem talis est, ut ex intrinseca sua virtute nullatenus liberum arbitrium necessitet: cum eadem gratia in aliis circumstantiis inefficax maneret. Circumstantiæ porro in consensum hominis equidem influunt, sed eidem necessitatem non inferunt: nam etiam negotiator qui, ad evitandum naufragium, merces in mare projicit, uxta omnes, liberam actionem ponit.

124. (3.) "Discrimen inter gratiam efficacem et sufficientem in hoc systemate non petitur a solo consensu dato vel negato, sed iste consensus dependens statuitur a circumstantiis congruis vel incongruis. Cum autem Dei sit circumstantias ordinare, et gratiam suam in circumstantiis congruis, potiusquam incongruis, conferre, consensum ipsum et actum salutarem operationi divinæ et speciali Dei beneficio, quod nemini debetur, adscribere oportet. Inde jam clarius apparet quomodo homo non seipsum discernat, sed a Deo discernatur: quia gratia efficax est, si in circumstantiis congruis confertur; inefficax autem seu mere sufficiens manet, si in circumstantiis minus congruis conceditur. Juxta hoc systema ergo gratia efficax a sufficiente distinguitur non solum *in actu secundo*, sed jam etiam *in actu primo*."

125. Systema hoc, sicut et cetera, sua habet incommoda ei ab adversantibus theologis objecta. Sed, iis prætermissis, quod supra, n. 87, de systemate Augustiniano dicendum censui, et de hoc systemate suo modo dicendum arbitror, nempe, vitium ejus maximum et insanabile (ne dicam, et unicum) in eo esse quod congruitatem istam ad *omnem* gratiam efficacem exigat, ita ut *nulla* sit gratia efficax nisi in circumstantiis istis congruis detur, et *om-*

nis gratia inefficax talis sit quia datur in circumstantiis incongruis. Hæc doctrina nullo, quod viderim, argumento solido fundatur: imo, non solum infundata et improbabilis sed plane falsa mihi videtur. Egregius est locus TOLETI (apud BULSAN. l. c. Nota 1) in verba S. Pauli, Galat. i. 15, "Cum autem placuit ei qui me, ... vocavit per gratiam suam":—"Non dicit Paulus, quando me novit obediturum, sed quando illi placuit. . . . . Non expectat Deus semper arbitrium nostrum, quia sua gratia ipsum excitat, ipsi dat velle et perficere, et qui etiam rebelles convertit et compellit voluntates. Tunc ergo vocavit, quando illi placuit: et si ante vocasset, utique respondisset et obtemperasset. . . . . Existimo tunc vocasse discipulos multos, et præsertim Matthæum, quando plus erant impediti, magisque detinebantur, ut venirent. . . . Sic Paulum vocavit, dum opus fervebat, minusque ad observandum paratus erat."

126. Hæc sunt quatuor systemata celeberrima, quibus alia addita sunt minoris notæ, quæ videri possunt apud LA FOSSE et alios auctores. In præfatis expositionibus conficiendis, ut veræ et sinceræ essent, graviter elaboravi. Si in aliquo perverse interpretatus sim, ignoscant mihi doctores scholarum clarissimarum, in quibus systemata illa olim propugnata sunt vel etiam hodie propugnantur. Etsi autem in hac materia nihil est quod ad dogma definitum pertinet sed omnia sunt prorsus libera, existimo tamen expositiones ejusmodi valde utiles esse, "*tum*," ut ait BAILLY (de Deo, c. 10, a. 4), "ad rectius intelligendum dogma Catholicum, *tum* ad perspiciendos limites in hac gravi materia ab Ecclesia positos, *tum* ad cognoscendum quid in scholis propugnari licite possit aut rejici debeat."

127. *Conclusio totius disputationis.* Quid ergo de his systematibus dicendum est? Quidam censent modum quo gratia in nobis operatur esse prorsus incognitum, utpote de quo nihil est revelatum, et ergo omnia de hac re systemata esse, eo ipso et essentialiter, incerta. Censeo hoc verum non esse, et de hac materia esse doctrinam revelatam, quæ, etsi adhuc ab Ecclesia non sit definita, bene definiri potest.

128. Quid ipse de illis systematibus sentiam haud obscure in iis exponendis insinuatum est. Censeo I. præmotionem physicam Thomismi absolute et omnino rejiciendam esse, et id ob rationes supra datas, n. 32–68. Censeo II. systema Augustinianum et Congruisticum, sensu exposito n. 87 et 125, esse pariter absolute et omnino rejiciendum, nempe, illa systemata rejicienda esse, quatenus ad *omnem* gratiam efficacem exigunt istam delectationem relative victricem aut congruitatem istam.

129. Censeo autem III. bene defendi posse, imo et verissimum esse, dari aliquando gratias delectationis (et timoris, &c.) relative victricis et gratias congruas. Imo censeo ejusmodi gratias non solum datas fuisse in istis casibus conversionum extraordinariis et miraculosis, sed etiam quotidie dari in Ecclesia, et justis ut ad altiores sanctitatis gradus ascendant, at peccatoribus, et etiam magnis peccatoribus (in Missionibus præsertim), qui ad Deum subito et toto corde convertuntur.

130. Medulla et essentia systematis MOLINÆ (n. 89, &c.) in eo est, quod *omnis* gratia in se efficax est ad finem in quem datur assequendum, et ideo, si non sortiatur effectum, id totum tribuendum est libero arbitrio gratiæ resistenti; ita ut fieri possit quod duorum, quibus aquale auxilium gratiæ, in iisdem etiam circumstantiis, conceditur, alter ei

cedat, alter resistat. Huic systemati nullomodo repugnat quod jam diximus, n. 129: imo ei integre consonat, ut ex dictis, n. 93, patet. Etsi vero ipse MOLINA doctrinam illam (n. 129) non ita dilucide explicet et evolvat (quia forsan, illa supposita, in eo quod sui systematis proprium et principale fuit urgendo adeo totus detinebatur), minime dubito quin eam firmiter tenuerit, et, si hodie viveret, post tot disceptationes habitas, clare et late propugnaret.

131. Dixi supra, n. 130, "ad finem in quem datur." Fieri potest ut quis, gravi tentatione impugnatus, non habeat gratiam proxime sufficientem ad eam vincendam. Habet autem gratiam proxime sufficientem ad orandum, quæ tamen non est sufficiens, et sensu Moliniano in se efficax (nisi remote), ad ipsam tentationem comprimendam: ad id enim non datur—nisi remote.

132. His præhabitis, censeo IV. systema Molinianum, apposita interpretatione jam data, esse omnino et unice verum, et ex omni parte prorsus inexpugnabile. Censeo insuper doctrinam hujus systematis eam esse (fere dixi, eam solam esse), quæ, debito modo explicata, semper, ubique, cunctis fidelibus, doctis et indoctis, justis et injustis, tutissime et fructuosissime prædicari potest.

133. Quæ, per modum syntheseos, ex TOURNELYO et aliis profert BULSANUS. n. 435, non tam ad argumentum præsens, magna saltem ex parte, pertinent quam ad argumentum de distributione gratiæ. Sed de his omnibus jam satis.

TRACTATUS DE GRATIA.



PARS TERTIA:

DE GRATIA HABITUALI.

DISP. 9. DE NATURA ET VI GRATIÆ HABITUALIS.
DISP. 10. DE CONDITIONIBUS SEU DISPOSITIONIBUS AD JUSTIFICATIONEM.
DISP. 11. DE PROPRIETATIBUS JUSTIFICATIONIS.

DISPUTATIO NONA.

DE NATURA ET VI GRATIÆ HABITUALIS.

§ 1. *Notiones Prævia.*

1. Duo sunt effectus ad quos assequendos maxime datur gratia actualis, nempe, ut homo ex peccatore fiat justus, et ut justus comparet augmentum justitiæ : cui, si justus decedat, respondebit augmentum gloriæ in cœlis. Uterque effectus justificatio vocatur : justificatio peccatoris prima justificatio vocatur, justificatio justi vocatur secunda Justificatio fit per infusionem gratiæ habitualis, quæ etiam justificans et sanctificans vocatur. Hæc tria nomina idem sub conceptu diverso, significant, infra, n. 16 : gratia habitualis dicitur quatenus, ad instar habitus, ex natura sua in anima permanet eique inhæret—et sic gratiæ actuali opponitur, quæ ex natura sua transeuns est.

2. "Gratia sanctificans vulgo definitur Supernaturale Dei donum, permanenter inhærens animæ, quo homo immediate et formaliter sanctus redditur, justus, Deo gratus, filius Dei adoptivus, capax eliciendi opera meritoria vitæ æternæ, ejusdemque hæres." PERRONE, n. 468. Hanc definitionem suam ad literam fecerunt BULSANUS et JUNGMANN, eamque nos nostram eodem modo facimus.

3. Dicitur *primo*, "supernaturale Dei donum." Hæc

verba genus indicant proximum, in quo gratia habitualis cum actuali convenit: d. 1, n. 1, 21, 27.

4. Dicitur *secundo*, "permanenter inhærens animæ." 1°. Inhæret animæ, ut quid ei intrinsecum eamque intime afficiens. Hoc est contra Novatores, de quorum errore vid. infra, n. 40, 87. 2°. Permanenter inhæret donec, peccato mortali admisso, quo solo expelli potest, expellatur.

5. Gratiam sanctificantem et inhærentem esse et permanentem manifesto de fide est. Sed duplici modo inhærere et permanere concipi potest, (i.) ut accidens creatum reale seu qualitas illa, quam in naturalibus *habitum* vocamus. Habitus naturales regulariter per actus repetitos acquiruntur. Sic, per actus repetitos in operationibus naturalibus sive corporis sive mentis acquiritur, ut experientia universali notum est, facilitas et agilitas ad operandum, etiam in hominibus quibus operationes istæ antea difficiles et ingratæ fuerunt; v. g, per actus repetitos meditandi, studendi, cantandi, saltandi, &c. Ista facilitatis qualitas habitus vocatur. Inter habitus vero naturales et habitus supernaturales tria sunt capita discrepantiæ. 1°. Illi aut boni esse possunt aut mali aut in se indifferentes, hi semper boni sunt: 2°, illi acquiruntur hi infunduntur, nec nisi per infusionem haberi possunt: 3°, illi non dant facultatem, quam supponunt, sed dant facilitatem; hi dant facultatem (an aliquando, per se et sine auxilio actuali, sufficientem, vid. d. 6, n. 87), sed non necessario nec semper dant facilitatem.

6. (ii). Altero modo concipi potest gratia sanctificans inhærere et permanere, nempe, ita ut nihil aliud sit quam "ipsa gratia actualis, quæ jugitur influat in animam justi, eamque fecundam efficiat" (PERRONE, n. 473); seu, motio

animæ recta et continua (STAPLETON apud VASQUEZ, d. 203, n. 21).

*7. *Quæritur* nunc 1°. Utronam ex istis duobus modis inhæreat gratia sanctificans? *Resp.* 1°. Quæstio non est de possibilitate: Deum enim posse facere ut gratia alterutro modo animæ inhæreat et in ea permaneat manifestum est. Quæstio est tantum quomodo de facto et in præsenti ordine id fiat. 2°. Etsi SUAREZ (l. 6, c. 3, n. 6), cum aliis paucis, censeat esse de fide, post Conc. Tridentinum (concedit enim, n. 3, ita antea non fuisse), "quod gratia, qua sumus permanenter justi, est res aliqua creata distincta ab actibus et, cessantibus illis, in homine permanens;" id tamen negant theologi passim et antiquiores et recentiores, ut, inter illos, VASQUEZ, d. c., inter hos, PERRONE, l. c. Concilium enim definivit quidem inhærentiam gratiæ permanentem, sed de modo inhærentiæ nihil definivit. Vid. PERRONE, ibid. not. et SCHOLLINER, n. 85, &c.

*8. 3°. Attamen sententia ista, etsi non definita, communis et certa est, et ut talis a theologis propugnatur. "Sane parvuli et perpetuo amentes, dum baptizantur, accipiunt gratiam et virtutes; atqui eam non recipiunt per modum motionis ad operationem, cujus incapaces sunt; ergo per modum habitus. Quæ quidem, ... ratio ineluctabilis est." PERRONE, n. 505, Videantur alia argumenta apud eundem et alios auctores. 4°. Hanc autem qualitatem rationem habitus proprie dicti vere habere, et habitum merito vocari, ex ipsa notione habitus planum est: nec quis hoc, nisi de verbo cavillando, negare potest.

*9. *Quæritur* 2°. An, præter donum istud creatum, donum etiam increatum, ipsa persona S. Spiritus, justis detur, eosque justos ac filios Dei faciat, "non efficientia

sola, externaque largitione gratiæ, sed communione substantiæ suæ, ita ut in nobis esse et habitare dicatur, 'non per gratiam visitationis et operationis, sed per ipsam præsentiam majestatis,' ut Augustinus loquitur" (PETAVIUS, de Trinitate, l. 8, c. 5, n. 8)?

*10. *Resp.* 1°. Dixi "*præter* donum creatum." Gratiam enim illam creatam dari affirmant omnes theologi: vid. infra, n. 14. De singulari opinione P. LOMBARDI hæc habet PERRONE, in opere "De Virtutibus Fidei, Spei et Charitatis" (Ratisbonæ, 1865), pars 3, n. 157–9:—"Propositio hæc [Caritas habitualis est . . . . donum creatum a Spiritu Sancto distinctum, quo in actum erumpimus] certa ac communis est inter theologos, a quibus adstruitur adversus singularem opinionem [ab omnibus theologis rejectam. SUAR. hic, l. 6, c. 8, n. 10] Petri Lombardi, qui in I. dist. 17, § 18 contendit caritatem, de qua disserimus, non distingui a Spiritu Sancto, qui est notionalis Dei caritas. Quo principio semel constituto infert ipse, ceterarum quidem virtutum actus, fidei ex. gr. et spei, excitari in nobis a Spiritu Sancto mediante habitu seu virtute creata ab ipso distincta, actus vero caritatis ab ipso Spiritu Sancto in nobis immediate produci. . . . . Ex quibus [verbis Magistri allatis] patet eum admittere quidem actum dilectionis Dei; caritatem vero, quæ sit *virtus instar habitus* dilectionis actum producens, omnino inficiatur.

*11. "Hæc autem singularis Petri Lombardi doctrina permisceri nequit cum Petavii placito, prout perperam et incaute a nonnullis factum esse dolemus. Etenim Petavius id unum, innixus Scripturarum plurimorumque Patrum, sive Græcorum sive Latinorum, auctoritati, contendit *præter* creatum Spiritus Sancti donum, ... communicari et quidem immediate ipsam Spiritus Sancti

personam, quæ substantialiter in ipsis maneat habitetque . . . . Adeo vero differt Petavius a sententia Petri Lombardi, ut eam plane improbet veluti Sacris Eloquiis atque adeo ipsis Patribus contrariam. Sic enim scribit:" &c.

*12. *Resp.* 2. Ista PETAVII sententia mihi olim valde placuit, et nunc denique penitius recognita magis magisque placet, et etiam mihi certa esse videtur. (Quæ vero in ejus expositione hujus sententiæ emendanda sunt vid, ap FRANZELIN, de Trinitate, thes. 45). Textus Scripturæ et Patrum, quibus alludit PERRONE, a PETAVIO et aliis allati clarissimi et ad probandum firmissimi mihi esse videntur: ita ut miratus sim quosdam auctores hanc sententiam non solum non tueri, sed ut manifesto futilem et falsam abjicere. Longe aliter sentit SUAREZ (de Trinitate, l. 12, c. 5, n. 8):—"Quando Deus infundit animæ dona gratiæ sanctificantis, non solum creata dona sed ipsæmet divinæ personæ homini dantur, et animam ejus inhabitare incipiunt, et ideo talium donorum interventu Spiritus Sanctus invisibiliter mittitur. Ita docent doctores scholastici, adeoque certam reputant hanc veritatem ut D. Thomas, 1 p. q. 43, art. 3, argum. 1, *errorem* appellaverit dicentium non dari Spiritum Sanctum sed ejus dona. . . . . Estque communis sententia Patrum." Hinc theologi graves, cum eodem SUAREZIO (ibid. n. 12, 13), docent Deum, etsi non esset per immensitatem ubique præsens, fore tamen præsentem in anima justi.

*13. "In justificatione et adoptione non tantum donantur homini charitas et gratia, vel ipse Spiritus Sanctus quoad dona sua duntaxat, ut nonnulli censuerunt; sed etiam datur ipsissima persona Spiritus Sancti, ac consequenter datur ipsa Deitas totaque S. Trinitas ; ita ut ipsa non tantum objective sed et realiter et personaliter in anima

justi, cum donis et per dona sua, novo modo fiat præsens, in eaque quasi in templo suo substantialiter inhabitet, eamque sibi uniat et quasi deificet, ac consequenter adoptet." A. LAPIDE in 2 Petr. i. 4:—"Ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ."

*14. Videatur idem in Rom. v. 5:—"Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis." Ex quo loco etiam probat, contra LOMBARDUM (supra, n. 10), dari gratiam quæ est qualitas creata et infusa:—"Nam Apostolus asserit hic charitatem diffundi in cordibus nostris: Spiritus autem Sanctus diffundi non potest, nisi per charitatem aliaque dona creata et infusa. Secundo, quia Apostolus distinguit hic charitatem a Spiritu Sancto, tanquam effectum a causa: ait enim, 'Charitas Dei diffusa est per Spiritum Sanctum.' Ergo charitas alia est et diversa a Spiritu Sacnto: sicuti lux effusa in hac domo per lampadem alia est a lampade lucem diffundente."

*15. Alii sunt textus Scripturæ doctrinam istam satis clare significantes, ut Joan. xvi. 23; 1 Joan. iii. 24; &c. Patrum textus vid. apud PETAVIUM et alios: unum tantum breviorem proferemus ex S. CYRILLO HIEROS. Catech. 17, n. 14:—*Ει, σωμα ον, το πυρ εν σωματι σιδηρου ενδυνον οντως απαρεμποδιστως εργαζεται, τί θαυμαζεις ει Πνευμα Ἁγιον εν τοις ενδοτατοις της ψυχης εισερχεται;* "Si ignis, cum corpus sit, in ferri corpore se insinuans ita absque impedimento operatur; quid admiraris, si Spiritus Sanctus in animæ interiora ingreditur?"

16. Dicitur *tertio*, "quo homo immediate et formaliter sanctus redditur, justus, Deo gratus." 1°. "Sanctus—justus—Deo gratus." Tria quæ istis vocabulis significantur semper, in præsenti ordine, simul existunt, nec unum sine

aliis duobus esse potest: eandem ergo in concreto rem significant, sed sub conceptu diverso. Per *sanctitatem* simpliciter significatur immunitas a peccato mortali, et, si perfectissima sit, ab omni peccato veniali. Hæc mera sanctitas in alio ordine, v. g. in statu naturæ puræ, haberi posset. In præsenti vero ordine, ut jam dictum est, eam semper comitatur *justitia*, i. e. positiva quædam animæ perfectio et singularis pulchritudo spiritualis et supernaturalis. Hos duos effectus, alterum negativum alterum positivum, parit gratia habitualis, quibus homo fit *Deo gratus*. Homo autem justus Deo gratus est, non tantum isto generali modo, quo omnia opera Dei ipsi grata sunt (Genes. i. 31); nec etiam isto speciali modo, quo homo in pura natura, carens peccato et opera faciens moraliter bona, Deo gratus esset; sed modo specialissimo, quo homo Deo gratus est "perfecta amicitiæ gratitudine, ita ut Deus ratione illius doni [gratiæ habitualis homini intrinsece inhærentis] in illo, tanquam in amico complaceat, seu singulari amore, ac proprio justorum, illum prosequatur." SUAREZ, l. 7, Prooem. n. 1, 3; c. 1, n. 1, 2; et de Incarnatione, d. 18, s. 1. Hominem esse gratum Deo et amicum Dei idem hic sonant.

*17. "Ad veram et proprie dictam amicitiam tres conditiones communiter requiruntur. Prima, quod amor sit benevolentiæ, quo volumus alicui bonum propter ipsum. . . . . Secunda conditio est, ut amor iste sit mutuus. Non enim sufficit ad hoc ut aliquis sit amicus alterius, quod illum præcise amet, sed etiam debet ab illo amari: amicus enim est amico amicus, et dicitur quasi amicatus, ita ut talis amor mutuus sit quasi nexus inter duos. Tertia conditio est, quod iste mutuus amor fundetur in aliqua communicatione: qui enim in nullo communicant nullam

inter se habent conjunctionem. Unde, ratione diversæ communicationis, diversæ sunt amicitiæ. Sic in communicatione sanguinis fundatur amicitia consanguinitatis; in communicatione superioris cum inferiori amicitia excellentiæ; in communicatione sociorum amicitia æqualitatis." BILLUART, de Charitate, d. 1, a. 2.

*18. Inter Deum et hominem justum veram intercedere amicitiam patet ex variis locis V. et N. Testamenti:— "Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus:" Psalm. cxxxviii. 17. Item Judith, viii. 22; Isai. xli. 8; Luc. xii. 4; Joan. xv. 15; &c. In ista amicitia tres inveniri conditiones jam memoratas vid. apud eundem BILL. et PERRONE, de Caritate, n. 182; apud quos solvuntur objectiones oppositæ.

19. 2°. "Immediate et formaliter (n. 16)." His particulis rejicitur sententia hæreticalis quæ affirmat justificationem nostram prorsus extrinsecam esse, et nos sanctos et justos effici nonnisi per apprehensionem et imputationem justitiæ Christi: infra, n. 40, 87. "Unica formalis causa [nostræ justificationis] est justitia Dei; non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus. . . . . Quamquam nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur: id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhæret. Unde in ipsa justificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et charitatem." Conc. Trid. s. 6, c. 4.

20. Dicitur *quarto*, "filius Dei adoptivus." Ad hanc

particulam intelligendam dico "communem theologorum sententiam circa essentiam gratiæ esse, quod sit qualitas physica supernaturalis absoluta, et non moralis, et participatio Divinæ naturæ, non quidem in suo esse reali, ut est unio hypostatica, sed tantum *similitudinarie*, eo pacto quo calor v. g. dicitur participare naturam ignis; ita ut *vi talis formæ anima extollatur ad filiationem Dei adoptivam*, ad amicitiam, ad hæreditatem. Cum enim Deus per gratiam disponat creaturam, illique jus conferat ad Dei visionem et ad beatitudinem supernaturalem, eo ipso vult illi impertiri hæreditatem suam, seu jus ad bona omnia, quæ potest illi communicare, quibus evadat felix, intuitive videndo Deum et fruendo ejus summa bonitate: quod expressit Apostolus ad Galat. iv. 4–7:—'Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem Abba, Pater. Itaque jam non est servus, sed filius: quod si filius, et hæres per Deum.' Quia tamen filius adoptivus est dignus amore patris, hinc filius Dei adoptivus non solum est hæres vitæ æternæ, sed etiam Dei amicus.

21. "Ut autem appareat quid intersit inter adoptionem humanam et divinam, sciendum adoptionem definiri a theologis et jurisconsultis (apud D. Thomam, quæst. 23, art. 1) quod sit 'Personæ extraneæ in filium legitima assumptio.' . . . . Unde duo ad adoptionem requiruntur: primum, quod libere aliquis assumatur in filium, et conferatur illi citra aliam obligationem jus ad hæreditatem: alterum est quod is sit persona extranea, non filius naturalis. . . . . In hac definitione convenit adoptio divina, quæ fit per gratiam, cum humana. Discrepant tamen in

eo, quod adoptio divina de facto fit per formam *physicam*, quæ copulat charitate hominem cum Deo, et illi tribuit jus ad hæreditatem Dei; adoptio vero humana et legalis fit per formam *moralem et extrinsecam*, seu per solam voluntatem assumendi aliquem in filium. Hinc qui adoptatur a Deo dicitur a Deo natus, ut habetur 1 Joann. iii. 9:—'Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.' Contra vero, qui adoptatur ab homine non dicitur ab illo natus. Nasci enim ex aliquo est formam ex eo similem generatione trahere, juxta celebrem definitionem generationis, quòd sit 'Origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturæ.' Per gratiam autem habetur origo viventis a vivente per conjunctionem istam copulantem charitate hominem cum Deo *in similitudinem imperfectam cum natura divina*. . . . . Unde per gratiam habetur Dei filiatio, non naturalis—cum sit personæ extraneæ—sed adoptiva." VIVA, p. 3, d. 4, q. 3, n. 1, 2. Vid. et RHODES, d. 3, q. 1, s. 4, § 3, vers. "Prima enim;" PETAVIUS, de Incarnat. l. 7, c. 1.

*22. Contra hanc doctrinam (ut puto, longe communiorem), nempe, nos fieri filios Dei per gratiam habitualem, docent LESSIUS, PETAVIUS et alii (VIVA, ibid. n. 3) nos esse filios Dei "proprie et formaliter, non tam per donum aliquod creatum [gratiam habitualem], quam per inhabitationem et possessionem Spiritus divini vivificantis et regentis animas nostras." LESSIUS, de Perfectionibus Divinis, l. 12, c. 11, n. 75: vid. et de Summo Bono, l. 2, c. 1, n. 4. De hac sententia (explosâ, et merito quidem, censurâ arbitrariâ quâ in eam invehitur RIPALDA) sic scribit FRANZELIN (Thes. 43, not.):—"Hoc quiddem non putamus verum, sed dicimus Spiritum Sanctum inhabitantem *fastigium*

perfectionis, tum sanctitatis scilicet tum adoptionis, non ut causam formalem, sed ut causam efficientem et ut terminum cui conjungimur."

*23. Quicquid de hoc dicitur, gratum me opus lectori censeo præstiturum, exscribendo quæ idem LESSIUS in opere priori (ibid, n. 73) de effectibus hujus adoptionis pulcherrime disserit:—"Quanta distantia, quam ingens intervallum inter statum [peccati] ex quo erepti, et ad quem [per adoptionem] evecti sumus? inter infimum, quo infra omnem creaturam eramus depressi, et inter summum, quo supra omnem naturæ creatæ excellentiam attollimur? inter statum inimici et filii charissimi? Sane negari non potest quin immensum sit horum statuum intervallum, cum gradus diversi ordinis (quorum proinde discrimen est incomparabile ac immensum) sint interjecti. Nam inter statum peccati et statum nudæ innocentisque naturæ est quoddam intervallum infinitum: pari modo inter statum innocentis naturæ humanæ et felicitatis angelicæ [naturalis]: denique inter statum angelicum et filiorum Dei. Tantum enim inter hos status discrimen, ut nulla bonorum ejusdem ordinis appositione ab inferiore ad superiorem perveniri et ascendi possit. (1.) Qui enim est in statu peccati mortiferi, etsi absque fine divitiis, honoribus, imperiis et regnis cumuletur, miserrimus est, nec unquam ei, qui in statu naturæ innocenter vivit, felicitate comparari poterit: peccati enim mortiferi malignitas nullis bonis opprimi potest, quin hominem vilissimum et infelicissimum faciat. (2.) Qui vero est in statu naturæ innocentis nunquam poterit ad perfectionem angelicam [naturalem] pertingere, etiamsi absque fine bonis humanis, quorum scilicet natura illius vi sua est capax, ut robore, agilitate, pulchritudine, sanitate, eloquentia, industria, experientia rerum,

artibus liberalibus, mechanicis, mathesi, astronomia, et omne genus scientiis augeatur. Tota enim naturæ humanæ perfectio, ad angelicam comparata, est instar nihili, et veluti punctum ad cœlorum immensitatem. (3.) Denique angelica perfectio [naturalis], etiamsi absque fine in suo ordine crescat, nunquam statum filiorum et gloriam ipsis præparatam æquabit. Ex quibus constat quam immensum sit intervallum inter statum illum e quo per misericordiam erepti et illum ad quem evecti sumus; ac proinde quam immensum fit beneficium istud adoptionis."

*24. Quoniam ex dictis, n. 21, qualitas illa, qua homo adoptatur in filium Dei et fit particeps divinæ naturæ, id efficit constituendo hominem similem Deo et quasi deificatum ("participat gratia deitatem, quia est imago expressa ad referendam deitatem, et in hac expressione et repræsentatione imaginis participatio deitatis consistit:" RIPALDA, 1, 6, d, 132, n. 102); quæritur in quo illa ipsa similitudo consistit? Respondet idem RIPALDA, n. 105, ad quæstionem, "Quænam prædicata deitatis gratia participet et sui conformitate referat?" "Ea arbitror esse, quæ bonitatem moralem Dei permanentem et radicalem constituunt, ratione cujus natura divina prona et potens est ad omnes et solas operationes moraliter bonas, et repugnans omnibus moraliter malis. Itaque gratia participat deitatem bonitate morali habituali et universali, naturæ propria, cui debita est virtus ad omnes et solas operationes moraliter bonas, et repugnat operatio moraliter mala; qua scilicet justus absolute et simpliciter bonus et sanctus moraliter constituitur." Allegat (n. 105) S. THOMAM ut huic doctrinæ faventem 1. 2. q. 110, a. 2. ad 2, et 3 p. q. 3, a. 4, ad 3. Argumenta etiam profert ex Scriptura, 2 Pet. i. 3, 4, et 1 Joan. iii. 9, et ex Patribus. Sed forsan dici potest

in textibus illis non significari ipsam participationem et similitudinem divinam, in quo formaliter consistit, sed tantum effectum ejus; et qualitatem istam justi animam mirifica quadam spirituali pulchritudine exornare, sed esse in se quid omnem nostrum sensum et cogitationem exsuperans, quod nec oculus vidit nec auris audivit, &c. Sed hæc de his sufficiant.

25. Dicitur *quinto*, "capax eliciendi opera meritoria vitæ æternæ." Ita enim gratia sanctificans elevat et dignificat hominem, ut positis aliis quibusdam conditionibus, opera ejus præmium illud vere et proprie mereant; prout late enarrabitur, d. 12.

26. *Sexto* denique dicitur, "ejusdemque (vitæ æternæ) hæres." Jus hoc hæreditatis sequitur ex adoptione seu in ea includitur, secundum verba S. Pauli, supra, n. 20, "*si* filius, *et* hæres." Hinc ipse status justitiæ, si homo in isto statu moriatur, per se et seposito merito bonorum operum, dat jus ad gloriam ut hæreditatem : si vero accedat meritum bonorum operum, exinde habetur jus ad augmentum illius gloriæ per modum meriti. Hinc infantes baptizati ante usum rationis adeptum morientes gloriam solo jure hæreditatis nansciscuntur: vid. d. 12, n. 75.

*27. His de natura gratiæ sanctificantis expositis, manent quæstiones quædam breviter solvendæ. *Quæritur* 1°, Utrum gratia hæc et charitas sint idem numero habitus, et ideo altera ab altera non distincta sit nisi *virtualiter;* an vero sint duo habitus *realiter* distincti? *Resp.* 1°. Certum est hæc duo in præsenti ordine semper conjungi, nec alteram ab altera ullo unquam casu separatam existere. 2°. Certum est habitum gratiæ esse realiter distinctum ab habitibus fidei et spei: hi enim sine illo haberi possunt, et sæpe habentur, nempe, in fidelibus peccatoribus. 3°.

"Quod non minus certum est de gratia sanctificante respectu moralium virtutum vel donorum: quia hæc omnia a charitate distinguuntur, etiam ex sententia omnium qui illa infundi docuerunt." SUAREZ, l. 6, c. 11, n. 1. His positis, 4°, responsio ad quæstionem prorsus incerta mihi esse videtur; aliis multis, præsertim Scotistis, negantibus ullam esse distinctionem realem inter ista duo; aliis, Thomistis præsertim, affirmantibus. Vid. argumenta pro utraque sententia breviter enarrata apud BULSAN. n. 450, fuse apud SUAREZ, c. 11–13.

*28. *Quæritur* 2°. An gratia habitualis possit divinitus componi cum peccato mortali: seu, alio sub conceptu, an gratia habitualis vi sua intrinseca necessario extinguat peccatum mortale? *Resp.* 1°. In ordine præsenti certum est ista nunquam componi, seu gratiam habitualem semper expellere peccatum. 2°. Omnino alia est illa quæstio de actu perfecti amoris Dei vel contritionis perfectæ, an ex natura sua et formaliter expellat peccatum? Cui responsio negativa communis est et mihi certa. Ut enim ait LESSIUS (de Perfectionibus Divinis, l. 13, n. 193: vid. et l. 12, n. 68), "in ratione honoris vel obsequii parum est Deo quod a creatura sua ametur: cum ipse ratione dignitatis suæ infinito amore et honore dignus sit et ratione beneficiorum suorum longe plura possit exigere. At indignissimum est si ab illa contemnatur, cum hoc infinite quodammodo illi bonitati et majestati repugnet. . . . . Unde unum contemptum pluris facit in ratione mali quam infinita obsequia creaturæ in ratione boni et honoris." Vid LUGO, de Poenitentia, d. 8, s. 4. 3°. Nec quæstio est de componendo actu charitatis cum ipso actu peccandi mortaliter, ita ut quis utrumque actum eodem tempore ponat: hoc enim manifesto implicat contradictionem. SUAREZ,

l. 7, c. 18, n. 3. Nec quæstio est 4°, an gratia sanctificans, ut sic seu reduplicative, possit componi cum statu peccati: hoc enim pariter implicat contradictionem. STRUGGL, q. 2, a. 2, n. 1. Sed 5°, quæstio est an gratia sanctificans, spectata materialiter et ut mera qualitas, possit, in alio ordine per omnipotentiam divinam, componi cum statu peccati aut actuali peccato; ita ut nec peccatum expelleret gratiam nec gratia peccatum?

*29. In hac quæstione solvenda scinduntur theologi, pluribus gravibus affirmantibus, pluribus gravibus negantibus. Sententiam affirmantem strenue propugnat LESSIUS, eamque ponit ut argumentum primarium in gratiam suæ doctrinæ de adoptione, supra memoratæ, n. 22. Præter graves auctores ex utraque parte, gravia sunt etiam argumenta. Mihi res valde incerta est: omnino autem placet annotatio RIPALDÆ, d. 132, n. 189:—"Indubitatum est mihi gratiam justificantem habere aliquam oppositionem ex natura rei (hoc est, ortam ex naturis ipsis rerum) cum actu peccati, prout moraliter includit malitiam ac injuriam gravem Dei. Hoc clare concluditur ex Trident. sess. 6, c. 7: post cujus decretum merito statuit SUAREZ temerarium esse gratiæ justificanti aliquam oppositionem ex natura rei cum peccato negare." Bene tamen addit:—"Adhuc tamen controverti potest, an hæc oppositio ex natura rei tanta sit, ut ad remissionem peccati non indigeatur novo favore Dei distincto ab infusione gratiæ."

*30. *Quæritur* 3°. In præsenti ordine nunquam remittitur peccatum mortale actuale, nisi positis quibusdam dispositionibus ex parte peccatoris: sed an ita se res habeat necessario, ut Deus non posset remittere peccatum sine ulla dispositione ex parte peccatoris? Hic iterum scinduntur theologi: multis, præsertim Scotistis, affirmantibus,

non paucis, præsertim Thomistis, negantibus; sed fundamenta sententiæ negantis (vid. v. g. apud BILLUART, d. 7, a. 2) mihi levia esse videntur, et quæ facile disjici possunt.

*31. 4°. Similis quæstio movetur de potentia Dei remittendi peccatum absque infusione gratiæ sanctificantis: et simile est inter theologos dissidium, omnibus Scotistis, ait HENNO (q. 5), cum plurimis Thomistis affirmantibus. Argumenta pro sententia negativa similiter mihi vana esse videntur.

*32. *Quæritur* 5°. An ad justificationem impii opus sit mora temporis? *Resp.* 1°. Si spectetur justificatio a suo initio ad finem, tunc dicendum est "ordinarie et quasi ex communi lege præparationem peccatoris ad justitiam per Dei vocationem et actus ipsius hominis cum successione temporis fieri; atque in ea hunc ordinem servari, quod mutatio incipit a divina vocatione et paulatim procedit ab imperfecto ad perfectum, donec consummetur ultima dispositio." SUAREZ, l. 8, c. 23, n. 3. At 2°, "dicendum est posse Deum totam hominis justificationem a prima vocatione usque ad infusionem gratiæ et remissionem peccati in uno instanti consummare. Ita docet D. Thomas (1. 2. q. 113, a. 10), ubi hunc modum justificationis miraculosum vocat, et censet fuisse Paulum hoc modo justificatum." *Idem*, ibid. n. 4.

*33. 3°. Si vero justificatio spectetur ut ipsa actualis translatio a statu peccati ad statum gratiæ, tunc dicendum eam, posita ultima dispositione, statim fieri, sine ulla mora temporis et uno instanti; et ita ut in eodem puncto temporis concomitanter fiant remissio peccati et infusio gratiæ. *Tempore* ergo remissio non est prior infusione, etsi, ut ait STRUGGL (q. 2, a. 1, n. 5), illa hac *naturâ* prior

est. In lapsu justi dicit idem (n. 7) "peccatum mortale esse naturâ prius destructione gratiæ, per modum causæ moralis demeritoriæ; non tamen per modum causæ gratiam physice destruentis."

*34. *Quæritur* 6°. An alia etiam dona simul cum gratia sanctificante in animam infundantur? *Resp.* 1°. Conc. Trid. sess. 6, cap. 7, hæc habet:—"In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et charitatem." Unde de fide esse videtur hæc tria in justificatione infundi: an vero de fide sit ea infundi ut habitus, vid. supra, n. 7, et SUAREZ, l. 6, c. 8, n. 15. Attamen, quoniam in peccatore fideli, etiam ante initium justificationis, infusæ permanenter et inhærenter extiterunt fides et spes; et quoniam in omnibus peccatoribus ad justificationem habendam ut dispositiones præviæ requiruntur; planum est Concilium nequaquam voluisse significare fidem et spem nonnisi in ipso instanti justificationis et simul tempore cum charitate infundi. Veram mentem Concilii bene explicat SUAREZ, l. 8, c. 23, n. 14:—"Particula *simul* non semper ad temporis durationem refertur, sed interdum significat tantum universalitatem seu collectionem [exempla profert ex Psalm. xiii. 3; lii. 4; Ecclesiastic. xviii. 1; Rom. vi. 5]. . . . Deinde mens et intentio Concilii non erat tractare an unus ex illis habitibus prius infundatur quam alius, sed solum quod justificatio non fiat sine omnibus illis: ergo hoc solum significavit per illam particulam *simul*."

*35. 2°. Hæc de virtutibus theologicis. Quod vero attinet ad virtutes morales, "dicendum est omnibus justis infundi quatuor virtutes cardinales cum omnibus partibus seu speciebus suis ejusdem ordinis cum ipsa gratia, ac sub-

inde supernaturales et per se infusas." SUAREZ, l. 6, c. 9, n. 7. Tantum vero abest ut hæc sententia, etsi (ut ait ANTOINE, c. 6, a. 6) "nunc communis omnium fere theologorum" sit ullomodo definita, ut sit tantum opinio theologica probabilior, quam quis, sine ulla nota, etiam temeritatis, rejicere potest. SUAREZ, ibid. n. 16. Notâ dignum est quod ibid. habet ANTOINE :—"Virtutes morales per se infusæ dant quidem facilitatem aliquam intrinsecam bene agendi, dando facultatem exercendi actus supernaturales. At non dant simpliciter agere facile, nec dant facilitatem extrinsecam et sensibilem, removendo scilicet impedimenta, quæ aut ex ignorantia aut ex concupiscentia aut ex malis habitibus proveniunt."

*36. Aliæ sunt quæstiones de quibus lectorem curiosum ad auctores remittimus. 7°. An justificatio peccatoris sit maximum opus Dei? 8°. An sit opus miraculosum? De his vid. SUAREZ, l. 7, c. 25: BILLUART, d. 7, a. 5. 9°. An possit gratia sanctificans *minui* (peccato enim mortali, eoque solo, tota *deperditur*)? De hac vid. S. THOMAM. 2. 2. q. 24, a. 10.

§ 2. *Errores Novatorum: Doctrina Catholica.*

Errores Novatorum.

37. Duplici modo exponi possunt errores isti: primo, varia systemata et sententias enarrando variarum sectarum et etiam insignium scriptorum, maxime hæresiarcharum, ut Lutheri, Calvini; singulis sectis et scriptoribus nominatim suas proprias doctrinas tribuendo. Sed, quoniam non solum plures sunt sectæ et auctores isti, inter se plus minus dissentientes, sed etiam membra ejusdem sectæ non

semper in omnibus conveniunt, et idem ipse scriptor (ut Lutherus: vid BROWNE, in Art. 11, sect. 1; NEWMAN, "Lectures on Justification," Lect. 2, n. 14, not.) sibi non semper constans est, quod in uno loco propugnat in alio deserens, quod hic satis clare profert illic prorsus obscurans; hinc, re perpensa, hunc modum, et molestum et in quibusdam adeo incertum, non esse sequendum censui.

38. Altero modo quem sequimur, recensentur varia capita errorum qui apud sectas et auctores Protestanticos conjunctim spectatos vigent; quorum errorum alii ab his alii ab illis, vel in toto vel in parte, vel simpliciter vel cum aliquo temperamento, accipiuntur. Duo sunt præcipua systemata, Lutheranum et Calvinisticum, quæ, quantumvis in aliis inter se discrepent, in hac materia de Justificatione quoad substantiam et, ut ita dicam, in fundamentalibus conveniunt. Systemata ista (quorum brevis et clara expositio videatur apud PERRONE, ex opere MOEHLERI contracta) in his regionibus valent maxime apud Presbyterianos et Methodistas et, in Ecclesia Constituta, apud Evangelicales.

39. Errores Novatorum de justificatione ad tres classes revocantur, prout respiciunt ipsam justificationis naturam et vim, vel prout respiciunt conditiones ad eam habendam prærequisitas, vel prout respiciunt qualitates ejus jam habitæ.

I. Secundum Novatores 1°, justificatio peccatoris, quod attinet ad remissionem peccatorum, est pure forensica. In ea nihil vere remittitur nisi sola poena peccati: ipsum peccatum manet, sed quasi tectum et non amplius imputatum. Deus peccatorem justificando non facit justum, sed pro justo reputat, justum vocat: eodem modo quo judex, reum exsolvendo, non facit eum insontem sed tan-

tum declarat esse pro insonte habendum, et pro insonte habet.

40. 2°. Similiter peccator sanctificatur non sanctitate propria et intrinseca, non per gratiam animæ ejus infusam eique inhærentem, sed per justitiam et merita Christi ab eo per fidem apprehensa (infra, n. 44) eique, loco suæ propriæ justitiæ, imputata. Non fit vere sanctus, sed pro sancto habetur: infra, n. 69, not. Uno verbo, justificatio in nonimputatione peccatorum consistit, sanctificatio in imputatione meritorum Christi. *Nota:* ista vocabula, *justificatio* et *sanctificatio*, adhibentur hic sensu diverso ab eo supra, n. 16, dato: sed hoc nihil refert ad expositionem doctrinæ.

41. II. 1°. Fides sola est dispositio seu conditio ad justificationem necessaria. Ad hanc non solum necessaria non sunt sed nihil conferunt spes, charitas, contritio aut quodvis aliud bonum opus: imo nocerent quatenus in iis poneretur vis aliqua aut meritum quodcumque ad justificationem habendam. Hæc doctrina de fide sola justificante tanti momenti a Luthero habita fuit, ut sit, secundum dictum ejus notum, *Articulus stantis aut cadentis ecclesiæ.*

42. 2°. Fides hæc justificans nequaquam fides est illa, virtus theologica, qua quis credit omnia revelata a Deo (quam quidam fidem historicam vocant); neque fides est qua quis credit promissiones Dei generales, toties in S. Scriptura declarates, de remissione peccatorum. Sed fides est specialis, seu potius personalis, qua quis credit hic et nunc sibi sua peccata non esse imputata: fides hæc est ergo fiducia, et quidem firma et certa, suæ propriæ justificationis hoc instanti habitæ. Hunc actum elicientes, seu potius hoc animi motu perculsi, præsertim in conventibus Methodistarum, quasi extra se rapti, altos sæpissime edunt

clamores, et etiam aliquando spasmis et convulsionibus agitantur. Vide excerpta ad calcem hujus disputationis data.

43. Scio quosdam scriptores Evangelicales doctiores, quasi tanto monstro erroris pudore affecti non ita clare et constanter hanc fiduciam personalem propugnant. Sed sine dubio communis et communissima est istarum sectarum doctrina.

44. 3°. Fiducia hæc nullomodo justificat, quasi habens aliquam dignitatem seu meritum quodcumque, intuitu cujus justificatio datur; sed justificat ut instrumentum (quasi manus) apprehendens suamque faciens justitiam Christi. "Justificamur *per* fidem, non *propter* fidem: neque enim majus est meritum in fide nostra quam in operibus nostris." HOOK, Church Dictionary, in voc. "Fides non justificat vel meritorie, vel per modum dispositionis, ut volunt Pontificii, sed organice et per modum apprehensionis, quatenus meritum Christi in verbo Evangelii oblatum complectitur." GERHARD, apud NEWMAN, Lect. 1, n. 2, not.[1]

45. "Animadvertendum est in systemate Novatorum fidem hanc seu fiduciam, quæ apprehendit misericordiam vel promissiones divinas tanquam organum et instrumentum, non esse *subjectivam* seu intrinsecam homini, nec ullam intrinsecam seu intimam relationem afferre inter hominem et Christum; sed esse solum *objectivam* et extrin-

[1] "The Church of England, and all the other Reformed Churches, make the Procuring cause of justification to be the extrinsic righteousness of Christ apprehended and appropriated by the instrumental hand of faith." FABER, Primitive Doctrine of Justification: preface, p. xix. xx.

secam, alioquin esset debilis et imperfecta; quod explicat Calvinus per similitudinem *ollæ fictilis, quæ in se recondit aurum.* Porro nulla est intrinseca relatio inter aurum et vas fictile; illud enim semper pretiosum est, istud semper vile. Sic Christus Jesus, apprehensus per fidem, est ipsa puritas, homo autem fidelis est impurus in mente et corde suo." PERRONE, n. 556.

46. III. Tres sunt justificationis sic habitæ proprietates præcipuæ. 1°. Omni sic justificato inest certitudo absoluta, firma, clara suæ justificationis et favoris apud Deum ("acceptance"); cui certitudini nulla se immiscet umbra timoris vel angoris. Et sic moriens eandem certitudinem habet se jamjam in cœlum esse recipiendum. Et hæc certitudo, qua quis credit se esse justificatum, revera certitudo fidei est, non minus ac certitudo qua quis credit v. g. Deum existere. Fundatur enim *tum* generali revelatione in S. Scriptura facta, qua Deus declaravit se peccatorem per istam fiduciam justificare; *tum* etiam speciali illuminatione et motione, ipso momento justificationis, menti divinitus immissa, quæ facit hominem ita credere, et quæ, si existeret, vera revelatio esset. Hinc, quoniam homo ista fiducia, eaque *sola* justificatur, tenetur omnis, ut justificetur, fiduciam et certitudinem illam habere: alioquin justificari non potest. 2°. Cum justitia ejusmodi non sit ejus propria, sed justitia Christi (in se semper eadem et immutata) ei imputata, æqualis est ergo justitia in omnibus. 3°. Lutherani tenent fidem justificantem amitti posse, eaque amissa, justitiam ipsam amitti; fide autem conservata, justitiam conservari, et ergo hoc solo peccato amissionis fidei (fiduciæ) deperdi. Calvinistæ tenent justificationem esse absolute inamissiblem, et solos ergo electos esse justificatos, et eâdem fiduciâ quâ quis credit

se esse justificatum etiam credendum esse se esse salvandum.

47. "Quo vero melius cognoscatur nexus harum proprietatum justificationis cum reliquis totius eorum systematis partibus, revocandum in mentem est totum negotium justificationis a Deo solo active peragi in homine, qui passivus est. Eadem porro ratione, qua Deus solus coepit justificationem, injiciendo in hominem fidem, qua apprehenditur misericordia aut justitia Christi imputativa, pergit Deus ipse in homine justificato credere, sperare, &c. quasi principium extrinsecum. Cum vero hæc justitia Christi apprehensa et imputativa non tollat ab homine nec destruat peccatum originale cum suis manifestationibus seu peccatis actualibus[1] pergit peccatum originale se manifestare; prout se pariter signis externis manifestat justitia imputativa homini communicata per fidem. . . . . Hinc duæ istæ manifestationes simul in uno eodemque homine lapso et justificato consistunt, summa nempe flagitia cum summa sanctitate: flagitia, quæ hominis sunt, nec tamen imputantur ad pœnam per [propter ?] fidem, quæ permanet; et sanctitas, quæ ex fide nascitur in homine justificato.

"Pronum propterea inde fuit inferre excellentiam, æqualitatem, inamissibilitatem justitiæ; quia justitia et sanctitas ipsius Christi est, quæ est ratio, ob quam Protestantes [plures] interdum se comparant non solum sanctis quibuslibet, sed et Beatæ Virgini et Christo ipsi.

"Pronum præterea ipsis fuit inferre, summa flagitia

[1] Secundum Novatores, "Peccatum originale constituit partem *essentialem* ipsius naturæ corruptæ," et "peccata actualia non sunt nisi manifestationes peccati originalis:" n. 472.

nullo modo officere sanctitati, cum non possint officere sanctitati aut justitiæ Christi. Inde rursum originem habet illa securitas, illa jucunditas, qua inter fornicationes, adulteria, homicidia, aliaque ejusmodi peccata lætantur Protestantes [plures], dummodo firmi in fide persistant juxta Lutherum, vel dommodo sint electi juxta Calvinum." PERRONE, n. 566.

Doctrina Catholica.

48. Doctrina hæc, forma tum affirmativa tum negativa, a Concilio Tridentino, in decreto et canonibus, Sess. 5 et 6, clarissime declaratur et definitur. Capita hujus doctrinæ hic pressius recensebimus. I. Quod attinet ad ipsam justificationis naturam et vim, 1°, In justificatione peccatoris peccata vere remittuntur et extinguuntur; ita ut justificatus non mere reputetur immunis a peccato, sed coram Deo immunis est. 2°. Peccator justificatur justitia et gratia ei a Deo infusa, eique inhærente et propria; et non ergo justitia Christi ei imputata.

49. II. Quod attinet ad conditiones justificationi antecedentes, 1°, Ad justificationem habendam, præter fidem, aliæ sunt necessariæ dispositiones, ut dolor de peccato admisso, &c. 2°. Fides quæ est dispositio ad justificationem (et inter dispositiones ordine prima, utpote "humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis:" Conc. Trid. Sess. 6, cap. 8) est virtus theologica, qua creduntur omnia a Deo revelata; non, ergo, inanis illa Novatorum fiducia: n. 42.

*50. Hæc de hoc capite doctrinæ, quatenus depellit errores hæreticorum. Pauca autem addenda sunt ad uberiorem doctrinæ expositionem. Opus non est notare

quæstionem hic esse de solis adultis: in parvulis enim justificandis (per baptismum fluminis aut sanguinis) nulla requiritur dispositio. Porro, dispositiones, præter fidem, necessariæ ad justificationem adulti non sunt omnes eædem in omni casu. 1°. Supponi potest adultus solum peccatum originale habens; vel 2°, cum originali habens etiam actualia peccata; vel 3°, baptizatus justificatus in sacramento; vel 4°, extra sacramentum. De dispositionibus, in singulis istis casibus, ad justificationem necessariis videantur tractatus de Sacramentis, de Baptismo et Poenitentia.

*51. Quæstio est hic de solis dispositionibus proximis. Dispositiones proximæ eæ sunt, quibus omnibus positis, statim et sine ulla alia dispositione infunditur justitia. Remotæ dispositiones sunt quæ aliquo modo præparant ad justificationem, quas tamen positas non sequitur ipsa justificatio. Hæ dispositiones sunt vel positivæ vel negativæ. Dispositionum proximarum singulæ sunt proximæ partialiter.

*52. Certum est 1°, peccatorem istis dispositionibus non merere justificationem de condigno: d. 12, n. 143. An vero 2°, mereat saltem de congruo? vid. ibid. n. 183.

53. III. Quoniam doctrina Catholica omnino et absolute rejicit istam Novatorum fiduciam, non solum ut nullomodo, nec adæquate se solam nec partialiter, disponentem ad justificationem, sed ut in se inanem et fictam, omnia igitur rejicit consectaria ex ea educta et in ea reposita. Affirmat ergo 1°, istam fiduciam et certitudinem non esse necessariam ad justificationem, et ideo non efficere partem operis justificationis (Conc. Trid. s. 6, can. 13). Affirmat 2°, istam certitudinem fidei de propria justificatione a nullo haberi posse (tantum abest ut necessaria sit ad justificationem), nisi (ut supponitur) per revelationem specialem et extraordinariam (ibid. cap. 9 in fine et cap. 16 in fine).

54. Prima propositio est de fide Catholica, ut patet ex damnatione oppositæ propositionis in isto canone:—"Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut eredat certo et absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis et indispositionis, peccata sibi esse remissa, anathema sit." Secunda propositio, secundum omnes, est saltem theologice certa, et opposita erronea. Cur autem quidam putant eam non esse rigorose de fide, et oppositam (quæ tribuitur Catharino) hæreticam, vid. apud SUAREZ, l. 9, c. 9, n. 23. Vid. et HERINCX, d. 5, q. 7. Quicquid autem tenuerit Catharinus de possibilitate hujus certitudinis (de quo vid. idem SUAREZ, ibid. n. 8, et c. 10, n. 2), certum est eum omnino immunem esse ab hæresi in canone Tridentino, ut supra, damnata. Verba capitis 9 allegati, n. 53, hæc sunt:—"Quilibet, dum seipsum suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest: cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum." Potest quis sane habere certitudinem fidei divinæ de sua justificatione, si Deus id ei clare revelaverit. Extra hunc casum, an possit justus interdum habere certitudinem moralem, et qualem, vid. apud SUAREZ, ibid. c. 11. De signis quibus hæc certitudo seu persuasio, qualiscumque sit, habetur, vid. infra, d. 12, n. 167, &c.

55. Sed ut ad declarationem doctrinæ Catholicæ revertamur, docet illa doctrina 3°, justitiam acceptam non esse æqualem in omnibus, utpote quæ augetur per bona opera: Conc. Trid. can. 24. Docet denique 4°, justitiam acceptam amitti posse, nempe, per peccatum mortale: ibid. can. 23.

Hac posita expositione errorum Novatorum et doctrinæ

Catholicæ, jam accedimus ad istam doctrinam, contra primam classem errorum (n. 40), in hac disputatione firmandam.

§ 3. *Probatur Doctrina Catholica de remissione peccatorum.*

56. PROPOSITIO I. *In justificatione peccatoris peccata vere remittuntur et extinguuntur.*

(Propositio formâ negativâ: In justificatione peccatoris peccata non remittuntur ficte et improprie, seu per non-imputationem.)

57. *Argumenta ex S. Scriptura.* ARGUMENTUM I. Ex iis locis in quibus diserte et ad literam affirmatur peccata deleri. (1). Dicuntur peccata *auferri, transferri, remitti, dimitti,* i. e. amoveri, abjici, ita ut non amplius sint in subjecto in quo antea existebant (infra, n. 66), et ideo prorsus extinguantur. "Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque transtulit peccatum tuum." 2 Reg. xii. 13. "Beati quorum remissæ sunt iniquitates . . . . et tu remisisti impietatem peccati mei." Psalm. xxxi. 1, 5. "Dixit [Jesus] paralytico: confide, fili, remittuntur tibi peccata tua." Matth. ix. 2. "Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi." Joan. i. 29. "Et hoc illis a me testamentum: cum abstulero peccata eorum." Rom. xi. 27. Similia alibi sæpius habentur in N. et V. Testamento, ut Psalm. cii. 12:—"Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras." Sane, si peccata a peccatore amoveantur et tollantur, non amplius in eo ullomodo, sive ut imputata sive ut non-imputata, esse possunt.

58. (2). Dicuntur peccata *deleri* et extingui expresse.

"Dele iniquitatem meam. . . . . Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele." Psalm. l. 3, 11. "Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me." Isai. xliii. 25. "Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua." Ibid. xliv. 22. "Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt, ... ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas." Dan. ix. 24. "Poenitemini igitur et convertimini, ut deleantur [εις το εξαλειφθηναι, Angl. "wiped out, destroyed utterly"] peccata vestra." Rom. iii. 19.

59. ARGUMENTUM II. Ex locis in quibus metaphorice et per similitudines significatur justificatio peccatoris, et quasi ob oculos per imaginem depictam ponitur: (1). Justificatio peccatoris sæpius exhibetur ut *lotio—mundatio—expurgatio.* Similitudo ista in hoc plane consistit—Sicut vas immundum (aut quævis alia res immunda, facies, manus, pannus, mensa, pavimentum, &c.) fit mundum, ita peccator, cujus peccata sunt quasi sordes et maculæ in anima ejus, fit justus. At vero vas immundum non mundatur, sordes et maculas tegendo, sed eas abstergendo et abluendo. Ita et peccator justificatur, non peccata ejus tegendo, sed ea penitus abstergendo. Sicut vas mundatum coram oculo mundantis est vere mundum, pariter ac si nunquam fuisset maculatum; ita peccator justificatus vere justus est coram Deo, et a peccato immunis, pariter ac si peccatum nunquam admisisset. Textus plures sunt in quibus hæc similitudo clarissime significatur: quosdam tantum hic afferre possumus. "Lavamini, mundi estote. . . . . Et venite, et arguite me dicit Dominus; si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt."

Isai. i. 16, 18. "Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me: et ab alienis [alienis hominibus, i. e. pravis] parce servo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: et emundabor a delicto maximo." Psalm. xviii. 13, 14. "Amplius lava me ab iniquitate mea: et a peccato meo munda me. . . . Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor," Psalm. l. 4, 9. "Exsurge, et baptizare, et ablue peccata tua." Act. xxii. 15. "Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ," &c. Ephes. v. 25, &c. "Sanguis Jesu Christi, . . . emundat nos ab omni peccato." 1 Joan. i. 7.

60. (2). Exhibentur justificati ut facti *novi homines*, quasi *iterum creati*, quasi quod antea fuerunt annihilatum fuisset, et loco ejus aliud novum creatum substitutum fuisset. Qui modus loquendi mutationem significat adeo veram, intrinsecam, absolutam et, quod attinet ad extinctionem peccati, omnimodam, cui aperte repugnat ista Novatorum mutatio mere extrinseca, et peccatorum mera nonimputatio. "Cor mundum crea in me, Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis." Psalm. l. 12. "Si quæ ergo in Christo [si quis sit in Christo regeneratus, is est] nova creatura, vetera transierunt, ecce nova sunt omnia." 2 Cor. v. 17. "In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet neque præputium, sed nova creatura." Galat. vi. 15. "Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum." Coloss. iii. 9.

61. (3). Præfato modo loquendi similis est alius secundum quem in Scriptura exhibetur peccatum ut *mors* animæ, et justificatio peccatoris ut ejus *vivificatio* seu revocatio ad vitam. "Cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos

[Deus] in Christo Jesu." Ephes. ii. 5. "Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit manet in morte." 1 Joan. iii. 14. "Qui habet Filium habet vitam: qui non habet Filium vitam non habet." Ibid. v. 12. Idem alibi sæpius variis modis significatur.

62. (4). Exhibetur in Scriptura status peccati ut status *servitutis*, quasi peccator mancipium esset, cui dominaretur peccatum, quemque constrictum teneret: justificatio autem exhibetur ut ab ista servitute *liberatio*. "Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia. . . . Gratias autem Deo, quod fuistis servi peccati, &c. . . . Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo." Rom. vi. 14, &c.

63. (5). Exhibetur in Scriptura status peccati ut status *tenebrarum*, status justitiæ ut status *lucis*, et justificatio peccatoris ut translatio a tenebris in lucem. "Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate." Ephes. v. 8. "Ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum," 1 Pet. ii. 9. Eadem similtudo alibi sæpius invenitur.

64. Si justificatio peccatoris non esset vera, realis, intrinseca, qua penitus extinguitur peccatum, falsa et fallaces essent hæ tres similitudines, quibus assimulatur ista justificatio transitui a morte in vitam, a servitute in libertatem, a tenebris in lucem.

Argumenta ex Patribus.

65. Sufficient sequentes tres loci insignes ex uno CHRYSOSTOMO desumpti.

Σφοδρα, . . . ἡ αγαπη γενομενη παντα των ἁμαρτηματων τα ειδη κατασβεννυσι και εξωθει. "Quæ vehemens fuerit charitas exstinguit et expellit omnes peccatorum species." Hom. 44, in 1 Cor. n. 3.

66. *Ουκ εστιν, ουκ εστιν ουδεν ἁμαρτημα, ὁ μη, καθαπερ πυρ, αναλισκει της αγαπης ἡ δυναμις. Ευκολωτερον γαρ φρυγανον ευτελες αντιστηναι πυρᾶ πολλῆ, η της ἁμαρτιας την φυσιν τῃ της αγαπης δυναμει.* "Non est, non est ullum peccatum, quod non, tanquam ignis, consumat vis caritatis et dilectionis. Facilius enim resistit vile sarmentum magno ignis rogo, quam natura peccati potestati caritatis." Hom. 4, in 1 Thess. n. 4.

67. *Λεπραν σωματος απαλλαττειν, μαλλον δε απαλλαττειν μεν ουδαμως, τους δε απαλλαγεντας δοκιμαζειν μονον, ειχον εξουσιαν ὁι των Ιουδαιων ἱερεις . . . . Ὁυτοι δε ου λεπραν σωματος, αλλ' ακαθαρσιαν ψυχης, ουκ απαλλαγεισαν δοκιμαζειν, αλλ' ἀπαλλάττειν πάντελως ελαβον εξουσιάν.* "Corporis lepram purgare, imo potius nullatenus purgare, sed purgatos probare tantum, Judæorum sacerdotibus licebat. . . . . Hi vero [Christianorum sacerdotes] non lepram corporis, sed immunditiam animæ, non purgatam probandi, sed prorsus purgandi potestatem acceperunt." De Sacerdotio, l. 3, c. 6 (n. 190).

§ 4. *Solvuntur Objectiones.*

68. *Object.* 1. "Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata: beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum." Psalm. xxxi. 1, 2. Textus hic integer profertur a S. Paulo, Rom. iv. 7, 8; et ex eo sic objicitur.

In primo quidem textûs membro significatur peccata

remitti; sed in sequentibus verbis significatur *modus* quo remittuntur, nempe, ea tegendo et non-imputando. 1°. Qui dicit aliquid esse tectum, eo ipso significat illud non esse extinctum, sed quasi occultatum. 2°. Dicendo culpam ei qui vere eam admisit non imputari, significatur ipsam culpam non remitti, sed tantum poenam ei debitam,

69. Confirmatur ex aliis locis, in quibus eadem doctrina eâdem verborum formâ significatur. "Universa delicta operit charitas." Prov. x. 12. "Charitas operit multitudinem peccatorum." 1 Pet. iv. 8. "Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum." 2 Cor. v. 19.

70. *Resp.* I. ad primam partem objectionis, ex eo quod dicitur peccata justificati *tecta* esse. 1°. Oculo Dei, cui omnia sunt aperta, nihil tegi potest. Locutio ergo quodam sensu improprio et translato intelligenda est: ut cum dicitur de Deo, Gen. vi. 6:—"*Poenituit* eum quod hominem fecisset in terra: et *tactus dolore cordis intrinsecus*," &c. Item, ibid. viii. 21:—"*Odoratus* est Dominus odorem suavitatis." Item, ibid. xi. 5:—"*Descendit* autem Dominus ut *videret* civitatem et turrim." Item et alibi sæpius. Sensus ergo textus est:—Sicut homo non videt quod ei tegitur, ita Deus non videt peccatum justificati. Quod autem Deus non videt non existit. Sic, non videt gratiam in damnatis, etsi olim gratia ornati fuerint: non videt peccatum in Sanctis, etsi olim peccato maculati fuerint.

71. 2°. Duplici modo potest aliquid tegi; *vel* ita ut conservetur, ornetur, occultetur, &c.—quomodo linteum tegit mensam, vestis hominem, lætamen agrum, larva faciem; *vel* ita ut lædatur aut destruatur—quomodo inundatio

fluminis tegit hortum, ignis involvens domum, liquor delens paginam scriptam. Sic, Job. xxi. 26 :—" Simul in pulvere dormient, et vermes operient eos." "Inimicos eorum operuit mare." Psalm. lxxvii. 53. Isto modo peccata justificati tegi patet ex argumentis allatis, n. 57, &c. Imo id in ipso textu objecto diserte significatur :— " quorum *remissæ* sunt [ἀφέθησαν] iniquitates," i. e. dimissæ, abjectæ (Angl. "sent away, got rid of"), et ergo non amplius in peccatore manentes.

72. Quod vero attinet ad textus ex Prov. x. et 1 Pet. iv. (n. 69), tantum abest ut nostram doctrinam infirment, ut eam valde firment et illustrent. Charitas enim vera et perfecta (quæ est charitas in textibus istis significata), et in S. Scriptura et in Patribus et in sermone et sensu fidelium et perpetuo, ut ignis repræsentatur—ignis urens, ardens, flagrans—adeo ut in ore omninm versatur dictum illud, "charitas ardens, inflammans," &c. Sensus ergo textuum plane hic est :—Sicut ignis quod operit et involvit consumit, ita et charitas operit peccata ea consumendo et delendo. Ad rem sunt verba Christi, Luc. vii. 47 :— "*Remittuntur* [αφεωνται] ei peccata multa, quoniam *dilexit* multum."

73. Satis vero patet usus Scripturæ de jam dictis, sive sermo sit de charitate Dei erga nos, sive de charitate ab ea in nobis excitata eique respondente. "Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio : lampades ejus lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam." Cant. viii. 6, 7. Item, Matt. iii. 11 ; xxiv. 12 : Luc xii. 49.

74. *Resp.* II. ad secundam partem objectionis, nempe, dicendo culpam ei qui vere eam admisit non imputari,

significatur ipsam culpam non remitti, sed tantum poenam culpæ debitam. 1°. Imprimis sedulo notandum est nec Græcum vocabulum (λογίζομαι) in textibus objectis, nec Latinum vocabulum ("imputo"), in quod vertitur, ullomodo significare id quod vocabulum "imputo," apud præsentes nostros adversarios, significat in locutionibus, "justitia imputata," "peccata non-imputata." Prior enim locutio significat justitiam alicui attributam, quæ in eo non est realiter; altera significat peccata alicui non attributa, quæ in eo tamen sunt realiter.[1] Sed inter plures sensus quos ista vocabula, sicut tot alia, habent, sensus iste nusquam invenitur. Statim ergo tota penitus corruit hæc objectio, nisi sensus iste in contextu significetur. Sed tantum abest ut in contextu ullo modo significetur, ut e contrario verba contextûs ei absolute repugnent, supra, n. 57, 71. Imo 2°, vocabulum ipsum λογίζομαι, in sensu suo primario et magis proprio, plane excludit interpretationem Calvinisticam. Sensus enim iste est *computo, numero* ("strictly of numerical calculation, *to count, reckon, calculate, compute.*" LIDDELL, in voc.). Unde quotiescunque sermo est in Scriptura de peccatis imputan-

[1] "Quum itaque nos Christi intercessione justificet Deus, non propriæ innocentiæ approbatione, sed justitiæ imputatione nos absolv it: ut *pro* justis in Christo *censeamur*, qui in nobis *non* sumus.' CALVIN, Inst. l. 3, c. 11, n. 3.

"Proprie autem loquendo dicitur aliquid alicui imputari quod ipse non fecit, quodve in ipso non est; et contra non imputari dicitur id quod aliquis fecit, quodve in ipso est." PISCATOR, de Justificatione, &c. apud O'BRIEN, Note N. p, 340.

"*Impute.* 1. To charge upon; to ascribe; to attribute, ... 2. (*Theol.*) To reckon, or set down, to the account of one what does not belong to him." WORCESTER, Dictionary.

dis aut non imputandis, videtur alludi ad librum judicii, de quo mentio fit in eadem Scriptura, et in quo bona et mala hominum opera scripta exhibentur, ut in Apoc, xx. 12 :—"Libri aperti sunt, et alius liber apertus est qui est vitæ : et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum." 3°. Quicquid dicitur de imputatione aut non imputatione inter homines, cum Deus, infinite sapiens, potens et verax, dicit se non amplius imputare peccatum admissum, eo ipso significat peccatum vere et omnino deletum esse.

75. Quod attinet ad confirmationem ex 1 Cor. v. 19 (n. 69), ex jam dictis, nihil est. Insuper, reconciliatio, de qua mentio fit in textu et alibi in eodem capite, reconciliatio vera et interna est.

76. *Object.* 2. Peccatum manet in justificatis. Ergo non remittitur vere sed tantum per non-imputationem. Antecedens probatur, Rom. v. 13 :—"Usque ad legem peccatum erat in mundo : peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset [Gr. peccatum autem non imputatur, lege non existente]."

77. *Resp.* Distinguo : Non imputabatur ab hominibus, ab ipsis peccantibus, i. e. non æstimabant tantam esse malitiam peccati, quanta est et quanta a lege declaratur : Concedo : Non imputabatur a Deo : Nego. Quoniam sermo ibi est de peccato non remisso, aut saltem *ut* non remisso, dici non potest id a Deo non imputari. Quod attinet ad Rom. vii. 17, ubi dicitur peccatum habitare in homine justo, sufficit notare per peccatum ibi, sicut et vers. 14, non significari ipsum peccatum formale sed fomitem peccati seu concupiscentiam, quæ, communi tropo, peccatum vocatur, quia incitat ad peccatum, et in nobis est effectus et poena peccati ab Adamo derivati.

78. *Object.* 3, Non vere delentur peccata, si nullus sit vere justus et purus coram Deo. Ita est: "Vere scio . . . . quod non justificetur homo compositus [Hebr. cum seu coram] Deo." Job, ix. 2; "Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens." Psalm. cxlii. 2. Item Job. ix. 19, 20, 30, 31; Isai. vi. 5; lxiv. 6; &c. G. S. FABER ("The Primitive Doctrine of Justification Investigated:" c. 5, § 3), qui, more tot doctorum Protestanticorum recentiorum, textus nudos projicit: vid infra, d. 10, n. 12.

79. *Resp.* Non justificatur homo, "nisi Deus gratuita miseratione culpis hominum ignoscat, eas remittendo: Concedo: Si remiserit: Nego. In his porro aliisque similibus textibus hoc solum Scriptura significat, neminem posse de propria justitia gloriari, (1) sive quia homines, si quam habent interiorem justitiam et sanctitatem, a Deo habent; (2) sive quia plerumque in ipsis pietatis operibus ac recte factis aliquid admisceant imperfectionis; (3) sive quia peccatis saltem levibus se commaculant; (4) sive demum per comparationem ad justitiam Dei incommutabilem atque essentialem, in cujus conspectu quævis justitia nostra penitus evanescit, ut lux lucernæ ad solis adventum." PERRONE, n. 499.

80. *Object.* 4. Vocabulum "justifico" (δικαιόω), non solum apud veteres Græcos, sed etiam in S. Scriptura, nunquam significat justum facere, sed tantum justum pronunciare seu declarare. Ergo peccator justificatus non vere et intrinsece justificatur, sed extrinsece tantum et modo forensi.

81. *Resp.* 1°. Distinguo antecedens quoad primam partem, seu quoad usum vocabuli apud Græcos (apud Latinos enim auctores profanos non invenitur verbum "justifico," sed "justus" tantum et "justitia"): Sig-

nificat aliquando declarare justum: Concedo: Nunquam significat etiam facere justam: Subdistinguo: Secundum sensum nostrum theologicum justificationis, nempe, remissione vera peccati coram Deo, et maxime per infusionem gratiæ habitualis: Concedo (quomodo enim in ore istorum veterum paganorum ullum verbum eas res significare potuit de quibus nihil unquam noverunt aut audierunt, quorum nullam habere potuerunt notionem ?): Secundum eorum ideam justi et justum faciendi, etsi adeo imperfectam et vitiosam, vocabulum nunquam significat vere justum et rectum facere, sed tantum declarare justum: Nego. "Δικαιόω: strictly *to make right.*" LIDDEL, in voc. Plura sane sunt vocabula, ut Deus, cœlum, fides, spes, charitas, gratia, &c., quæ apud istos veteres nequaquam ipsam rem adæquate spectatam significant, quam apud Christianos significant; num ergo rem ut ab iis conceptam non vere significarunt ?

82. 2°. Distinguo antecedens quoad secundam partem, nempe, quoad usum S. Scripturæ: Sæpe significat declarare justum: Concedo: Semper: Nego. "Ait enim Apostolus (Rom. viii.). 'Quos justificavit, hos et magnificavit.' Ibidem enim utitur verbis vivificandi, mortificandi, conglorificandi, quæ sunt omnino similia verbo justificandi. Nemo autem negaret magnificare esse magnum facere, vivificare vivum facere, mortificare mortuum facere, conglorificare gloriosum cum alio facere: cur igitur justificare non sit etiam justum facere ?" BELLARM. de justificatione, l. 2, c. 9: videantur alia exempla, ibid. c. 3. 3°. Esto vocabulum *δικαιόω*, per se, semper significare justum declarare, et ad literam verti debere non "justum facio" (justifico) sed "justum declaro" (ut contenderunt quidam Puseyitæ, doctrinam Calvanisticam de justificatione omnino

respuentes); consequentiam et consequens absolute nego. Deus est enim omniscius, omnipotens, infinite verax, qui peccatorem justificat—justum declarat. Qui ab eo vocatur justus, declaratur justus, eo ipso justus est. Homines, qui et falli et fallere possunt, et pronunciant secundum allegata et probata, justificant forensice, quia alio modo justificare non possunt. Justificant, quo modo possunt et quantum possunt, vere: ita et Deus.

83. Insuper, quod sedulo notandum est, in judiciis humanis reus, qui absolvitur et liberatus dimittitur, non absolvitur a crimine ab eo vere admisso, sed declaratur *innocens* esse criminis quo insimulatus est, et illud nunquam admisisse. Si ergo Deus absolvat peccatorem quo modo judex absolvit reum, absolvit declarando eum non fuisse peccatorem, non admisisse peccatum!

84. *Urgetur* 1. In judiciis humanis judex non *facit* hominem innocentem sed *declarat* eum esse innocentem. Ita et Deus justificando peccatorem non facit eum justum sed declarat esse justum.

85. *Resp.* Ex jam dictis patet actionem judicis absolventis (justificantis) et actionem Dei justificantis res esse omnino et toto cœlo diversas. Judicis enim nequaquam est absolvere a crimine admisso, sive quoad culpam (in qua nihil potest) sive quoad poenam. Munus ejus duplex est; 1°, explorare utrum, secundum allegata et probata, reus crimen quod ei attribuitur admiserit an non; 2°, si criminis convincatur, eum poena a lege statuta multare; si non convincatur, eum insontem ("not guilty") declarare et liberum dimittere. In justificatione peccatoris, cum peccator a Deo omniscio videtur esse peccator, et ut id compertum sit nulla opus est exploratione, non alia est justificatio nisi quæ apud Deum vera est: supra, n. 83.

86. *Urgetur* 2. S. Scriptura, in depingenda justificatione impii, utitur vocabulis forensibus, seu quæ de judiciis humanis adhiberi solent—judex, judicium, tribunal, testes, &c., ut Matth. v. 25; x. 15; Rom. ii. 15; xiv. 10; &c. Ergo significat justificationem impii esse mere forensem.

87. *Resp.* 1°. Nego antecedens. Sermo non est in illis textibus de justificatione peccatoris, sed de ejus damnatione, de judicio divino, &c. 2°. Concesso antecedente, Distinguo: Utitur istis in sensu metaphorico analogico: Concedo: In sensu literali: Nego. Certissimum enim est, et ex ipsa Scriptura manifestum, istas formas humanas non adhiberi sive in judiciis divinis sive in justificatione peccatoris: vide supra, n. 70 et PERRONE, n. 496.

§ 5. *Probatur Doctrina Catholica de formali justificatione peccatoris, seu de formali causa justificationis.*

88. PROPOSITIO II. *Peccatores vere et proprie justificantur, nempe, per gratiam in animis eorum diffusam, eisque intrinsecam et inhærentem.*

(Propositio forma negativa: Peccatores non justificantur ficte et improprie, seu per solam imputationem justitiæ Christi.)

89. *Argumenta ex S. Scriptura.* ARGUMENTUM I. Argumenta, quæ ad superiorem propositionem probandam a. n. 59 allata sunt, non minus clare et invicte et præsentem propositionem firmant. Etenim (1) sicut in vase sordido mundando non solum sordes exterguntur, sed candor et venustas ei afferuntur, non ut quædam ei externa et quasi per fictionem imputata, sed ei inhærentia,

intrinseca, intima; ita et anima peccatoris justificati in seipsam intrinsece et intime nitorem gratiæ recipit, et fit vere et proprie et in se candida, venusta, Deo grata. Hinc, in textibus n. 59 allatis, dicitur anima justificati quasi nix et super nivem et velut lana alba dealbari. Simili modo ex aliis similitudinibus argumentatur, in quibus justificatio peccatoris exhibetur (2) ut nova ejus creatio, (3) ut translatio a morte ad vitam, (4) a servitute ad libertatem, (5) a tenebris in lucem.

90. ARGUMENTUM II. Ex aliis pluribus textibus qui ad nostram propositionem firmandam proferri possent, unum tantum et alterum citabimus. "Charitas Dei diffusa est [Gr. effusa, εκκεχυται] in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis." Rom. v. 5. Sive ista charitas Dei directe significet charitatem Dei qua diligit nos, charitatem increatam, sive charitatem creatam quæ in nobis est erga Deum, sive utramque (tres enim illæ interpretationes auctores habent et antiquos et recentiores, vid. A. LAP.); planum est gratiam creatam ibi saltem connotari, quæ *in* cordibus justorum est, ibidem *per* S. Spiritum *effusa* seu *diffusa* (supra, n. 14); quod de justitia mere extrinseca et imputata nequaquam affirmari potest.

91. "Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiæ et donationis et justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita et per unius obeditionem, justi constituentur multi." Ibid. 17–19. Hic 1°, redit argumentum ex comparatione justificationis peccatoris cum revocatione mortui ad vitam. 2°. Ea est

antithesis posita inter effectum delicti Adami et effectum reparationis per Christum, et utriusque effectus collatio, quæ cum sola doctrina Catholica conciliari potest. Non solum enim quod intulit delictum abstulit reparatio, sed multo major fuit effectus reparationis effectu peccati. Quoniam ergo peccatum inhærenter et intrinsece maculat et foedat animam, justificatio effectu suo non major sed minor esset, si non inhærenter et intrinsece sed extrinsece et imputative tantum animam afficeret et adornaret. Hoc valde confirmatur ex vers. 19, ubi, eodem vocabulo adhibito, plane significatur non minus proprie et realiter justificationem suo modo animam tangere quam peccatum suo modo :—"Peccatores *constituti* sunt multi . . . . justi *constituentur* multi."

§ 6. *Solvuntur Objectiones.*

92. *Object.* 1. Contra præfatum argumentum, n. 91, olim objiciebatur (BELLARM. de Justif. l. 2, c. 3; SUAREZ, l. 7, c. 6, n. 13), et recentius a quodam Anglico sic objectum est. Propter antithesim in textu inter justificationem et condemnationem, qualis est hæc talis et illa est. Atqui condemnatio non facit hominem nocentem sed, hoc supposito, declarat eum esse nocentem. Ergo et justificatio non facit justum sed declarat, &c.

93. *Resp.* Transeat major. Ad minorem. 1°. Ergo sicut condemnatio declarat hominem esse nocentem, non ficte et extrinsece, sed vere et intrinsece, ita et justificatio declarat hominem esse vere et intrinsece justum. 2°. Nego condemnationem, sut sic, declarare hominem esse nocentem. Ante condemnationem enim declarari debet nocens, v. g., ut apud nos, per sententiam juratorum: et,

hoc supposito, munus judicis est poenam in eum statuere, et in hoc est condemnatio. Sicut ergo sententia damnationis facit nocentem vere et intrinsece obnoxium poenæ, ita et justificatio facit eum vere et intrinsece justum.

94. *Object.* 2. Justificatio in sola remissione (non-imputatione) peccatorum consistit.[1] Ergo non datur illa gratia justificans intrinseca et inhærens. Antecedens probatur ex variis locis S. Scripturæ :—"Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi :" Joan. i. 29 : "Qui traditus est propter delicta nostra:" Rom. iv. 25 ; &c., &c.

95. *Resp.* Frequens est apud auctores Protestanticos hoc genus objectionum, quæ tamen valde ineptæ et absurdæ sunt. In textibus objectis solummodo memoratur remissio peccatorum ut finis et effectus incarnationis et passionis Christi. Ergo alii non sunt fines aut effectus, etsi in aliis textibus diserte memorati, ut supra, n. 89, 90!!! Deletio autem et remissio peccati adeo crebro et graviter per se memoratur ; quia peccatum est id quod solum totius h mani generis ruinam in suo capite effecit, quod ei tot bona cœlestia eripuit ; ad quod delendum imprimis et ante omnia venit Filius Dei in hunc mundum ; quo deleto, homini lapso redduntur cumulate, secundum decretum divinum, ea omniæ quæ in bonis ereptis pretiosissima sunt; quo non deleto, homo in sua summa miseria demersus mansisset in æternum. Peccatum est primum malorum, et omnium

[1] In scriptis de justificatione volvendis auctorum recentium Anglicorum Protestantium, eorum præsertim qui ex Ecclesia Constituta sunt, sensum in exponendis sententiis haud raro valde suspensum et obscurum inveni, ut nil dicam de apertis repugnantiis. Ne putet ergo lector sententias quæ in objectionibus significantur esse omnes communes Protestantium : aliæ enim sunt hujus sectæ, aliæ illius, aliæ plurium, aliæ omnium.

fons malorum: extinctio peccati est primum bonum, et omnium fons bonorum. Mirum ergo non est ut de hac extinctione sola, cum sermo fit de reparatione generis humani, aliis suppositis, adeo frequenter et significanter mentio sit. Vid. quæ infra dicuntur, d. 10, n. 56, &c. de simili mentione fidei ut dispositionis ad justificationem.

96. *Object.* 3. Eodem modo gratia justificans afficit animam quo vestis afficit corpus. Atqui vestis afficit corpus non intrinsece et inhærenter sed prorsus extrinsece. Major probatur ex variis locis Scripturæ, in quibus ista similitudo analogica clare significatur. "Sacerdotes tui induantur justitiam:" Psalm. cxxxi. 9: "Induimini Dominum Jesum Christum:" Rom. xiii. 14; &c.

97. *Resp.* 1°. Distinguo majorem: Eodem, seu potius simili, modo, in iis capitibus in quibus intenditur et ponitur similitudo: Concedo: In aliis aut in omnibus capitibus: Nego, secundum regulam similitudinum et metaphorarum notissimam, et toties a nobis, forsan usque ad nauseam, enarratam. 2°. Distinguo minorem: Vestis est corpori quod tegit extrinsecum, i. e. non est pars illius corporis, nec ei essentialiter conjuncta sed tantum accidentaliter, ita ut vestitus eam quando velit sibi exuere potest: Concedo: Corpus non afficit inhærenter et intrinsece: Nego: Corpus enim calefacit et calidum censervat calores per singulas ejus particulas penitissime immittendo. 3°. Sed hoc ex usu Scripturæ in luce clarissimo ponitur. "Dominus regnavit, decorem indutus est: indntus est Dominus fortitudinem:" Psalm. xcii. 1; "Induit maledictionem sicut vestimentum: et intravit sicut aqua in interiora ejus, et sicut oleum in ossibus ejus. Fiat ei sicut vestimentum quo operitur:" Psalm. cviii. 18, 19.

Quæ in illis locis per similitudinem vestium significantur valde intrinseca sunt—decor et fortitudo Dei, peccatum Judæ. Vid. etiam Ecclic. xiii. 1; Isai. l. 3; li. 9; lii. 1.

98. *Object.* 4. Diserte in Scriptura affirmatur nos justos esse, non ex nostra justitia nobis inhærente, sed ex justitia Christi, nobis utique imputata:—"Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia et sanctificatio et redemptio:" 1 Cor. i. 30.

99. *Resp.* "I°. Ergo sic Christi redemptio activa (hanc enim addit Apostolus) nobis imputabitur, ac consequenter erimus nos redemptores nostri, quod est absurdum. 2°. Sapientia nobis inhæret et fides, ergo et justitia: eodem enim modo ait Apostolus Christum factum esse nobis justitiam et sapientiam." A LAPIDE, in loc. 3°. "Distinguo: Christus factus est nobis justificatio efficienter et meritorie: Concedo: Formaliter: Nego. Metonymice hic siquidem, ut alibi passim, effectus pro causa." PERRONE, n. 509. Exempla hujus usus loquendi ex S. Scriptura indicat BELLARM. l. 2, c. 10: ut cum dicitur Deus fortitudo nostra, illuminatio nostro, salus nostra, patientia nostra (Psalm. xvii. 2; xxvi. 1; lxx. 5); utpote qui nos fortes facit, illuminatos, salvos, patientes. Modus ille loquendi, apud omnes gentes valde communis, adhibetur ad gravius et significantius indicandam vim efficacem causæ in effectu efficiendo. Eo autem duo semper significantur. Sic, si dicitur "Petrus erit Joannis mors, ruina, salus," &c., 1°, significatur Joannem esse moriturum, perdendum, salvandum, &c. et id non ficte et imputative sed vere et proprie; 2°, Petrum futurum esse causam illius mortis, ruinæ, salutis, &c.

100. *Urgetur* 1, ex 2 Cor. v. 21:—"Eum, qui non noverat peccatum, peccatum pro nobis fecit, ut nos efficere-

mur justitia Dei in ipso." Eodem modo nos justitia (justi) efficimur, quo Christus peccatum (peccator) factus est. Christus autem factus est peccator extrinsece tantum et im-putative,

101. *Resp.* Nego majorem. 1°. Ab omnibus admittitur, et centies in Scriptura variis modis declaratur, Christum fuisse innocentiam ipsam, et ergo nonnisi imputative vocari posse peccatorem, utpote peccata nostra ferentem. Jam-vero probatum est nos non imputative sed vere et proprie justificari. Ergo sensus textûs in majori datus falsus est. 2°. Sicut Christus, qui vere non fuit peccator ("qui non noverat peccatum"), factus est peccator imputative; ita nos, qui vere peccatores sumus et novimus peccatum, vere justificamur et non imputative. 3°. Quid definite per vocabulum "peccatum" in isto inciso significetur non convenit inter auctores. Communior, ut puto, sententia affirmat per peccatum significari hostiam pro peccato.

102. *Urgetur* 2, ex Philipp. iii. 9:—"Et inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Jesu, quæ ex Deo est justitia in fide." Ergo justitia, qua S. Paulus justus erat, non erat sua propria, ei inhærens ("non meam"), sed ei extrin-seca, justitia Christi.

103. *Resp.* 1°. Distinguo: Non habens justitiam meis viribus acquisitam, qualis est justitia ex lege seu legalis ("meam justitiam, *quæ ex lege est*"), quæ mere externa est: Concedo: Non habens justitiam quæ oritur ex fide, quæ mihi data est a Deo per Christum, et hoc sensu mea est: Nego. 2°. Justitiam quamdam habuit S. Paulus: non habuit justitiam externam, qualis est justitia legalis: habuit ergo internam.

APPENDIX.

Excerpta quædam ex scriptis Anglicis Protestanticis recentioribus, quibus illustrentur doctrinæ Protestanticæ in hac et duabus sequentibus disputationibus memoratæ.

---

104. Adamus Averell (1754–1847), triginta fere annos ante obitum, loco primus fuit inter Methodistas Hiberniæ. "Memoir of the Life and Labours of the Rev. Adam Averell, for nearly thirty years President of the Primitive Wesleyan Methodist Conference. Dublin: 1848."

"As I found two of Mr. Swanton's daughters under conviction for sin, I spoke of Jacob's wrestling with the angel; and afterwards, during tea, while we continued the subject, the Lord opened the heart of one of them, Ann, to attend to the things which were spoken, and brought her into the glorious liberty of his children. The other, Susan, after a night of wrestling in prayer, was at daybreak enabled to rejoice in the assurance of the Divine favour." Cap. 8, p. 179 (an. 1797).

"I preached at brother Talbot's to a sweet, loving, holy people. . . . . Here [in another place], also, the Lord blessed his word. and gave the people sweet meltings of heart." Cap. 11, p. 230–1 (an. 1799).

"I reached Newry the day of the quarterly meeting, which began at one o'clock, where was an extraordinary outpouring of the Spirit of God. The cries of the broken-

hearted became so great and so general, that we had to turn our meeting into one exclusively for prayer. . . . . The meeting continued until ten o'clock ; and, as well as could be ascertained, upwards of thirty individuals were brought into the glorious liberty of the children of God." Ibid. p. 237.

"He [William Lodge] knew that an assurance of his acceptance with God, and that alone, could make him happy, and this was the sole object of his seeking." Ibid. p. 240.

"In Bandon, at a prayer-meeting, after preaching, the Lord's presence was graciously manifested. The meeting continued two hours, during which six penitents were brought into the liberty of the children of God. . . . . At the prayer-meeting [next day] no language could describe the effects produced by the mighty operations of God's Spirit amongst us. The cries of the broken-hearted were extraordinary, and were heard at a considerable distance. Others were differently though perhaps not less deeply affected: many groaned in spirit. . . . . The inhabitants of the town were so alarmed by the noise, that numbers, amongst whom were some officers of the army, came to the preaching-house to see what was the matter. These persons appeared lost in astonishment at the scene that presented itself. In one part of the house some were singing, in another they were praying, and elsewhere others were exhorting; some were prostrate on the floor, crying aloud for mercy; and others with ecstatic joy praising Him who had set their captive souls at liberty. . . . . On this memorable occasion about thirty precious souls were made partakers of the pardoning love of God. . . . . At the close of the meeting twenty-seven persons

publicly testified that they had obtained a sense of their acceptance with God." Ibid. p. 245–7 (an. 1800).

"We next visited Dunmanway, ... but none professed conversion. . . . . In Baltimore, ... six were enabled to believe for the salvation of their souls. . . . . Crossing Skibbereen river by a boat, we went to Ardallagh, where . . . . ten persons joyfully testified that God, for Christ's sake, had blotted out their sins. . . . . On Monday we went to Ballydehob. . . . . During the sermon, the cry for mercy became so general that we could not have a love-feast. . . . . Such were the cries of the people, that the ground seemed to shake under us." Ibid. p. 248–50.

"At Fivemiletown God opened heaven's capacious windows, and let down a mighty influence upon the congregation. . . . At Pettigo eight souls professed to be born of God. At Ballyshannon, next day, in the love-feast which succeeded the sermon, six persons were made happy in the assurance of the Divine favour. At Ballintra not more than three or four persons had an opportunity of telling their experience; but those who did speak were witnesses of perfect love, and God honoured their testimony. While they spoke, the Lord descended, and the mountains flowed down at his presence. . . . . Not less than thirty souls obtained peace with God." Ibid. p. 254–5.

"Preached in Clones to crowded audiences: much power accompanied the word, and many hearts were melted down before the Lord. We have a sweet loving society in this town." Cap. 16, p. 345 (an. 1812).[1]

[1] "In the year 1813, ... having made choice of Clones [as a permanent dwelling-place], he took a large farm in its immediate

Of a certain leading Methodist it is written:—"The morning he died . . . . he said, 'Satan has thrust sore at me; but every doubt is removed, the pleasant land is in view. . . . I see a Wesley, a Fletcher, a Brooke, as if waiting to conduct me.'" Cap. 17, p. 371 (an. 1819).

In the narrative of Mr. Averell's own death it is written:—"He died as he lived. . . . . His soul was kept in perfect peace. The slightest shadow of doubt or anxiety as to his eternal blessedness never crossed his mind. . . . . Mr. F. Fitzgerald, to whom he was greatly attached, frequently visited him during his illness. . . . His last words on the occasion [of their last interview] were, 'Glory! Glory!'" Cap. 19, p. 426–7 (an. 1847).

105. EDVARDUS BICKERSTETH (1786–1850) minister erat Ecclesiæ Constitutæ in Anglia et ibidem cujusdam paroeciæ rector, et inter præcipua membra sectæ Evangelicalis insignior. Ejus vita scripta est a genero suo, et ipso in eadem Ecclesia ministro et rectore ("Memoir of Rev. Edward Bickersteth, late rector of Watton Herts. By the Rev. T. R. Birks, M. A., rector of Kelshall, Herts. Second edition. London, 1852"). De Edvardo isto moribundo hæc, inter alia similia, narrantur.

"When some severe remedies were applied, he said—'These are fiery serpents: I wonder the Papists have never used them for instruments of torture, to extort confessions.' . . . Then to his daughter, who was nursing him—'You have a very angelic office, my child, ministering to an heir of salvation.'" Vol. II., p. 454–5.

vicinity, whither, in the beginning of the year, he removed, and on which he erected a commodious mansion, named Mount Salem [in which he lived till his death]." P. 352.

106. Pauca alia ex aliis testimoniis, quorum tot habemus præ manibus, proferemus. ISAAC SEPTIMUS NULLIS (1828-1865), Anglus, prædicator erat Methodisticus ("Methodist preacher"), famæ inter suos non mediocris, qui non semel hanc nostram Hiberniam invisit, et in variis locis, magno eorundem plausu, prædicabat. Sequentia ex ejus diariis, editis an. 1870, deliguntur.

"Sabbath, March 31st, 1850.—Joined Nanny Street's class in the morning, and felt a great deal at the prayer meeting at Nanny's in the evening, but was disappointed in not finding the Lord. When at home, however, before retiring to rest, found Him in my heart, through believing, was quite set at liberty. . . . So clear was the manifestation of the Divine favour to my soul, that I could as easily doubt my existence as my acceptance with God." P. 5.

Hoc factum est tempore suæ (ut vocant) conversionis ("acceptance—conviction of sin—obtaining liberty—being set at liberty," &c.) En exemplum supra dictorum, n. 42, 46.

"Monday, May 13, 1850.—Tea meeting at our house: the work went on, and I think fourteen professed to be brought in: a tremendous trembling came on the people. . . . . May 26. Brother C. Moss preached. My soul was filled to the brim: asked the Lord to stop, I could hold no more. . . . . August 4. Went to North Morton Camp Meeting. Before the meeting closed, eight grown persons and four children professed to find the Lord. . . . August 29. Heard Mr. Holiday preach; felt the glory. . . . December 31. At a Watch Night at Mrs. Alsworth's, at Ensham. Mrs. Alsworth seemed entirely lost in the glory." P. 9-12.

1851. "Jan. 3. Left Ensham. O what a ten days I have spent there. 'Twas glory, glory, glory all the time: felt such meltings nearly all day. . . . Jan. 12. Brother

George Smith came home with me from chapel. Just as dinner was over, I said, I believe Jesus died for me; don't you, George?' 'Yes,' was the reply. 'Don't you, Maria?' (our servant). 'Yes,' she said. I said, 'I believe my sins are pardoned; don't you, George?' 'Yes.' 'Don't you, Maria?' No reply. I said, 'Let us pray.' We knelt down and prayed—got into the conflict: after an hour and a-half hard fighting, deliverance came; she believed and was filled with joy and peace, filled full of heavenly influence. We did shout. A young man came in weeping, and said he felt the glory out in the road, so that he was constrained to come in. . . . . May 19. Tea Meeting at our house. Souls were in distress, and fell flat on the floor in every part of the house. One poor soul fell in the parlour about 10 o'clock, p. m,, and continued till 1 o'clock, p. m. Several were converted," P. 13–18.

1852. "July 26. The woman I visited on the 18th, died on the 24th, crying out, 'Jesus is coming to fetch me.' On the 20th, which was the last time I visited her, she said, 'I have not any doubt on my mind but I shall go to heaven.'"

1855. "March 31. Saturday night, quarter past eleven. Five years ago this night, about a quarter of an hour later than this my name was written in heaven: it has been there ever since; it is there now. . . . April 8. The prayer meeting was mighty. At its close I desired those who had found pardon that night to hold up their hands: about nineteen or twenty held them up; some were boys about twelve or fourteen years old. David Stoner was saved at twelve years of age." P. 48–51.

Hæc sufficiant: totum illud opus in singulis fere paginis (quarum sunt altra 300) ejusmodi insaniis scatet. Ut

autem non omnino prætermittantur facta et scripta in nostra hac Hibernia, sequentia specimina exscribo.

1862. "June 22. One soul saved at Drumakelly. July 31. Left Lurgan on July 1st, and Portadown on the 2nd. Attended the great Camp Meeting at Enniskillen: slept eleven nights on the Camp ground. On the last Sabbath alone, the secretaries took the names of one hundred and fifty-eight persons, who had either been pardoned or sanctified. . . . . 1863. August 29. Came to Newtownbutler. Several mourners were comforted. September 3. A very blessed meeting in the town-hall, and seven or eight seeking the Lord. . . . Sept. 16. Preached in Brookborough: seven or eight crying for mercy. . . . . Oct. 2. Came to Clones yesterday, and preached. None came forward, but there seemed an earnest longing for good. The chapel here is the very one, unaltered, in which Mr. Wesley preached. . . . 1864. August 8. After we closed the special services at Clabby, a few meetings were held in Clones, with good results. A Miss A. [Armstrong], who has recently opened a boarding school, came forward to be prayed for, and found peace. Some of her pupils followed her example. I called next day to inquire how matters were. Miss A. said, 'Oh, Mr. Nullis, we had *such* a meeting at home last night. I prayed with the girls, and they were all either praying for others or crying for mercy on their own account. After a time I left them, but had not long retired before one of them came to my room, saying, 'We are all saved but Emily:' and, when I looked in upon them, they were hanging on Emily's neck, saying, 'Only believe! only believe! Mr. Nullis said, it was only to believe.' Thus they continued till nearly two o'clock in the morning." P. 246, 261, 267, 272, 290.

DISPUTATIO DECIMA.

DE CONDITIONIBUS SEU DISPOSITIONIBUS AD JUSTIFICATIONEM.

1. Satis supra, d. 9, n. 41, &c. n. 49, exposita sunt systemata novatorum et doctrina Catholica de conditionibus istis. In hac ergo disputatione nihil aliud agendum habemus nisi ut hæc doctrina argumentis firmetur.

§ 1 *Probatur Doctrina Catholica de Natura Fidei Justificantis.*

2. Propositio I. *Fides, quæ conditio est ad justificationem sola virtus theologica est qua creduntur omnia revelata a Deo:* et ergo non illa fiducia propriæ justificationis.

3. *Argumenta ex S. Scriptura.* Probatur propositio ostendendo in omni loco, in quo memoratur fides ut conditio ad justificationem, semper significari fidem illam, virtutem theologicam; in nullo autem loco memorari istam fiduciam ut conditionem seu dispositionem ad justificationem. Secunda pars sequitur ex priori: per se autem et directe probatur in objectionibus solvendis—in vero sensu textuum enarrando qui in contrarium proferuntur.

Argumentum I. "Euntes in mundum universum, prædicate evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et

baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur." Marc. xvi. 15, 16. Sermo est hic de fide quæ est conditio seu dispositio ad justificationem. Fides autem, de qua hic sermo est, fides est qua creduntur omnia revelata a Deo, nequaquam fiducia propriæ justificationis. Major probatur. 1°. "Qui crediderit, salvus est." Hac forma verborum, ex usu loquendi universali, significatur fidem esse conditionem (causam, dispositionem, medium) ad salutem habendam (hic inchoatam in justificatione, posthac consummandam in gloria). Exempla sunt innumera in Scriptura et extra:—Qui bibit extinguit sitim—qui studio incumbit fiet doctus—" qui petit accipit, et qui quærit invenit" (Matth. vii. 8)—" qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur" (Luc. xviii. 14). 2°. Idem forma negativa significantius declaratur:—"Qui non crediderit condemnabitur." Ejus qui non bibit sitis non extinguetur—qui studio non incumbit doctus non erit—" si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis (Luc. xiii. 5).

4. Probatur minor. "Prædicate evangelium—qui crediderit." Qui crediderit quid? Qui crediderit sua sibi peccata remitti, non imputari—qui fiduciam habuerit suæ justificationis? Minime: sed qui crediderit evangelium sibi prædicatum, et ut credatur sibi sic propositum. Quicquid autem hic illic per evangelium tropice significetur, manifestum est in hoc loco significari religionem Christianam, corpus dogmatum et officiorum a Christo revelatorum (conf. Matth. xxviii. 19, 20), universo mundo, cum motivis credibilitatis, prædicandum. Ita huic muneri satisfecit Petrus, ita Paulus, ita Philippus, Act. ii. 14, &c. xiii. 16, &c. viii. 27, &c.

5. Argumentum II. "Quia vidisti me, Thoma, credi-

disti: beati qui non viderunt, et crediderunt." Joan. xx. 29. Similis est forma argumenti. Sermonem hic esse de fide justificante evidens est:—"beati qui crediderunt." Significatur enim istud "crediderunt" rationem esse illius "beati," ut in exemplis supra datis, n. 3. Qui crediderunt quid? Plane quod hic credidit Thomas. Quid vero credidit ille? Se hic et nunc justificatum esse? Minime: sed id quod antea noluit credere ("Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, &c. non credam:" vers. 25), et quod, viso Domino, vere credidit, nempe, Christum resurrexisse a mortuis et ergo esse verum Deum ("Dominus meus et Deus meus:" vers. 28), et ergo, implicite, omnia ab eo facta et dicta divina esse.

6. ARGUMENTUM III. Ex vers. 30, 31 ejusdem capitis Joannis immediate subsequentibus aliud distinctum simile argumentum eruitur. "Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus, Filius Dei, et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus." En fides justificans ("ut credentes, vitam habeatis"), fides quæ ducit ad vitam. Fides autem hæc ea est qua creditur veritas miraculis Christi firmata, nempe, eum esse Filium Dei; qua ergo creduntur omnia ab eo revelata. Non sane miraculis Christi firmatur ista propriæ justificationis fiducia.

7. ARGUMENTUM IV. "Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam." Rom. x. 9, 10. Hic rursum fides quæ disponit ad justificationem eodem modo clarissime significatur, et etiam diserte—"creditur ad justitiam." Solum hic dogma de resurrectione Christi memoratur, quia (inter

alia), hoc credito, eo ipso creditur divina ejus missio, ejus divinitas et cetera omnia quæ fecit et docuit.

8. Opus non est plures textus proferre. Videantur alia argumenta apud BELLARM. de Justif, l. 1, c. 6, &c. SUAREZ, l. 8, c. 16; BECAN. Manuale, l. 1, c. 16, q. 5.

§ 2. *Solvuntur Objectiones.*

9. Anno 1833 editum est opus insigne de natura et effectibus fidei justificantis, auctore JACOBO THOMA O'BRIEN, Socio Collegii SS. Trinitatis, Dublinii, et Theologiæ Lectore, post annos aliquot (1842) creato Episcopo Protestantico Ossoriensi in Hibernia. Anno 1862 prodiit in lucem editio ejusdem operis altera; eamque anno insequenti, 1863, excepit editio tertia.[1] In isto opere duas doctrinas, quæ in præsenti et sequente propositione nostra negantur, strenue et magno argumentorum apparatu propugnat auctor, et vetera expolita proferens, et ex propriis educens. Argumentis illis responsa opposui in commentariolo Anglice scripto et in Revisione Dubliniensi edito ("Doctor O'Brien on Justifying Faith: its Nature and Effects." *Dublin Review*, October, 1868). Nonnisi delecta quædam ex his argumentis et responsis, et, quod attinet ad responsa mea, valde contracta et deminuta, hic proferre possum. Id minus dolendum est, quoniam omnia argumenta ad duo capita revocari possunt et debent, ut jam videbitur.

[1] "*An Attempt to Explain and Establish the Doctrine of Justification by Faith Only*, in ten sermons upon the Nature and the Effects of Faith, preached in the Chapel of Trinity College, Dublin. By JAMES THOMAS O'BRIEN, D.D., &c. Third edition. 1863" (pp. 496. Ipsæ conciones paginas 249 occupant ceteras notæ).

10. *Object.* 1. In omnibus locis Scripturæ, in quibus mentio fit fidei justificantis, vocabulum *fides* (πιστις) significat "fiduciam," et verbum *credo* (πιστευω) significat "confido, fiduciam habeo." Ergo fides justificans est fiducia.

11. *Resp.* Nego antecedens omnino et absolute. Dato antecedente, Distinguo consequens: Ergo fides justificans est fiducia Protestantica, fiducia propriæ justificationis, fiducia qua quis credit se justificari, et id quo justificatur: Nego: In paucis quibusdam textibus vocabulum fides significat fiduciam, aliquo alio sensu: Transeat, utpote, in præsens, ad rem non pertinens: infra, n. 18.

12. Quoad antecedens, plures textus, ab auctore memorato et ab aliis, nudi et nulla aut fere nulla explicatione seu enodatione apposita, congesti sunt; quasi ipsis verbis clare et manifesto significaretur sensus Protestanticus—quod quidem non semel diserte affirmat O'BRIEN. Istos omnes textus exscribere et excutere opus esset tædii intolerabilis plenum. Unum et alterum dabimus, qui ut graviores ab adversariis habentur. Ceteri accommodando responsa jam tradenda facile enodari possunt, vel, ut plurimum, simpliciter neganda interpretatione Protestantica, utpote prorsus vana et ficta, nullo fundamento nixa.

13. *Urgetur* 1. "Credenti . . . . in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam." Rom. iv. 5. In hoc textu fides significat fiduciam. O'BRIEN, p. 13.

14. *Resp.* 1°. Ficta prorsus est interpretio illa (sicut et similis interpretatio Rom. iii. 22, 25; Gal. ii. 16, 20; iii. 26; Ephes. i. 15; Col. i. 4; ii. 5, &c., &c.), nullum fundamentum, nec fundamenti umbram, habens. Non minore jure affirmari posset per fidem in textu objecto significari contritionem, charitatem, justitiam commutativam, &c.

2°. Sed exemplum hujus fidei, ab ipso S. Paulo, in hoc ipso loco (vers. 3 præced.), hanc interpretationem clare et diserte evertit:—"Quid enim dicit Scriptura [Genes. xv. 6]? Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam?" Quidnam hic credidit Abraham? Quodnam fuit ejus fidei objectum? Fiducia suæ justificationis? Nequaquam. En textus integer:—"Eduxitque eum foras, et ait illi: Suspice cælum et numera stellas, si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum. Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam." Manifestum est fidem Abrahæ hic laudatam fidem fuisse, qua credidit Deo dicenti et revelanti posteros suos, sicut stellas cæli, innumerabiles fore. Ita disertissime hunc locum Geneseos S. Paulus, in hoc ipso capite (a vers. 16 ad vers. 22), interpretatur. Non est opus hos versus hic exscribere: videat lector et legat.

15. *Urgetur* 2. Ex responso Christi ad mulierem Chananæam, cui assidue roganti ut filiam suam a dæmonio vexatam sanaret, et ter repulsæ, ultimo dixit, "O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis." Math. xv. 28. *Idem*, p. 17–19, qui de argumento hoc tanquam prorsus invicto gloriatur.

16. *Resp.* Distinguo: Fides in hoc textu significat fidem justificantem Protestanticam i. e. fiduciam propriæ justificationis aut justificationis in ullo sensu: Nego: Significat fidem in Christum potentem sanare morbum corporale, et, ardenter etiam atque etiam rogatum, benigne volentem sanare: Subdistinguo: Morbum ipsius rogantis fidemque habentis: Nego: Morbum alterius, nempe, filiæ rogantis: Concedo. Fides, de qua in textu sermo est, fides est justificans. Fides vero, de qua in textu, fides est qua quis credit Christum posse sanare morbum corporis. Major

est propositio D. O'Brien. Minor sensum textus exprimit :—"O mulier, magna est fides tua : fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora." Sequitur conclusio ineluctabiliter—ergo fides justificans est fides qua quis credit Deum posse curare morbos corporis ! ! !

17. *Urgetur* 3. Vocabulum πιστις nunquam in N. T. (uno forsan loco excepto, 2 Thess. ii. 13) significat fidem simpliciter qua quis credit ("*belief* simply"). *Idem*, p. 265.

18. *Resp.* 1°. Adversantur diserte auctores Protestantici, quos præ manibus habemus, qui lexica N. Testamenti scripserunt, Schleusner, Robinson, Parkhurst (edit. Rose). 2°. Circiter octogies in Evangeliis Matthæi, Marci et Lucæ et in epistola ad Romanos invenitur vocabulum illud—in Evangelio Joannis non occurrit, sed πιστευω sæpius exstat. Omnes et singulos istos octoginta textus diligenter inspeximus : et ex his non sunt ultra sex in quibus significat fiduciam, et id in his sex nequaquam clare et certo. 3°. *In nullo loco totius N. T. significat fiduciam propriæ justificationis.*

19. Conjecturam de causa ejusmodi interpretationum adeo mirabiliter falsarum atque fallacium videas in commentariolo supra (n. 9) memorato, p. 337, &c. Videantur ibidem et alia argumenta, ex quibus sequens tantum hic proferemus.

20. *Urgetur* 4 ex Hebr. xi. 1 :—"Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium." Fides hic plane significat fiduciam ut magis constat ex exemplis hujus fidei in eodem capite memoratis." *Idem*, p. 20–22. Hoc quoque argumentum ut invictum et quidem per se decretorium profert auctor ("A passage . . . which seems to render the consideration of others superfluous").

21. *Resp.* 1°. Videtur hic S. Paulus non definitionem fidei tradere, doeendo quid *est* fides, sed potius, hoc supposito (utpote omnibus noto), fidem laudare et commendare, effectus ejus mirabiles declarando: quasi diceret—Tanta est vis fidei (firmæ utique et eximiæ) ut ea quæ futura sunt tanquam nunc existentia faciat, et ea quæ invisibilia sunt tanquam visibilia. Nihil hoc modo virtutem aliquam laudandi et commendandi apud omnes communius est. Sic, si quis, v. g. virtutem temperantiæ commendare vellet parum curaret de definitione temperantiæ cudenda, imo definitione ista utpote omnibus nota prætermissa, totus esset in commodis depingendis quæ ex hujus virtutis exercitatione derivantur. Hoc ipso modo charitatem laudat et commendat S. Paulus, 1 Cor. xiii.

22. 2°. Etsi daretur fidem in textu significare fiduciam, non potest significari ea fiducia de qua hic disseritur, nempe, fiducia propriæ justificationis ut conditio seu medium illius justificationis comparandæ. Certum est enim, ut alia prætermittam, omnes eos, quorum fidei exempla in isto capite recenset Apostolus, longe ante justos imo insigniter justos fuisse.

23. 3°. Fides autem in textu non significat fiduciam ullam, sed fidem quæ est virtus theologica, fidem qua creduntur revelata a Deo. Fides enim de qua loquitur Apostolus ea est cujus primum exemplum dat vers. 3:—"Fide ntelligimus aptata esse secula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent:" i. e. fides qua credimus mundum a Deo ex nihilo creatum esse. Idem patet ex vers. 6:—"Sine fide autem impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit:" i. e. ad justificationem habendam ("placere Deo—accedentem ad Deum") necessaria est fides

non qua creditur propria justificatio, sed qua creduntur duo dogmata ibi memorata.

24. *Object.* 2. Quicquid dicitur de sensu vocabuli "fides," fiducia diserte in Scriptura ponitur ut conditio justificationis.

25. *Resp.* Distinguo: Fiducia sensu Protestantico, fiducia propriæ justificationis ab omnibus peccatoribus habenda, ut medium quo justificantur, aut ut ullo modo necessaria ad justificationem vel ad eam disponens: Nego: Fiducia aliquo alio sensu: Transeat.

26. *Urgetur* 1. "Videns Jesus fidem [πιστιν] illorum, dixit paralytico: Confide [θαρσει], fili, remittuntur [αφεωνται, remissa sunt] tibi peccata tua." Matth. ix. 2. Fiducia ibi plane exhibetur ut dispositio ad justificationem.

27. *Resp.* Nego 1°, fiduciam, de qua in textu, esse fiduciam propriæ justificationis jam habendæ, sensu Protestantico. Erat enim fiducia justificationis jam habitæ, fiducia nixa speciali et expressa revelatione Christi id declarantis: unde paralyticus, hac revelatione ei facta, certitudinem fidei habuit se esse justificatum: d. 11, n. 2. Unde 2°, negandum est hanc fiduciam esse ullomodo dispositionem ad justificationem.

28. *Urgetur* 2 ex eodem cap. S. Matth. vers. 22, ubi mulieri quæ fluxum sanguinis patiebatur dixit Christus, "Confide, filia, fides tua te salvam fecit."

29. *Resp.* 1°. Fiducia ista fiducia erat de sanatione morbi corporalis: supra, n. 16. Et 2°, fiducia erat habenda ex affirmatione Christi speciali et definita.

30. *Urgetur* 3 ex Marc. xi. 24:—"Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis." Ergo (præter alia), si quis fiduciam habeat suæ justificationis seu credat se justificari, eo ipso justificatur.

31. *Resp.* Nihil est in textu vel contextu de conditionibus ad justificationem, aut explicite aut implicite. Verba objecta significant tantum efficaciam orationis infallibilem et fiduciam firmam qua orare debemus. Dico 1°, efficaciam infallibilem, nempe, ad ea omnia obtinenda quæ necessaria sunt ad salutem, secundum Jacob. i. 56 et alia plura loca. Dico 2°, fiduciam firmam, utique si debito modo oretur, secundum eundem Jacob. iv. 3 :—"Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis." Quæ sint conditiones ad debite orandum non est hujus loci enarrare. Si vero peccator debito modo oret Deum gratiam conversionis, impetrando infallibiliter obtinebit et dispositiones ad justificationem et ipsam justificationem. Hoc quidem in ista propositione textûs generali implicite significatur: quænam autem sint dispositiones illæ nullomodo significatur.

§ 3. *Probatur Doctrina Catholica de Insufficientia Fidei ad Justificationem.*

32. PROPOSITO II. *Præter fidem, aliæ dispositiones ad justificationem peccatoris requiruntur.*

(Propositio formâ negativâ: Sola fides non justificat peccatorem.)

33. *Argumenta ex S. Scriptura.* ARGUMENTUM I. Ex iis locis in quibus significatur directe et diserte fidem solam non justificàre, seu in quibus propositio forma negativa affirmatur.

Fides sola non justificat, si fides a justificatione separari possit, si fides in iis existere posset qui manent usque in statu peccati. Sed rem ita se habere ex S. Scriptura manifestum est.

34. Major evidens esse videtur. Si enim fides cum peccato componi possit, ergo aliquid aliud, præter fidem, ad peccatum expellendum requiritur. Ergo fides sola non justificat. Vim hujus argumenti eludere conantur adversarii, dicentes, etsi fides sola justificet, utpote quæ sola apprehendit justitiam Christi (d. 9, n. 44), et ergo opera bona nihil conferant ad justificationem, ea tamen requiri ut comites justificationis, ut ejus signa et fructus. *Resp.* Opera ista bona spectantur vel ut antecedentia justificationem vel ut eam sequentia. Si posterius dicatur, objectio prorsus extra rem est: sola enim quæstio hic est, non de merito quocumque operum quæ fiunt ab homine justo, sed de iis quæ præstanda sunt a peccatore ut fiat justus. In objectione ergo, ut aliquid valere possit, necessario significantur opera antecedentia justificationem. Dico igitur 1°, si aliquid aliud, præter fidem, quocumque titulo requiratur in peccatore ut justificetur; ergo non justificatur nisi ea conditione ut illud aliud ponatur; ergo illud aliud, non minus ac fides, est conditio essentialis ad justificationem. 2°. Jam (n. 39) probabimus opera bona, quæ, præter fidem, requiruntur ad justificationem, eodem modo ac ipsa fides ad eam disponere. Vid. et infra, n. 89.

35. Probatur minor, n. 33. 1°. "Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur." Rom. ii. 13. Quicquid vocabulo "auditores" (ακροαται) per se et directe significetur, sane non erant meri auditores et non credentes: tunc enim auditor opponeretur *credenti*, sed in textu opponitur *facienti*. Insuper, nemo unquam putabat meram physicam auditionem legis non creditæ ullo modo conducere ad justificationem. Erant ergo qui audierunt credentes, et tamen ex hoc non erant

justificati: ergo sola fides non sufficit ad justificationem. Vid. Jacob. i. 22.

36. 2°. "Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum." 1 Cor. xiii. 2. Hic clarissime significatur fidem, imo fidem eximiam, esse posse sine charitate, et ab ea sejunctam nihil prodesse, et ergo se solam non justificare. Charitas enim et justitia inseparabiles sunt: qui charitatem habet eo ipso justus est—prout adeo frequenter in Scriptura, et etiam in hoc ipso capite, declaratur.

37. 3°. S. Jacobus in Epistola sua, ii. 14–26, doctrinam nostræ propositionis, argumentis et exemplis adductis, late enarrat et inculcat, idque adeo clare et diserte, ut Lutherus inspirationem hujus Epistolæ negaret, eamque "epistolam stramineam" vocaret. Nimis longum esset varia hic proferre argumenta quæ ex isto loco extundi possent. Pauca tantum dabimus incisa, per se adeo perspicua ut nulla egeant expositione, vers. 24, 26:—"Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum . . . . Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est." Quomodo hæc cum verbis S. Pauli, in Ep. ad Romanos, concilientur vid. infra, n. 83.

38. Argumentum II. Ex iis locis in quibus aliæ, præter fidem, dispositiones ad justificationem necessariæ memorantur, aut dispositiones quibus, eodem modo quo fidei, justificatio accepta refertur.

1°. Dispositio est Pœnitentia. "Et venit [Joannes] in omnem regionem Jordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum." Luc. iii. 3. "Pœnitemini igitur et convertimini, ut deleantur peccata vestra." Act. iii. 19. "Et gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.,' Ibid. xi. 18. "Gentibus annunciabam, ut pœni-

tentiam agerent et converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes." Ibid. xxvi. 20. "Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. . . . . Quæ enim secundum Deum tristitia est pœnitentiam in salutem stabilem operatur." 2 Cor. vii. 9, 10.

39. Poenitentia (μετανοία, μετανοεω), i. e. poenitentia quæ laudatur et commendatur in Scriptura, poenitentia vera et efficax (quicquid sonet vocabulum etymologice vel apud scriptores ethnicos), secundum usum loquendi Scripturalem universalem, in Scriptura plane ingerit ideam doloris de peccato admisso, aversionis ab eo et conversionis in Deum, quod concedunt docti Protestantes (ut ROBINSON, in voc.) : "poenitemini et convertimini ut deleantur peccata vestra." Act. iii. 19. Ejusmodi autem poenitentia est quid omnino distinctum a fide, eamque supponit, et ex ea, excitante et adjuvante gratia, gignitur. Ex fide enim novit peccator tantam esse peccatum offensam Dei, tantum sui ipsius malum, quantùm est de eo dolendum, quantùm ab eo avertendum. Insuper, poenitentia hæc non in mero assensu aut mero affectu sistit, sed operativa est :—"digna poenitentiæ opera facientes." Act. xxvi. 20. "Facite fructus dignos poenitentiæ." Luc. iii. 8. Jamvero ex textibus allatis constat poenitentiam, non minus ac fidem, ut dispositionem seu conditionem concurrere ad justificationem. Prædicatur enim ut habenda "in remissionem peccatorum," "ut deleantur peccata:" datur a Deo "in vitam," "in salutem stabilem." Luc. iii. Act. iii. xxvi. 2 Cor. vii. Efficacia fidei arctusque nexus ejus cum justificatione significantius non declaratur nec declarari potest.

40. 2°. Charitas est dispositio ad justificationem. "Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum." Luc. vii. 47. "In Christo Jesu, neque circumcisio aliquid

valet, neque præputium, sed fides quæ per caritatem operatur. Galat. v. 6. "Caritas operit multitudinem peccatorum." 1 Pet. iv. 8 ; Prov. x. 12. Etsi charitas sine fide esse non possit, fides esse potest sine charitate, ut constat ex n. 36. Constat etiam ex Gal. v.: sicut enim fides est quæ per charitatem operatur, ita fides est quæ non operatur per charitatem ; alioquin non apponerentur verba, "quæ per caritatem operatur." Quod vero attinet ad nexum charitatis cum justificatione, res est in textibus manifesta.

Argumenta ex Patribus.

41. *Σχημα εστι μονον χωρις δυναμεως πιστις χωρις εργων εικοτως. Ὥσπερ γαρ σωμα καλον και ευανθες, ὅταν ισχυν μη εχῃ, αλλα τοις εζωγραφημενοις ῃ προσεοικος, ὅυτω πιστις ορθη χωρις εργων.* "Fides sine operibus figura tantum est sine virtute merito sic dicta Ut enim corpus pulchrum ac venustum, virtute destitutum, picturæ simile est, sic fides recta sine operibus." S. JOAN. CHRYSOST. Hom. 8 in 2 Tim. n. 1.

42. "Sine caritate fides potest quidem esse, sed non et prodesse." S. AUGUST. de Trinit. l. 15, c. 18.

43. "Caritas inchoata, inchoata justitia est; caritas provecta, provecta justitia est; caritas magna, magna justitia est; caritas perfecta, perfecta justitia est." *Idem*, de Natura et Gratia, n. 84.

§ 4. *Solvuntur Objectiones contra Argumenta.*

44. *Object.* 1, contra argum. n. 35. Non est sermo in isto vers. 13 de justificatione peccatoris in hac vita sed de sententia dicenda in die ultimi judicii : nectendus enim

est hic versiculus cum vers. 16 hoc modo—"factores legis justificabuntur . . . . in die cum judicabit Deus occulta hominum." Aliud vero est opera alia præter fidem necessaria esse ad vitam æternam, seu ut quis declaretur justus in die judicii; aliud vero opera ista necessaria esse ad justificationem peccatoris. HARE, "Treatise on the Scriptural Doctrine of Justification," c. 6.

45. *Resp.* 1°. Variæ sunt sententiæ et veterum et recentiorum de nexu vers. 16 cum præcedentibus. Plerique doctores Protestantici post GROTIUM, testante BLOOMFIELD, nectunt eum vers. 12, ita ut interpositi versiculi, 13–15, parenthesi includantur: ita et Versio Anglica Protestantica. Sed omnium scriptorum, sive veterum sive recentium, sive Catholicorum sive Protestanticorum, hic, quod sciam, *solus* est qui connectit eum versiculo 13: ex quo non leve a priori exurgit argumentum contra istam interpretationem. 2°. In omnibus aliis locis hujus Epistolæ, imo et ceterarum Epistolarum S. Pauli et totius N. Testamenti, ubicumque invenitur hoc vocabulum, *justifico*, semper significat justificationem in hac vita; nunquam, ne semel quidem, adhibetur ad significandam illam declarationem in die judicii faciendam.

46. *Object.* 2, contra argum. n. 37 (contra argum. n. 36, nullam reperi objectionem apud auctores Protestanticos). Non loquitur S. Jacobus de justificatione quæ fit in remissione peccatorum (justificatione prima), sed de comprobatione quadam hominis jam justificati ("the approval of a faithful servant of God in a day of trial"). *Idem*, ibid.

47. *Resp.* Distinguo: Non loquitur Apostolus in incisis prolatis et textibus indicatis de prima justificatione: Nego: Non loquitur in aliis textibus de ista justificatione: Trans-

eat. Loquitur enim apertissime de homine peccatore habente fidem: posita autem doctrina Protestantica, hoc implicat in terminis. Ceteræ hujus auctoris objectiones in solutione sequentium dissolvuntur.

48. *Object.* 3. Fides de qua loquitur S. Jacobus non est fides vera, sed ficta et falsa. O'BRIEN, p. 141.

49. *Resp.* Distinguo: Fides illa non est fides Calvinistica, i. e. fiducia, de qua supra, sive vera sive ficta: Concedo: Non est vera fides, virtus theologica, qua creduntur revelata a Deo: Nego. 1°. Fides est, quæ, etsi sine operibus non justificet, cum iis justificat, ut patet ex toto tenore sermonis Apostoli: sed fides ista est fides vera. 2°. Fides est, quam habuit Abraham, et quæ "cooperabatur operibus illius" (vers. 22) ad justificationem. 3°. Fides est ex qua sola et per se homo non justificatur, et nisi adjunctis operibus ("ex operibus justificatur homo, et non ex fide *tantum:* vers, 24), ergo fides (cum operibus) justificans, ergo vera et bona.

50. *Urgetur* 1. "Quid proderit, si fidem quis *dicat* se habere," &c. vers. 14. Est ergo fides, non quam quis *habet*, sed quam *dicit* se habere; ergo fides ficta. *Idem*, ibid.

51. *Resp.* 1°. Ex dictis, loquitur Apostolus de fide vera: ergo qui hic exhibetur dicens se fidem habere, exhibetur ut id vere dicens. 2°. Posito sensu objecto, loco verborum quæ statim subjungit Apostolus, "numquid poterit *fides* salvare eum," dicere debuit, "numquid poterit *mera externa professio fidei* salvare eam." 3°. Idem est in hoc vers. dicens ille; de quo vers. 19:—"Tu *credis* [non, tu dicis te credere] quoniam unus est Deus, bene facis: et dæmones credunt."

52. *Urgetur* 2, ex vers. 15–17:—"Si autem frater et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano, dicat

autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini et saturamini, non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa." Comparatur fides de qua hic cum beneficentia ibi descripta. Sed ista beneficentia est ficta. *Idem*, p. 142.

53. *Resp.* Distinguo: Beneficentia ista sterilis est et inutilis: Concedo, et sub hoc conceptu comparatio fit: Ficta est: Nego, nisi forsan sensu eo lato et improprio quo omnis motus in se bonus, si tamen nihil efficiat, fictus et falsus vocari potest.

54. *Urgetur* 3. Comparatur hæc fides cum fide dæmonum, vers. 19. Sed fides dæmonum non est vera fides. *Idem*, ibid. et Calvinus ab auctoribus citatus.

55. *Resp.* 1°. Distinguo propositionem primam: Comparatur ut sterilis cum sterili: Concedo: Ut ficta cum ficta: Nego, ex jam dicendis. 2°. Distinguo propositionem alteram: Fides dæmonum non est vera fides, i. e. non est vera virtus fidei, ex gratia et salutaris: Concedo: Non est vera fides, i. e. verus assensus, quo dæmones ex evidentia credunt quod nos viatores ex auctoritate Dei revelantis credimus, sed fictio assensus; ita ut dæmones non vere credant, sed fingant credere: Nego.

§ 5. *Solvuntur Objectiones contra Propositionem.*

56. *Object.* 4. In variis locis S. Scripturæ, fidei accepta refertur justificatio peccatoris, nulla alia conditione memorata. "Fides tua te salvam fecit." Luc. vii. 50. "Qui credit in Filium habet vitam æternam." Joan. iii. 36. "Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes et

super omnes qui credunt in eum. . . . . Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius. . . . . Justificans eum qui est ex fide Jesu Christi." Rom. iii. 22, 25, 26. "Gratia enim estis salvati per fidem." Ephes. ii. 8. Ita et in aliis pluribus textibus.

Atqui in tot istis textibus fidem solam memorari, nulla alia conditione ad justificationem apposita, nulla alia ratio reddi potest nisi quod fides sola sit conditio ad justificationem. Ita omnes adversarii et veteres et recentes.

57. *Resp.* 1°. Distinguo primam propositionem: In textibus istis, seu textuum incisis, nulla alia præter fidem memoratur conditio, seu diserte significatur: Concedo: In istis textibus nulla alia conditio subauditur et implicatur, aut in aliis incisis istorum textuum, vel alibi in aliis textibus, nulla alia conditio diserte memoratur: Nego. (a) In loco Luc. vii. eadem ejusdem justificatio ter declaratur, vers. 47, 48, 50:—"Remittuntur ei peccata multa, quoniam *dilexit* multum. . . . . Remittuntur tibi peccata. . . . *Fides* tua te salvam fecit: vade in face." Non minus hic dilectioni quam fidei ascribitur justificatio: imo dilectioni, ut dispositioni proximiori, primo loco ascribitur. (b) Ex textibus in nostra probatione allatis constat alias conditiones alibi in aliis locis diserte memorari. (c) Ex quibus sequitur illas alias conditiones in textibus objectis subaudiri et implicari: quod ex jam dicendis clarius et clarissime patebit.

58. *Resp.* 2°. Nego secundam propositionem absolute. I. (a) Fides est "humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis," ut verbis utar Concilii Tridentini (sess. 6, cap. 8). Qui fidem habet, eo ipso ceteras conditiones quæ sint novit, easque, si velit, assequi potest, et, debite orando, infallibiliter assequetur. Qui fide caret,

istas conditiones nec novit nec habere potest, et, quamdiu fide caret, absolute impossibile est ut justificetur. Hinc verba Habacuc (ii. 4), "justus ex fide vivit" toties repetit S. Paulus; Rom. i. 17; Galat. iii. 11 ; Heb. x. 38 (de Ecclesia, D. 1, n. 149). Peccator igitur ex fide principium vitæ spiritualis et, si velit, ipsam vitam habet: ex fide vitam conservat et tuetur. Amissa fide, amittuntur omnia, non solum vita sed etiam media recuperandi vitam : eique "non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam exspectatio judicii." Heb. x. 26, 27.

59. (b) Insuper, quo firmior et vividior est fides; quo magis est "sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium" (Heb. xi. 1: supra, n. 21); eo magis illuminatur intellectus ad veritates divinas percipiendas et ponderandas, ad earum excellentiam et gravitatem summam intelligendam, utpote præ quibus cetera omnia mera sunt vanitas vanitatum; eo magis accenditur et roboratur voluntas ad omnia terrena despicienda et conculcanda, ad finem ultimum in cœlesti gloria unice assequendum, et, quantum fieri potest, quæ ad eum ducunt unice sectanda et exercenda. Sicut ex ejusmodi fide omnes virtutes supernaturales crescunt, ita, ut ait S. ALPHONSUS post S. TERESIAM, ex defectu ejusdem fidei originem habent omnia peccata. Peccant fideles, quotquot peccant, non quia non habent fidem—habent enim—sad quia non habent fidem illam firmam, pollentem, ardentem, invictam; fidem illam quæ "est victoria quæ vincit mundum." 1 Joan. v. 4.

60. (c) Denique, hæc fides est quæ *sola* tantum laudatur et commendatur in S. Scriptura, sive in peccatoribus in ordine ad justificationem primam, sive in justis in ordine ad justificationem secundam—non fides ista frigida, sterilis, imbecilla, ignava. Hæc est fides quam habuit mulier

peccatrix, Luc. vii. (supra, n. 57). Hæc est fides quam memorat Paulus, Ephes. vi. 16:—"In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere;" et in Epistola ad Hebræos toto capite undecimo. Hæc est fides quam commendat Petrus, 1 Pet. v. 8, 9:—"Adversarius vester diabolus tanquam reo rugiens circuit quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide." Ita in omnibus locis, ne uno quidem excepto, in quibus laudatur vel commendatur fides. (De Ecclesia, D. 6, n. 404.)

61. Jamvero apud omnes semper invaluit usus ille loquendi notissimus, secundum quem, si plures causæ, dispositiones, conditiones, &c. concurrant in effectu aliquo producendo, non semper nec etiam regulariter, in isto effectu quomodo efficiebatur indicando, memorantur omnes illæ causæ, sed, secundum circumstantias loquentium, audientium, &c., nunc hæc causa, nunc illa. Et si, inter causas istas, una sit (a) ordine prima, (b) ex qua ceteræ causæ ortæ sunt et crescebant, (c) ex qua ceteræ causæ suam efficaciam ita derivant, ut quo valentior ista causa est eo valentiores et illæ sunt, (d) ex qua, denique, illæ causæ ita pendent, ut, ea non existente, illæ nec existerent nec existere possent, ea extincta, illæ statim extinguerentur—sane, ponas, inter causas (dispositiones, conditiones, &c.) plures, unam existere causam ejusmodi, sine dubio homines, loquentes de effectu ex illis causis conjunctis enato, istam causam solam plerumque memorarent. Imo, si inter causas una sit præ ceteris insignis, etsi alias præfatas qualitates non habeat, huic passim homines effectum tribuerent. Sic, successus bonorum pastorum, in fidelibus sibi comissis curandis, in hoc pastore sanctitati ejus eximiæ tribueretur; in illo prudentiæ; in alio mansuetudini; in

alio fortitudini; in alio vigilantiæ; in alio labori indefesso; &c. &c.; etsi omnes illæ qualitates, plus minus secundum circumstantias temporum et locorum, in omni bono pastore conjungi debent. Simili modo, plures qualitates ad bonum belli ducem efficiendum necessariæ sunt. Victoria tamen reportata in alio fortitudini; in alio circumspectioni; &c. ascribitur. Fabius Cunctatór sane non *solo* "cunctando restituit rem."

62. Cum talis sit usus loquendi universalis, et cum inter dispositiones ad justificationem fides omnes habeat qualitates supra, n. 61, indicatas (a, b, c, d), mirum non est fidei toties, sine ulla ceterarum conditionum mentione, acceptam referri justificationem. Imo, spectato isto usu loquendi, valde mirum esset si res aliter se haberet.

63. II. Huic argumento per se invicto alterum adjungi potest non minus invictum. Laudes istæ et commendationes fidei, plerumque saltem, ad eos aut propter eos habitæ sunt, qui, sive Judæi sive gentiles, adhuc fidem Christi non receperunt, vel quorum fides, ex inductis erroribus seu superstitionibus quibusdam, ex falsis doctoribus incitantibus, vel ex aliis causis, periclitabatur. Quoniam, ut supra dictum est, fide habita omnia habentur vel facile haberi possunt, fide non habita nihil habetur, fide amissa omnia amittuntur; quid ergo non credentibus proponendum est? quid iis prædicandum et suadendum? Fides plane ante omnia, fides imprimis unice, ejusque necessitas et efficacia. Quapropter iis prædicaretur contritio aut charitas aut aliquid ejusmodi; cum, nisi prius habita fide, illa habere non possunt, aut quæ sint vix intelligere possunt? Hinc Christus adeo graviter inculcat necessitatem fidei in seipsum: Joan. iii. 15, 16, 18. Hinc non minus graviter eandem necessitatem prædicat Baptista,

ibid. vers. 36:—"Qui credit in Filium habet vitam æternam, qui autem incredulus est Filio non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum." Simili modo infirmis in fide, quorum fides quocumque modo periclitatur, ante omnia prædicanda est necessitas fidei, necessitas fidei servandæ et firmandæ. Ita S. Paulus ad Galatas, præsertim a cap. tertio ineunte

64. *Object.* 5, ex Epistola ad Romanos, in qua clare declaratur fidem esse solam dispositionem ad justificationem, et id duplici modo; 1°, negative, fidem solam ut dispositionem memorando; 2°, positive, ceteras omnes dispositiones diserte excludendo. Textus primi generis jam enodati sunt. Textus alterius generis hi sunt præcipui. "Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo:" iii. 20. "Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non: sed per legem fidei. Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis:" ibid. vers. 27, 28. "Si Abraham ex operibus justificatus est habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim dicit scriptura? Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. Ei autem qui operatur merces non imputatur secundum gratiam sed secundum debitum. Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam." iv. 2–5. Tota objectio, quam ex his locis tanquam omnino decretoriam unanimes opponunt Novatores et veteres et recentiores, sequenti argumento concluditur:—Per opera in textibus istis significantur omnes quæcumque dispositiones, præter solam fidem. Sed fidei diserte tribuitur justificatio; et opera diserte excluduntur, ut prorsus sterilia et nihil ad justificationem assequendam valentia.

65. *Resp.* I. Distinguo majorem: significantur omnes dis-

positiones præter fidem eam, quæ ex vero sensu Scripturæ jam statuto (n. 2, &c.) sola prodest ad justificationem, fidem, nempe, activam et operantem: Concedo: Præter fidem istam fictam et nullam, fiduciam, nempe, Novatorum; vel fidem vere talem, sed nudam et otiosam: Nego.

66. II. Distinguo primam partem minoris: Tribuitur fidei vere tali, sensu Catholico intellectæ: Concedo: Tribuitur fiduciæ, sensu Protestantico intellectæ: Nego.

67. III. Distinguo secundam partem minoris: Excluduntur opera ante fidem facta, et quæ pure naturalia sunt vel etiam mala: Concedo: Opera quæ post fidem adeptam facta sunt, et ex fide, tanquam ex radice fertili, crescunt: Nego.

68. Ante responsiones istas explanatas quædam notanda sunt. 1°. De sola justificatione prima hic movetur quæstio: doctrinam enim Catholicam de ea justificatione sola impetit hæc objectio. An vero etiam de justificatione secunda per occasionem verbum faciat S. Paulus, vid. n. 82.

69. 2°. Ex prima parte Epistolæ (quæ a cap. 1. ad 8 inclusive excurrit) inspecta, manifestum est, inter Judæos et gentiles conversos, Romæ invaluisse sententias quasdam falsas et perniciosas, unde exorta sunt inter eos dissidia et contentiones. Illi enim sibi, quia genus erant Abrahæ, jus quoddam proprium vindicarunt, quo, præ gentibus, ad religionem Christianam et justificationem vocarentur: infra, n. 71. Hi vero errori isti alio errore non minus pernicioso de suis etiam quibusdam meritis propriis sese opposuere. Hoc mihi non mere probabile, ut quidam putant, sed, ut dixi, manifestum est. Etsi enim per ista capita, ut in aliis suis Epistolis, hic illic, datis occasionibus, alia plus minus cognata tangat S. Paulus; primum tamen et maximum istorum capitum argumentum est, ut osten-

datur nulla ex alterutra parte extitisse merita, imo multa ex utraque parte fuisse peccata. (*a*) Errorem præfatum adeo vehementur et copiose impugnando, plane significat eum inter illos late serpisse. Tantam enim operam non dedisset ut errorem non existentem et valentem extirparet. (*b*) Idem satis diserte verbis significat, ii. 17–25:—"Si autem tu Judæus cognominaris, et requiescis in lege, et gloriaris in Deo . . . . confidis teipsum esse ducem cæcorum. . . . Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras. . . . . Circumcisio quidem prodest, si legem observes:" &c. Similia habentur iii. 27–29; vi. 17–22; vii. 1, &c. In his locis inutilitatem operum legis iterum iterumque studiose declarat, et arrogantiam Judæorum, qui iis tantum fidebant acriter reprehendit.

70. 3°. Tradit S. AUGUSTINUS (de Quæstionibus 83, quæst. 76, et de Fide et Operibus, c. 14, n. 21–23) ipso ævo Apostolico fuisse qui ita sensum textuum objectorum depravarunt, ut tenerent fidem sine operibus valere ad salutem; et contra hos scripsisse SS. Petrum, Joannem, Jacobum et Judam; et affirmat S. Petrum illos ipsos textus spectasse, cum diceret (2 Pet. iii. 16) in Epistolis S. Pauli esse "quædcm difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem."

71. 4°. Judæorum mentibus altis radicibus defixa est superstitiosa persuasio, se, utpote qui Abrahæ posteri erant et circumcisi, jus quoddam eo ipso habuisse ad justificationem et vitam æternam. Ob hanc persuasionem summe perniciosam dure eos reprehendit Baptista, Matt. iii. 8, 9:—"Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ: et ne velitis dicere intra se, Patrem habemus Abraham." Videantur in hunc locum non solum interpretes Catholici sed et Pro-

testantici, ROSENMULLER, KUINOEL, BLOOMFIELD, ALFORD, &c., WHITBY in Rom. ii. 13; iv. 1. Hunc errorem sine dubio perstringit Christus, Luc. viii. 21. Eum sæpius memorat S. JUSTINUS in Dialogo cum Tryphone Judæo, ut n. 125:—Ὑμεις δε, μηδεν τουτων νενοηκοτες, μηδε νοειν παρασκευαζομενοι, επειδη κατα το σαρκικον σπερμα του Ιακωβ τεκνα εστε, παντως σωθησεσθαι πασσδοκατε. "Vos autem, cum nihil horum intelligatis, nec ad intelligendum parati sitis; quia secundum carnale semen filii estis Jacobi, salvos omnino vos futuros expectatis." Similia habet n. 25, 44, 140. Ita et alii Patres. Indicia illius superstitionis nec dubia nec rara in V. Testamento, apud Prophetas præsertim, inveniuntur, nempe, in iis locis in quibus Judæi exhibentur ut tantum et tam perniciose sua lege ejusque ritibus externis fidentes; e.g. Isai. i. 11, &c.

72. His notatis, jam statuendæ sunt distinctiones supra, n. 65–67, positæ. I. Fides, de qua in textibus objectis sermo est, non est fiducia ista quæ in propositione præcedenti explosa est, ut supra probatum est, n. 3, &c., n. 10, &c. Ex hoc sequitur objectionem, ut ab adversariis qui fiduciam illam tuentur allatam, *in ipso limine prorsus ruere.*

73. II. Opera, quibus opponitur fides justificans, non sunt opera facta ex fide et gratia, sed opera facta ante fidem et sine gratia, imo etiam opera mala. Id constat 1°, ex mente et proposito S. Pauli. Ea enim opera rejicere et excludere voluit, quibus fidebant Romani (maxime Judæi), et in quibus gloriabantur, tanquam disponentibus ad justificationem, cum tamen ad eam nullomodo disponerent. Sed opera illa facta non fuere ex fide aut gratia. Non opera *Gentilium:* nam opera hæc facta sunt ante

eorum conversionem ad fidem aut etiam initia ejus—de ejusmodi enim operibus hic sola quæstio est, ut patet ex i. 18–32. Opera autem facta ante fidem et initia ejus ex fide sane facta non sunt aut ex gratia elevante: imo ea plerumque peccata fuisse ex eodem loco manifestum est, et ex iii. 9, &c.:—"Causati enim sumus Judæos et Græcos omnes sub peccato esse:" &c. Non opera *Judæorum*, ob easdem rationes, et speciatim ob dicta ii. 17, &c. Insuper, Judæi (n. 71) opera sua tanquam valorem quemdam intrinsecum in ordine ad justificationem habentia, propter originem ab Abraha ductam, æstimabant: cum valor ille prorsus nullus esset, ejusque æstimatio ista error esset valde exitialis.

74. Si *Objicias*, Judæos, saltem bonos et pios, veram et vivam habuisse fidem in Messiam venturum, et justificatos fuisse.

75. *Resp.* Ita quidem se res habuit ante Christum. "Sed cum Christus venit, tunc Judæi hanc fidem in Christum amiserunt, et sine fide Christi, quem recipere noluerunt, asseruerunt sibi deberi justitiam ex operibus legis, puta ex circumcisione, &c. . . . Itaque a justitia et salute exciderunt." A LAPIDE in iii. 28. "Ante Christi adventum Judæi legem habebant cum spe Messiæ venturi, itaque cum fide et gratia: sed post Christi adventum, quum eum rejicerent, non supererat ipsis nisi mera lex sine gratia." BEELEN in iii. 20. Opiniones illæ de circumcisione, &c. adeo inveteratæ fuere, ut non solum Judæos tenerent qui Christum recipere noluerunt, sed etiam conversos ad Christum, et Romæ et alibi, plus minus inficerent. De Ecclesia, D. 6, n. 355, &c.

76. Idem (n. 73) constat 2°. S. Paulus Judæos alloquens fidei opponit opera *legis*, i. e. legis Judaicæ diserte et

explicite:—"Ex operibus *legis* non justificabitur omnis caro. . . . Nunc autem sine *lege* justitia Dei manifestata est. . . . Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus *legis*:" iii. 20, 21, 28. Similiter iv. 13, 14, 15, 16; vi. 14; &c. In aliis locis, ubi fidei opponuntur opera simpliciter et sine addito, valde probabile est intelligi opera legis (infra, n. 81): certum autem est non intelligi alia opera ex gratia facta. Lex autem illa, etsi multa habuit præcepta, ex se nullam dedit gratiam qua præcepta servarentur. *Nota* ergo Protestantes affirmare fidem solam justificare, et opera quæcumque, etiam ex gratia facta et supernaturalia, nihil ad justificationem conferre. Id vero nequaquam docet S. Paulus: excludit enim tantum opera legis jam mortuæ vel alia opera similia, pure naturalia et prorsus sterilia. Si omnia quæcumque opera excludere voluisset, cur id non dixit? Nonne, e contrario, dicendo *illa* opera, ab eo diserte nominata, non conferre ad justificationem, non obscure insinuare videtur *alia* esse opera quæ ad eam conferunt?

77. 3°. Spectatur lex non solum ut nullam communicans gratiam, sed etiam ut iram operans (iv. 15), i. e., tanquam causa occasionalis, augens peccatum et graviorem inferens ruinam.

78. III. Supra (n. 35, &c.) ex ipso S. Paulo, sicut et ex aliis Scripturis, demonstratum est solam fidem non justificare. Ex quo indirecte sequitur, quod ex argumentis jam datis sequitur directe, nempe, S. Paulum in textibus objectis non excludere opera salutaria sed opera naturalia.

79. *Urgetur* 1. Quo tempore (Genes. xv. 6) Abraham, secundum S. Paulum (iv. 2, 3), justificatus est ex fide et non ex operibus, jam justus fuit, et opera ejus ex

gratia facta sunt. Ergo etiam opera ex gratia facta excluduntur.

80. *Resp.* 1°. Ergo objectio extra materiam præsentem est, et pertinet ad quæstionem de merito. 2°. Non una est textûs, iv. 2, interpretatio probabilis, qua plane solvitur objectio.

81. (i) Cum dicitur Abraham non esse justificatum ex operibus, intelliguntur opera *legis:* supra, n. 76. Hanc interpretationem non parum suadet Apostoli propositum, qui hic in eo totus est ut ostendat opera legis, ut sic, non justificare. Neque obstat nullam esse mentionem legis in textu: quia (ut verbis SUAREZII utar, l. 8, c. 22, n. 4, qui per illud caput late et egregie de tota hac difficultate scribit) "non est necessarium ut in omnihus Scripturæ locis de eadem re loquentibus, eadem verba repetantur, sed interdum, licet unum vel aliud verbum omittatur, ex aliis subintellectum creditur." Hoc noto exemplo fidei confirmat, cui aliquando tribuitur justificatio, ceteris conditionibus, quæ in aliis locis memorantur, subintellectis.

82. (ii.) Altera est interpretatio, secundum quam S. Paulus excludit omnia quæcumque opera ante fidem facta; et per justificationem significat non ipsam infusionem justitiæ solam, sed totum opus justificationis, et ergo prout includit initium ejus seu fidem. Sensus ergo est:—Cum ipse Abraham, etsi jam justus, acceperit secundam justificationem seu justitiæ incrementum non ex operibus, per se et ratione sui (quo modo Judæi ea spectabant), sed in quantum supposuerunt fidem, et in ea penitus insita fuerunt et radicata; quanto minus aceipiet justificationem primam ex operibus qui adhuc nec ipsam fidem habet.

83. Hac interpretatione, sicut et priori, optime inter se conciliantur S. Paulus et S. Jacobus, qui (ii. 21) dicit

Abraham justificatum fuisse ex operibus, nempe, spectatis ut ex fide et quidem eximia ortis: quod et verba ejus clare significant:—"Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides *cooperabatur* operibus ejus, et ex operibus fides *consummata* est," &c. ἡ πιστις συνηργει τοις εργοις αυτου, και εκ των εργων ἡ πιστις ετελειωθη. S. Jacobus de operibus Abrahæ loquitur, ut revera facta sunt, cum fide necessitudine arctissima et penitissima conjunctis—istis duobus, fide et operibus, unum quoddam totum et perfectum efficientibus. S. Paulus vero de iisdem loquitur operibus, ut ea contemplati sunt Judæi, tanquam per se et independenter a fide disponentibus ad justificationem. Quæ omnia magis adhuc firmantur conclusione S. Jacobi, vers. 24:—"Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide *tantum*." Insuper, notandum est S. Jacobum affirmare hominem ex *operibus* justificari, dum S. Paulus negat hominem ex operibus *legis* justificari. Ista autem locutio "opera legis" nullibi invenitur in N. Testamento nisi in epist. ad Rom. et in ea ad Galatas: hæc vero ep. sicut et ep. ad Rom. scripta est ad errorem illum profligandum de intrinseco et perdurante valore operum legis, &c. ut supra, n. 69, 71, et infra, n. 86.

84. 3°. (n. 80). Ex verbis S. Jacobi nimis manifestum est non solùm fidem Abrahæ operantem fuisse, sed et opera ejus non mera fuisse signa aut fructus justificationis, ut dicunt adversarii, sed simul cum fide conjungi tanquam dispositiones essentiales ad justificationem.

85. *Urgetur* 2. Non fuit S. Paulo propositum præfatam superstitionem (n. 71, 73) Judæorum improbare: eamdem enim distinctionem inter fidem et opera profert in Epist. ad Galatas, ii. 16, qui erant Gentiles conversi.

86. *Resp.* Apud Galatas, agentibus quibusdam Judæis conversis, magistris erroris, invaluere superstitiones quædam iis similes imo pejores quæ in Romanis reprehensæ sunt, et ex eodem principio pernicioso manantes. De Ecclesia, l. c. n. 359, &c.

87. *Object.* 6. Justificatio peccatoris est omnino gratuita, ut patet ex pluribus Scripturæ locis, v. g. Rom. iii. 2:—"Justificati gratis per gratiam ipsius." Sed gratuita non esset, si opera exigerentur ut dispositiones ad eam habendam."

88. *Resp.* 1°. Major verissima et certissima est. Nego minorem, vel Distinquo: Si opera exigerentur ut merentia justificationem, intuitu quorum rependeretur justificatio ut merces seu præmium: Concedo: Si exigantur ut meræ dispositionnes seu conditiones a Deo libere constitutæ: Subdistinguo: Et ista opera, istæ conditiones sunt ipsæ gratuita dona Dei, ab initio ad finem a Deo per gratiam suam illustrantem et inspirantem in nobis, cooperantibus nobis, effectæ (Deus est enim qui eas et velle et perficere operatur in nobis): Concedo: Sunt opera nostra ex nobis pura et naturalia: Nego. Verbis ipsius Concilii Trident. clarissimis, sess. 6, cap. 8, objectio funditus evertitur:—"Cum vero Apostolus dicit, justificari hominem per fidem et gratis; ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit et expressit: ut scilicet *per fidem ideo justificari dicamur*, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire: *gratis autem justificari ideo dicamur*, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur: si enim gratia est, jam non ex operibus:

alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia non est gratia." Si gravi injuria Petrus a Joanne afficiatur, et Joanni culpam condonet, ea tantum apposita conditione ut hic quamdam summam pecuniæ in eleemosynam largiatur, et Petrus ei totam hanc summam tribuat; nonne vere diceretur Petrum gratis injuriam Joanni condonasse?

89. 2°. Retorqueo objectionem. Gratuita non est justificatio, ad quam habendam exigitur, ut dispositio seu conditio, fides (fiducia), quæ ipsa plane non minus opus est quam, v. g., spes, contritio, &c. Mirum est quantum desudat D. O'BRIEN (pp. 146–9, 433–6) ut huic responsioni occurrat. Summa et medulla totius ejus prolixæ argumentationis in his continetur paucis verbis, quæ ex Melancthone citat:—"Fides est opus, sed non sumus justi propter ipsius *operis dignitatem*, sed quia [fides] apprehendit misericordiam propter filium promissam." Prætermisso secundo hujus loci membro, quod pertinet ad propositionem antecedentem (supra, n. 2, &c.), quod in priori membro dicitur de opere fidei id ipsum est definite quod Conc. Trid. affirmat de ceteris operibus, supra, n. 88!!!

90. *Object.* 7. "Et non (sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala ut veniant bona." Rom. iii. 8. "Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato ut gratia abundet? Absit. . . . . Quid ergo? Peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit." Ibid. vi. 1, 15. In his locis, sub forma objectionis sibi a se propositæ, indicat Apostolus conclusionem, quæ a sua doctrina de justificatione prave inferri posset, et quidem a quibusdam de facto illata est ("sicut aiunt quidam nos dicere"), nempe, peccata fidelium iis non nocere, imo per se in bonum tendere. Jam-

vero, si S. Paulus tradiderit doctrinam Protestanticam de fide sola justificante, facile *intelligi* potest quomodo ex ea doctrina ejusmodi conclusio, prava licet et nefanda, cogeretur. Si vero doctrinam tradiderit Catholicam de necessitate bonorum operum simul cum fide ad justificationem, intelligi non potest, quomodo quis sanæ mentis ex ejusmodi doctrina ejusmodi conclusionem inferre possit. O'BRIEN, p. 93, 94.

91. *Nota.* Ex quibus verbis S. Pauli conclusio ista prava collecta est? Certe non ex hac ipsa Epistola ad Romanos, ut evidens est ex eo quod loquitur Apostolus non solum de conclusione quæ male *inferri possit,* sed de conclusione jam *actu illata.* Ex omnibus scriptis S. Pauli Ep. ad Galatas solum est in quo aliqua species fundamenti in gratiam illius conclusionis invenitur. Si non ex aliqua fama seu rumore de institutione ejus vivâ voce facta, sed ex quodam ejus scripto conclusio dicatur illata, exinde haberetur argumentum invictum pro sententia quæ affirmat Epistolam ad Gal. scriptam fuisse ante scriptam Ep. ad Rom.—sententia quam multi tenent, multi rejiciunt. Utinam de quæstione supra posita disceptassent auctores: eam autem a nemine eorum tactam vidi. Quicquid autem de hoc dicitur, certum est doctrinam S. Pauli, ex qua pessimi isti conclusionem suam possimam pessime intulerunt, eam ipsam esse quam in utraque Epistola, ad Rom. et Gal., inculcat, nempe, opera legis nihil conferre ad salutem, et illam aliam (Rom.), nempe ibi gratiam superabundare ubi abundavit delictum. Nunc ad objectionem.

92. *Resp.* Distinguo: Si S. Paulus Catholicam de justificatione doctrinam et non Protestanticam tradiderit, intelligi non potest quomodo ab ullo sanæ mentis præfata conclusio exinde inferri posset: Transeat: In locis, in

quibus annunciatur doctrina ex qua conclusio ista illata est, S. Paulus doctrinam de justificatione integre et explicate tradit: Nego.

93. Quod ad hoc secundum membrum distinctionis attinet, tantum abest ut in locis illis doctrinam veram integram positivam de justificatione tradat S. Paulus, ut totus aut fere totus sit in doctrina falsa circa justificationem insectanda et refutanda: supra, n. 64, 69, &c. Hoc adeo apertum est nostris theologis, ut nullus eorum unquam ex istis locis doctrinam Catholicam probare suscepit, aut affirmavit in iis illam doctrinam integram significari, aut etiam ex parte perspicue et aperte. Non ex istis sed ex aliis locis nos doctrinam nostram probamus, ut supra, n. 32, &c.

94. Ad primum membrum distinctionis dixi Transeat. Nequaquam enim tenemur rationem afferre cur spurci isti Antinomiani, "indocti et instabiles," monstrum illud erroris ex doctrina S. Pauli derivarunt. Nonne tenent, quos hic habemus adversarios, divinitatem Christi, ejusque duplicem naturam unamque personam, &c. in Bibliis vere, ne dicam et clare, revelari. Quomodo ergo factum est ut Ariani, Eutychiani, Nestoriani, &c. iisdem Bibliis fidentes, hæc omnia negarent? Quomodo fit ut, inter varias sectas Protestanticas, ex iisdem Bibliis (omnes enim auctoritatem Ecclesiæ et traditionem rejiciunt) alia hoc dogma, alia illud plane oppositum cogat? Imo probavimus (ut nobis videtur) invicte doctrinam solifidianam Protestantium *non* contineri in textibus allatis, supra, n. 64. Quomodo ergo factum est ut tot Protestantes, inter suos doctissimi, cum D. O'BRIEN, illos ipsos textus proferant, tanquam doctrinam istam diserte significantes? Horum omnium, etsi ut diximus, rationem afferre non teneamur, optimam tamen proferre possumus.

95. Et 1°, quod attinet ad textus, n. 64, et alios similes, præsertim in Ep. ad Galatas, sensus eorum verus (quem supra statuimus, n. 65, &c.) nequaquam is est qui se statim et clare menti ingereret, lectoris præsertim vel auditoris indocti et instabilis, suo proprio judicio privato utentis. Imo, ejusmodi lectòri sensus iste haud parum difficilis et obscurus esset; et sensus Protestanticus, vel etiam antinomianus, magis obvius et, ut ita dicam, quasi in superficie verborum jacens. Non ita autem errarent docti, i. e. bene instructi in doctrina Christiana, et stabiles, i. e. firmi in fide. Hæc dicendo quid aliud dicimus nisi exemplum proferendo dicti ipsius S. Petri, supra, n. 70?

96. 2°. Quod attinet ad alias depravationes, et quidem, hac ipsa inclusa, ad omnes, earum pariter optima et omnibus communis ratio dari potest. Ex illis enim sequitur Scripturam esse in multis obscuram et difficilem intellectu, et ad dogmata fidei ex ea conficienda non esse judicio privato sed magisterio Ecclesiæ interpretandam, et ex ea judicio privato interpretata omnes depravationes illas manare.

DISPUTATIO UNDECIMA.

DE PROPRIETATIBUS JUSTIFICATIONIS.

Expositio errorum novatorum et doctrinæ Catholicæ data est, supra, d. 9, n. 46, 53, &c. Ex quatuor capitibus hujus doctrinæ ibi recensitis tria posteriora hic probanda sunt: primum enim jam satis firmatum est, d. 10, n. 2, &c.

§ 1. *Probatur Doctrina Catholica de Incertitudine Justificationis.*

1. Propositio I. *Nullus scire valet certitudine fidei, nisi ex revelatione speciali et extraordinaria, se gratiam iustificationis esse consecutum.*

2. *Argumenta ex S. Scriptura.* Argumentum I. "Si justificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, pravum me comprobabit. Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, et tædebit me vitæ meæ." Job. ix. 20, 21. In hoc capite respondet Job criminationi Baldad, sicut prius respondit Eliphaz; qui ambo eum acerbe objurgabant et calumniabantur, dicendo calamitates quibus afflictabatur ei ut poenas suorum peccatorum statutas fuisse. Job, dum judicia Dei inscrutibilia adorat, persistit sibi vitam innocentem et mentem

recti consciam vindicans: concedit tamen se non ideo revera et coram Deo justum esse, sed tantum coram tribunali hominum et propriæ conscientiæ. Quæcumque sint difficilia in literali interpretatione locutionum particularium, manifestum est Jobum, etsi coram Deo sanctissimum, et nullius peccati conscium, nequaquam credidisse fide divina se justum fuisse, multo minus se hac fide justificatum fuisse.

3. ARGUMENTUM II. "Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer aut ab humano die [i. e. judicio]: sed neque meipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me Dominus est." 1 Cor. iv. 2–4. Sensus hujus loci in paraphrasi sequenti fideliter exhibetur:—Parum curo quale judícium de me, in ministerio meo peragendo, a vobis aut ab ullo homine fiat: nec meipsum ipse judico fidelem esse ministrum. Sane non sum conscius me in munere meo fungendo defuisse: attamen etiam hanc conscientiam habens non possum affirmare me esse sine culpa: solus enim Deus est qui ejusmodi judicium facere potest. Patet ergo etiam ipsum magnum Apostolum certitudinem fidei de sua justificatione non habuisse.

4. ARGUMENTUM III. "Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei: et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta." Eccles. ix. 1, 2. Clarissimus est hic locus, nulla ad probandum enarratione indigens; et nobis, ob auctoritatem nostræ Vulgatæ versionis, argumentum affert omnino firmum. Verumtamen, propter obscuritatem textus Hebr. et Græc. Sept. non expedit ut hoc argumentum tanquam decretorium contra Protestantes urgeatur.

§ 2. *Solvuntur Objectiones.*

5. *Object.* 1, contra argum. n. 3, ex 1 Cor. iv. Verus sensus textûs hic est :—Etsi conscientia mea mihi testetur me opera ministerii mei fideliter peregisse; non tamen per ista opera aut conscientiam illam justificatus sum, sed per fidem. Ita CALVINUS, ut ab auctoribus citatus.

6. *Resp.* 1°. Nihil in textu de fide affirmatur vel in sinuatur. 2°. Si vera sit doctrina Calvinistica de certitudine propriæ justificationis quam quisque justus habet, ergo S. Paulus fide divina credidit se justum fuisse. Vere ergo dicere non potuit "neque meipsum judico." 3°. Diserte affirmat Deum solum ejusmodi judicium facere posse, "qui judicat me Dominus est:" quod verbis immediate sequentibus disertius affirmat, vers. 5 :—"Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium."

7. *Object.* 2, contra idem argum. S. Paulus revelationem habuit de sua prædestinatione, ut constat ex 2 Tim. iv. 8. Ergo certitudinem fidei divinæ de sua justificatione habuit. Ergo seipsum judicavit esse justificatum.

8. Consequentia non ést rigorose bona. Aliud est enim revelatio de futura alicujus salute æterna, sibi vel aliis facta, aliud vero revelatio de præsenti ejus justificatione. Hoc autem prætermisso, *Resp.* 1°. Incertum est antecedens: verba enim in 2 Tim. bene intelligi possunt ut significantia tantum spem firmam et ardentem; vel intelligi possunt ut conditionata, conditione, ut pote omnibus nota, supposita (ut fit in aliis mille locis, et in usu loquendi

communisimo: d. 10, n. 81), nempe, "si perseveravero in finem." Et hoc mihi longe probabilius esse videtur: quod enim S. Paulus de seipso affirmat eodem modo et de aliis affirmat:—"Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex; *non solum mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus.*"

9. 2°. Etsi concederetur S. Paulo revelatio facta prædestinationis suæ, valde improbabile est eum illam accepisse quo tempore scripta est hæc epistola ad Corinthios prima: *tum* qui in illa ipsa Epistola, ix. 27, clare significat se certum non fuisse de sua salute æterna:—"Castigo corpus meum, et in servitutem redigo: ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar." *Tum* quia summe improbabile est ejusmodi gratiam adeo extraordinariam ei datam esse nisi prope finem vitæ, cursu ejus Apostolico consummato: quo tempore scripta est Ep. ad Timotheum, ut constat ex vers. 6, 7, ibidem:—"Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat . . . . cursum consummavi." Jamvero certum est Ep. 1 ad Cor. scriptam fuisse (probabiliter 10 annis) ante Ep. ad Timoth.

10. 3°. Etsi denique concederetur S. Paulum accepisse revelationem non solum suæ prædestinationis sed etiam suæ justificationis, et id ante scriptum textum illum Ep. ad Cor., dici potest eum se ibi non exhibuisse ut sub illa providentia extraordinaria, sed tantum sub ordinaria, et ut exemplum omnibus commune: quod, quodam sub respectu, revera fecit, ut constat ex vers. 6:—"Hæc autem, fratres, transfiguravi in me et Apollo."

11. Objectiones contra Propositionem. Quamplurimos textus ex S. Scriptura congerunt adversarii ad suam doctrinam firmandam. Improbus esset labor hos omnes, vel etiam plerosque eorum, hic proferre et rite enarrare. Quos-

dam delectos dabimus qui, ut videtur, communius et fidentius ab adversariis urgentur.

12. *Object.* 3. "Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei." Rom. viii. 16. Qui habet testimonium Dei se esse justum habet certitudinem fidei se esse justum. Atqui omnis justus ejusmodi testimonium habet.

13. *Resp.* Distinguo majorem: Qui habet testimonium Dei certum, clarum et absolutum: Concedo: Qui testimonium habet nonnisi incertum, plus minus probabile et conditionatum: Nego. Distinguo minorem: Omnis justus, aut ullus (nisi ex speciali revelatione), prius testimonium habet: Nego: Alterum habet, et id sufficit ad omnem angorem et timorem nimium et obruentem depellendum (quod tamen, ob causas particulares, v. g. in scrupulosis quibusdam, non semper efficit): Concedo.

14. *Urgetur.* Dici non potest de Deo infinite sapiente et potente, eum unquam dare testimonium incertum.

15. *Resp.* Distinguo: Si velit testimonium dare certum, cui falsum subesse non potest: Concedo: Si, ob causas sapientissimas, in hac vel illa re, velit dare testimonium plus minus incertum: Nego. 1°. Ipsum lumen rationis est, in ordine naturali, quoddam testimonium Dei: et tamen, dum alia luce clariora nobis facit, alia obscura habet, quædam solide probabilia: 2°. Sunt aliquando, etiam in hominibus sanctis, motus de quibus certi non sunt utrum supernaturales an naturales sint, utrum sint a Deo an a diabolo. 3°. Singulæ propositiones in S. Scriptura totidem sunt testimonia et locutiones Dei hominibus factæ. Quot vero ex iis sunt valde obscuræ? 4°. Sapientissimum finem habet Deus nobis non elargiendo certitudinem istam nostræ justificationis absolutam. Ut enim ait A LAPIDE

(in locum), "vult nostram spem mixtam esse formidine, nosque solicitos ac suspensos tenere, ut securitate non torpescamus, sed cum metu et tremore vigilanter et studiose nostram salutem operemur." 5°. In ipso textu, vers. 17 insequente, significatur testimonium illud esse conditionale, saltem ut sit constans et durans, quale volunt esse adversarii :—" Si autem filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi : *si* tamen compatimur, ut et conglorificemur."

16. *Object.* 4. " Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis." 1 Cor. ii. 12. Ergo, S. Spiritu docente, sciunt singuli quæ a Deo iis donata sunt, ergo propriam justificationem.

17. *Resp.* Distinguo verum textûs sensum a falso : Significatur in textu singulos justos suam propriam justificationem a S. Spiritu docente scire : Nego : Fideles in communi, omnes fideles (" *nos* autem"), sciunt mysteria fidei ceteraque beneficia Dei omnibus fidelibus in communi revelata et donata : Concedo : ut patet ex verbis immediate sequentibus, vers. 13 : —" quæ et *loquimur* non in doctis humanæ sapientiæ verbis," &c.

18. *Object.* 5. " Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei, conversati sumus in hoc mundo." 2 Cor. i. 12. S. Paulo testata est conscientia sua se justum fuisse. Quod autem S. Paulo testata est conscientia sua, id singulorum justorum sibi testificantur conscientiæ suæ.

19. *Resp.* 1°. Distinguo majorem : Testata est S. Paulo conscientia sua se munia sua apostolica rite obiisse : Concedo : Testata est conscientia illa, certitudine fidei, S.

Paulum quo tempore hæc scripsit justum fuisse: Nego et Transeat. 2°. Nego minorem. Esto magnum illum Apostolum ex speciali revelatione Dei certitudinem suæ justificationis habuisse. Ergo omnes alii justi eamdem certitudinem habent!

20. *Object.* 6. "Vosmetipsos tentate si estis in fide: ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est? nisi forte reprobi estis." 2 Cor. xiii. 5. Ergo qui justi sunt cognoscunt se justos esse.

21. *Resp.* 1°. Incertum est de qua fide hic loquitur Apostolus, utrum de fide, virtute theologica, cum charitate utique juncta, an de fide qua patrantur miracula. 2°. Posito sensu objecto, Distinguo: Cognoscunt probabiliter, maxime ex operibus bonis: Concedo: Cognoscunt cum certitudine fidei: Nego. "Vosmetipsos tentate:" ergo certitudinem hanc non habebant

22. *Object.* 7. "Hac scribo vobis, ut sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei." 1 Joan. v. 13 (Nota. Alia est lectio in quibusdam codd. Græcis, quam sequitur versio Anglica Protestantica, *και ἱνα πιστευητε*, "et ut credatis." Nostram lectionem in ipso textu ponit ALFORD, *τοις πιστευουσιν*). Ergo justis æque certum est se justos esse ac certum est se credere. Sed omnibus justis absolute certum est se credere.

23. *Resp.* Transeat major. Distinguo minorem: Certum est omnibus justis se habere fidem veram: Concedo: Certum est se habere fidem formatam, seu cui charitas adjungitur, de qua fide sola loquitur S. Joannes: Nego.

Hæc sufficiant: ceteri textus objecti vel sunt plane extra rem, vel ex principiis jam datis facile enodari possunt. Videantur SUAREZ, l. 9, c. 9, n. 9, &c. WIGGERS, q. 112, a. 5.

§ 3. *Probatur Doctrina Catholica de Inæqualitate Justificationis.*

24. PROPOSITIO II. ***Justitia non est in omnibus justis æqualis: sed in diversis justis, et diversis temporibus in eodem justo, inæqualis esse potest et est.***

25. *Nota.* Errorem Novatorum tenuit hæriticus antiquus, Jovinianus, sed diversa prorsus ratione. Dicebat enim ille omnia opera bona esse æqualia, et ergo omnes justos esse æquales in gratia et omnes beatos esse æquales in gloria. Imo "ut hæc consecutio aliquam verisimilitudinem haberet, oportuit ipsum etiam sentire unum opus esse æquale multis, et multitudinem operum ad majorem sanctitatem vel ad meritum majoris præmii non conferre." SUAREZ, l. 9, c. 1, n. 2. Sed novatores longe alia ratione, et ante eos inaudita in mundo, æqualitatem justitiæ in omnibus affirmabant: d. 9, n. 46.

26. Inæqualitas justitiæ in justis duplici modo efficitur, nempe ex opere operantis, propter merita bonorum operum; et ex opere operato, per receptionem sacramentorum. De priori tractabitur in d. sequenti, de altero vid. tract. de sacramentis.

27. An hodie apud ullam sectam Novatorum in his regionibus valeat ista hæresis de æqualitate justitiæ, pro certo affirmare non possum. Id tantum scio, me, in scriptis sive Evángelicalium sive Methodistarum pluribus volvendis, nullam ejus mentionem invenisse.

28. *Argumenta ex S. Scriptura.* ARGUMENTUM I. "Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi." Ephes. iv. 7. "Ibi aperte docet

Paulus gratiam non omnibus conferri æqualem, sed majorem vel minorem, secundum mensuram donationis Christi, id est, secundum voluntatem ac occultissimam rationem providentiæ ejus." SUAREZ, l. c. n. 5, qui ibidem objectionem quamdam quæ contra hoc argumentum afferri posset dilucide solvit.

29. ARGUMENTUM II. "Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem." Proverb. iv. 18. "Semita, id est, vita et conversatio sancta justorum est quasi aurora, vel lucifer lucens mundumque illuminans. Sicut enim lux auroræ sensim intenditur, et crescit usque ad perfectum diem, id est, usque ad meridiem, in qua, discussis omnibus nebulis et tenebris, aurea, clara plenaque lux toto hemisphæro resplendet; sic pariter et justorum justitia et sanctitas sensim crescit, donec, dissipatis omnibus ignorantiæ et concupiscentiæ nebulis, ipsa pura plenaque refulgeat—quod inchoate fit in hac vita, perfecte vero in cœlo, ubi amplius crescere non poterit." A. LAP. in loc.

Hæc sufficiant. "Difficultates, quæ hic urgeri possent, jam præoccupatæ sunt in propositione, qua adstruximus causam formalem justificationis esse nobis intrinsecam et inhærentem." PERRONE, n. 599.

§ 4. *Probatur Doctrina Catholica de Amissibilitate Justitiæ.*

30. PROPOSITIO III. *Gratia est amissibilis: seu, justus e justitia excidere potest, nempe, admittendo peccatum mortale.*

31. *Argumenta ex S. Scriptura.* ARGUMENTUM I. Si gratia sit inamissibilis, ergo nulli justo timendum est ne a

gratia excidat—quomodo enim ab homine sano timendum esset malum, quod absolute accidere non potest? Sed sæpius in Scriptura declaratur omnibus justis timendam esse defectionem a gratia. "Noli gloriari adversus ramos [Judæos rejectos]. . . . . Dices ergo: Fracti sunt rami ut ego inserar. Bene: propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time [ne, sicut illi rejecti sunt, et tu rejiciaris]." Rom. xi. 18-20. "Qui se existimat stare, videat ne cadat." 1 Cor. x. 12. "Cum metu et tremore vestram salutem operamini." Phil. ii. 12. Similia habentur Psalm. ii. 11, 12; 1 Cor. ix. 26; 2 Pet. i. 10; &c.

32. ARGUMENTUM II. Amissibilitas gratiæ et verbis diserte et factis declaratur. "Justitia justi non liberabit eum in quacumque die peccaverit. . . . . Justus non poterit vivere in justitia sua in quacumque die peccaverit. Etiamsi dixero justo quod vita vivat [nempe, si in sua justitia perseveraverit], et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur." Ezech. xxxiii. 12, 13. Clarissima sunt hæc verba. Nec minus clara sunt facta ex exemplis Adami, Davidis, Salomonis, Petri, et aliorum plurium: de quibus vid. SUAREZ, l. 11, c. 1, n. 9.

Argumenta ex Patribus.

33. "Hoc mirum opinor ut probatus aliquis retro postea excidat? Saul, bonus præ ceteris, livore postea evertitur. David, vir bonus secundum cor Domini, postea cædis et stupri reus est. Salomon," &c. TERTULLIANUS, Præscript. c. 3.

34. "Quantum dolemus ex illis, quos tempestas inimica prostravit, tantum lætamur ex vobis, quos diabolus superare non potuit." S. CYPRIANUS, Epist. 6, n. 1.

35. "Fides ipsa et nativitas salutaris, non accepta sed custodita, vivificat." *Idem*, ibid. n. 2.

36. *Τον μη συζωντα φοβῳ, αδυνατον κατορθουσθαι· ὥσπερ ουν τον εν φοβῳ ζωντα, αδυνατον διαμαρτειν* "Qui non vivit in timore, recte illum agere non est possibile: sicut vicissim cum timore viventem est impossibile peccare." S. JOANNES CHRYSOST. Ad Populum Antiochenum Hom. 15, n. 1.

§ 5. *Solvuntur Objectiones.*

37. *Object.* 1. Inamissibilis est gratia quæ extingui non potest. Talis autem est gratia in omni justo:—"Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam." Canctic. viii. 7.

38. *Resp.* 1°. Si ponatur sermonem in textu esse de amore Dei erga sponsam (sive Ecclesiam sive animam sanctam), nulla est objectio. Idem dicendum, si ponatur sermonem esse de amore Ecclesiæ erga sponsum Christum: 2°. Si ponatur sermonem esse de charitate et gratia in omni anima justa, Distinguo: Nulla vi externa ("aquæ—flumina"), nulla quacumque tentatione sive externa sive interna, ipsa anima nolente, extingui potest gratia: Concedo: Ipsa anima gratiam in se extinguere non potest: Nego: infra, n. 40. "Verba Canticarum solum commendant efficaciam amoris et charitatis si homo illa uti velit: non vero dicunt hominem cogi semper ad utendum charitate, ne tentatione vincatur. SUAREZ, l. c. n. 18.

39. *Object.* 2. "Certus sum enim, quia neque mors,

neque vita, neque angeli, neque principatus, ... neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro." Rom. viii. 38, 39. His diserte affirmatur non solum impossibilitas deficiendi a gratia, sed etiam certitudo illius impossibilitatis absoluta.

40. *Resp.* 1°. Si sermo sit in textu de amore Dei erga nos, nullum eorum quæ memorat S. Paulus illum amorem aut extinguere aut minuere potest. Ista autem interpretatio haud parum suadetur verbis ultimis textûs allati, "a charitate Dei, *quæ est in Christo Jesu,*" et verbis præcedentibus, vers. 29–32, in quibus manifesto significatur amor ille. 2°. Si loquatur Apostolus de amore nostro erga Deum, neque ullum eorum quæ memorat, neque aliarum quarumcumque rerum extra nos, nostram charitatem extinguere potest, nisi nos ipsi prius velimus. Nos ipsi soli sumus qui istam charitatem peccando libere abjicimus. Justis autem semper adest Deus, eis gratias impertiens, quibus omnes tentationes, *omnes* quoscumque hostes, vincere possunt: ex 1 Prop. Jansen. "Benignissimus Dominus, ... eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent gratia sua confirmat, non deserens, nisi deseratur." Conc. Vaticanum, S. 3, c. 3, vers. "Quo fit." 3°. "Certus sum," πεπεισμαι, i. e. certam in Domino spem habeo, persuasum habeo. Ita A. Lapide. Quavis istarum trium responsionum penitus dissolvitur objectio.

41. *Object.* 3. "Charitas nunquam excidit." 1 Cor. xiii. 8. Ergo amitti non potest.

42. *Resp.* Distinguo verum sensum textus a falso: Charitas nunquam excidit, i. e. deperdi et *abjici* non potest ab eam habente: Nego: Charitas nunquam excidit, i. e. ex se, intrinsece et natura sua stabilis et parmanens est, *et*

ideo nunquam excidit, *deficit:* et eo sensu speciatim permanens est, ut, dum aliæ virtutes et dona cum hac vita excidunt et desinunt, ipsa immutata manet in æternum: Concedo. Et hoc est quod hic definite significat Apostolus, ut patet ex verbis insequentibus:—"Charitas *nunquam* excidit: sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. *Ex parte* [imperfecte] enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, *evacuabitur quod ex parte est.*"

43. *Object.* 4. "Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est." 1 Joan. iii. 9. "Scimus quia omnis qui natus est ex Deo non peccat: sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum." Ibid. v. 18. Hic diserte affirmatur justum non posse peccare.

44. *Resp.* Difficilis interpretationis sunt loci illi, ex eo quod minime clarus est sensus locutionum istarum, "natus ex Deo," "generatio Dei," "semen ipsius." Hinc plures sunt eorum interpretationes et veterum et recentiorum. Harum interpretationum duæ sunt quæ ceteris longe probabiliores esse nobis videntur. 1°. Secundum primam, Justus non potest peccare sensu composito, id est (ut ego exponerem), peccatum non potest componi cum justitia, sed eam expellit: justus peccando eo ipso justitiam amittit. Nec dicatur doctrinam hanc esse nimis evidentem et tritam, quæ a S. Joanne tantum urgeretur. Respondeo enim (a), etsi fidelibus bene institutis et vitæ bonæ doctrina hæc clarissima et certissima sit, fuisse tamen ipso ævo Apostolico qui eam nequaquam perspectam habebant, imo qui de ea gravissime errabant, ut satis constat ex

supra dictis, d. 9, n. 70, 90. In hac ipsa Epistola quosdam sui temporis hæreticos improbat, qui tenebant violationem mandatorum saluti non obesse, id est, aliis verbis, peccata componi posse cum justitia, seu peccata justi ei non imputari ut peccata (i. 6; ii. 4; iii. 7, 8; v. 3; &c.). Imo nonne hæc est ipsa hæresis, quam adeo diserte et vehementer prædicavit Lutherus (apud MOEHLER, l. 1, p. 1, § 16, ap. PERRONE, n. 566, not.)? Ipsorum etiam fidelium qui doctrinam Catholicam optime norunt et firmissime credunt et qui etiam eximiæ sanctitatis sunt, non sine fructu iterum iterumque in memoriam revocatur effectus ille peccati mortalis, nempe, extinctio in anima gratiæ sanctificantis eum omnibus bonis quæ eam comitantur: d. 9, n. 9, &c.


45. 2°. Altera est interpretatio, secundum quam non loquitur Apostolus de omni et quovis justo, non de justo ignavo, tepido, sed de justo qui vitam ducit active justam, qui diligenter et constanter media adhibet efficacia ad justitiam suam conservandam et augendam, occasiones peccati vitando, orando, &c. De ejusmodi justo verissimum est eum non posse peccare quamdiu ita vivit. Omnis justus qui a justitia excidit ideo excidit quia non adhibuit media a Deo constituta ad justitiam servandam. Alterutra interpretatione solvitur objectio.

46. *Object.* 5. "Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum: sed ut manifesti sint quoniam non sunt omnes ex nobis." 1 Joan. ii. 19. Ergo qui a justitia excidere videntur reapse non fuerunt vere justi.

47. *Resp.* Sermo est hic non de iis qui quovis modo peccant, sed de apostatis a fide. Distinguo verum sensum textus a falso: Non erant ex nobis fidelibus, nunquam

vere crediderunt: Nego hoc de ullo apostata necessario affirmari, aut de omni verum esse: Non erant ex nobis qui non solum vere credimus, sed firmi et immoti in fide sumus: Concedo. Notissimus est usus ille apud omnes loquendi, secundum quem negatur alicui simpliciter munus seu relatio aliqua ob ejus malam agendi rationem relate ad munus seu relationem illam. Sic de viro effeminato, milite ignavo, principe sordido, &c. dicitur eum non esse virum, militem, principem, &c. Alia exempla vid apud A. Lap. in loc.

Hi sunt textus qui soli difficiles sunt: alii plures a recentioribus objiciuntur, in quibus contra doctrinam Catholicam nihil est.



TRACTATUS DE GRATIA.



PARS QUARTA.

DISP. 12. DE MERITO.

DISPUTATIO DUODECIMA.

DE MERITO.

§ 1. *Notiones Prævia.*

1. De variis sensibus impropriis quos habet vocabulum *meritum* videatur Wiggers, q. 114, n. 1, Proprie acceptum significat, in abstracto, valorem seu bonitatem in opere de se aptam ad obtinendum præmium: in concreto vero est ipsum opus ut habens istum valorem. Ita quoad rem omnes: aliis definientibus meritum in concreto, aliis in abstracto; aliis illud spectantibus ut est in ipso opere meritorio, aliis ut est in operante.

2. Meritum, ut hic accipitur, theologicum seu supernaturale "est actus supernaturalis et liber, a creatura in obsequium Dei præstitus, de se potens Deum movere ad conferendum aliquod præmium supernaturale. Ita communis theologorum. Et per hanc definitionem differt meritum theologicum a merito philosophico et pure naturali, vi cujus creatura non meretur a Deo præmium supernaturale sed solum naturale. Dicitur autem 'de se potens movere' &c. Nam licet Deus a nulla bonitate creata possit moveri ad præmium conferendum, sed solum a sua bonitate, fidelitate et justitia; meritum tamen supernaturale habet tantam proportionem ad vitam æternam, ut Deum ad hanc conferendam posset stricte movere, *si*

voluntas divina esset ejusmodi motionis capax." STRUGGL, q. 1, a. 1, quær. 2°. Undenam autem opus meritorium hanc bonitatem habeat vid infra n. 111.

3. De triplici valore qui in operibus justorum esse potest vid. infra, n. 154.

4. Aliud est meritum de condigno, quod solum proprie et stricte meritum est, et quod significatur nomine meriti simpliciter et sine addito prolati; aliud est meritum improprie dictum quod meritum de congruo vocatur. Censeo opus meritorium de condigno melius hic in limine definiri —Opus in quo habentur omnes conditiones necessariæ ut sit, et ex parte operis et ex parte operantis, omnino et perfecte dignum cui, adjuncta promissione divina, præmium rependatur. Quæ autem sint istæ conditiones infra videbitur, n. 93, &c. Opus meritorium de congruo est opus cui deest quædam una aut altera ex istis conditionibus; quod ergo aliquam dignitatem habet sed non perfectam. Una autem est conditio ad omne opus meritorium, etiam meritorium de congruo minimo, absolute necessaria, nempe, ut fiat ex gratia.

5. Posthac, nisi quando aliter significetur, de solo merito proprie dicto seu de condigno sermo erit. In fine disputationis verbum fiet de altero merito.

6. Objectum meriti, seu ea quæ sub meritum cadunt, necnon et ipsa medulla doctrinæ Catholicæ clarissime proponuntur a Conc. Tridentino, sess. 6, can. 32:—"Si quis dixerit, [a] hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; [b] aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, con-

secutionem atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit."

7. Est ergo de fide I. hominem justum bonis operibus ab eo per Dei gratiam factis vere merere. Et de fide est II. eum istis operibus merere 1°, augmentum gratiæ, 2°, vitam æternam seu gloriam cœli (si in gratia decesserit) habendam, et 3°, augmentum illius gloriæ: infra, 145.

8. Definitur justum *vere* merere: sed nec hic nec alibi definitum est eum *de condigno* merere. Attamen "communis sententia theologorum [paucissimi enim veteres negabant] admittit simpliciter meritum de condigno: quæ sententia verissima est." BELLARM. l. 5, c. 16. "Conclusio est theologica satis certa, quam communiter approbant theologi." SUAREZ, l. 12, c. 1, n. 10. "Quamvis porro, quæ dė hac meriti distinctione ejusque specie ac natura traduntur, explorata sint apud omnes fere Catholicos theologos, ad fidem tamen minime spectant, cum nulla habeatur circa hæc Ecclesiæ definitio, et in controversiam a nonnullis vocentur." PERRONE, n. 631. Censeo sententiam negantem nullam merere censuram—donec Ecclesia aliter statuerit. Censeo ergo sententiam affirmantem non posse vocari theologice certam, ut eam auctor quidam recens vocat: alia est enim conclusio theologica quæ certa est, alia vero conclusio quæ theologice certa est: de Ecclesia, d. 17, n. 7, 22.

9. Vita æterna, seu beatitudo coeli quæ consistit in visione beatifica, vocatur beatitudo essentialis et præmium essentiale. "Est certum, præter essentialem beatitudinem, esse in animabus beatis aliqua accidentalia præmia, quæ nomine beatitudinis accidentalis significari solent. Sic omnes theologi: et habet fundamentum in Scriptura sacra; nam, Luc. xv. 7, dicitur:—'Ita gaudium erit in coelo

super uno peccatore poenitentiam agente,' &c., et infra vers. 10:—'Gaudium erit coram Angelis Dei' &c.; ubi sine dubio est sermo de novo gaudio et extra visionem beatam, de quo intelligi potest illud Psalmi cxlix. 5:—'Exultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis.'" SUAREZ, de Ultimo Fine, d. 11, s. 2, n. 2. Porro "beatitudo accidentalis est quælibet perfectio beati, quæ versatur extra objectum beatificum, quod est Deus, prout beatificum est, id est, prout est clare visus." *Idem*, ibid. n. 4. Cujusmodi est præfatum gaudium de conversione peccatorum, de salute animarum, præsertim in beatis de salute et gloria bonorum sacerdotum (vel aliorum), quorum ope et ipsi salutem suam adepti sunt. Vid. S. ALPHONS. Selva, pars 1, c. 9, n. 22.

10. Sermo hic, contra Protestantes, non est de præmio accidentali sed de præmio essentiali. Insuper sufficit contra eosdem Protestantes meritum vitæ æternæ ejusque augmenti statuere. Hoc enim statuto, et eorundum jam disjecto errore de æqualitate justitiæ in omnibus justis (d. 11, n. 24, &c.), non erit locus controversiæ de merito augmenti hujus justitiæ.

§ 2. *Probatur Doctrina Catholica.*

11. PROPOSITIO. *Justi bonis operibus, quæ per Dei gratiam et Jesu Christi meritum faciunt, vere merent vitam æternam et gloriæ augmentum.*

12. *Argumenta ex S. Scriptura.* ARGUMENTUM I. Ex locis in quibus significatur Deum præmia elargiri intuitu et ratione operum, iisque proportionata; ita ut ei, qui

plura et perfectiora efficit, præmia ampliora reddantur. Est ergo inter opera et præmia proportio quædam, quæ plane supponit in ipsis operibus excellentiam et dignitatem quamdam, in his majorem, in illis minorem. Majus aut minus erit præmium, major aut minor poena, prout opera erant magis aut minus bona vel mala.

13. (a). "Tu reddes unicuique juxta opera sua." Psalm. lxi. 13.

(b). "Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis: et tunc reddet unicuique secundum opera ejus." Matth. xvi. 27.

(c). "Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, &c., propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit." Matth. xix. 29 : vid. etiam vers. 17, 21, infra, n. 18.

(d). "Ecce venio sito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua." Apoc. xxii. 12.

14. *Nota.* In istis textibus, sicut et in textibus similibus, Rom. ii. (n. 21), 2 Tim. iv. (n. 27), vocabulum Græcum, cui respondet Latinum Vulgatæ *reddo*, est *αποδιδωμι*: de quo vid. de Ecclesia, d. 19, n. 507.

15. Dicit KUINOEL sermonem in Matth. xvi. esse de solis malis puniendis; ut patet ex locis parallelis, Marc. viii. 38, Luc. ix. 26.

16. *Resp.* 1°. Hi Evangelistæ multa breviter strictimque repetunt, quæ antea a Matthæo plenius narrata fuere: notissimum est exemplum sermonis Christi in monte, Matth. v., &c. 2°. In Matth. habetur vocabulum *unicuique*, ἑκάστῳ, i. e, et bono et malo, quod non invenitur in Marco aut Luca. 3°. Par esse judicium bonorum et malorum, secundum eorum opera, iterum significatur. Matth. xxv., infra, n. 21.

17. ARGUMENTUM II. Ex locis, in quibus bona opera et vita æterna (sive inchoata hic per gratiam auctam et conservatam, sive consummata in coelis) exhibentur ut causa et effectus, secundum communem illum apud omnes gentes modum loquendi :—" si vis fieri doctus, studio incumbe:" "qui studio incumbit erit doctus :" "quia bene rem gessisti, honorem habebis :" "dives eris, si recte scias mercaturam facere eamque facias." Quibus locutionibus significatur studium non solùm esse conditionem sine qua non, sed medium positivum quo comparatur doctrina; honorem dari ob rem bene gestam, ut ***causam*** honoris ***dignam ;*** mercaturam bene factam ducere ad divitias: d. 10, n. 3.

18. (a). " Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. . . . Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo." Matth. xix. 17, 21.

(b). "Euge, serve bone et fidelis : quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui." Ibid. xxv. 21.

(c). " Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea." Joan. xiii. 17. Beati eritis in terra, gratia aucti ; beati in coelis si in ea permaneatis. *Nota.* Sola beatitudo, quæ assequenda in Scriptura a Deo commendatur, est beatitudo illa supernaturalis.

(d). " Beatus vir qui suffert tentationem : quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se." Jacob. i. 12.

19. Nimis manifestum est in illis textibus significari (a) mandatorum exsecutionem ducere ad vitam, pandere viam ad eam assequendam ; thesauri terreni dimissionem ejusque pauperibus elargitionem ducere ad thesaurum coelestem,

seu specialem quamdam et perfectioram beatitudinem, adipiscendum. Et sic de ceteris. In Jacob. i. (d) præmium habes diserte propositum, ut mediante bono opere dilectionis consequendum: pone dilectionem, habes coronam.

20. ARGUMENTUM III. Poena inferni in damnatos irrogatur propter eorum peccata, ut ipsis peccatoribus debita, et qua omnino digni sunt. Sed eodem prorsus modo, imo iisdem ipsis verbis, exhibentur opera bona relate ad vitam æternam, quibus exhibentur opera mala relate ad damnationem: neque ulla usquam significatur ratio discriminis inter nexum vitæ æternæ cum operibus bonis et nexum mortis æternæ cum operibus malis.

21. (a). "Dicet rex his, qui a dextris ejus erunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare. . . . . Amen, dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis."

"Tunc dicet et his, qui a sinistris erunt: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et Angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare. . . . . Amen, dico vobis, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis." Matth. xxv. 34, &c.

(b). "Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii." Joan. v. 29.

(c). "Qui reddet unicuique secundum opera ejus: iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam, &c. . . . . quærunt, vitam æternam: iis autem qui sunt ex contentione, &c. . . . . ira et indignatio.

"Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum. . . . Gloria autem omni operanti bonum." Rom. ii. 6, &c.

(d). "Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum." 2 Cor. v. 10. Id est, ut unusquisque recipiat quod ipsi debitum est [ἵνα κομίσηται, "the technical word for receiving wages" (i. e. verbum technium pro mercede recipienda). ALFORD], prout se bene vel male gesserit, dum esset in corpore.

22. Si eadem ratione, eodem jure generali, bonis datur vita æterna et malis dantur supplicia æterna (quod textus allati clare significant), ergo, quoniam utrisque dantur propter opera (quod etiam textus clare significant), sicut damnatis statuuntur poenæ propter opera ut male merentia, ita beatis datur vita æterna propter opera ut bene merentia. Sicut illa ergo vere merent poenam, ita hæc vere merent præmium.

*23. ARGUMENTUM IV. Non semel in N. T. insinuatur comparatio inter certamina vitæ Christianæ et certamina ludorum, præsertim Græcorum. A S. Paulo vero explicatius enarratur hæc similitudo.

*24 (*a*). "Nescitis quod ii qui in stadio currunt omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis [ut recipiatis bravium vestro agoni proprium, nempe, coronam incorruptam, de qua jam]. Omnis autem qui in agone contendit [αγωνιζομενος], ab omnibus se abstinet: et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autum incorruptam. Ego igitur [ut me in exemplum proponam] sic curro [τρεχω], non quasi in incertum, sic pugno [πυκτευω, pugnis certo], non quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum" &c. 1 Cor, ix. 24, &c.

*25. *Nota.* 1°. Loquitur S. Paulus et de ludis, in quibus cursu pedum certatum est, et de iis, in quibus pugnis certatum est :—"curro—pugno." Assimulatur autem

vita Christiana hic, ut alibi sæpius, cursui et pugnæ: cursui, quo tenditur ad metam, nempe, cœlum; pugnæ in qua vincendi sunt hostes adversantes, nempe diabolus, mundus et caro. 2°. Bravium (βραβεῖον) erat præmium vincenti in ludis decretum, qualis fuit corona laurea, &c. 3°. "Cum ait *unus*, non negat plures accipere bravium. . . . . Nam similitudo non debet esse per omnia similis, sed tantum in eo, in quo fit comparatio: hic autem fit in eo, quod sicut in stadio qui recte currit accipit bravium; sic et qui recte currit in Christianismo coronam gloriæ accipiet. Quod patet, quia sic explicat se dicens [in numero plurali], 'Sic curr*ite* ut comprehenda*tis*,' non unus sed singuli." A. LAPIDE, in loc.

*26. Ut valeat similitudo et plane insulsa non sit, ea ratione datur bravium incorruptum Christianis propter bona opera, qua datur bravium corruptibile in stadio propter certamen victrix. Atqui in hoc datur propter meritum illius certaminis et ut præmium ejus.

*27. Eandem similitudinem, quam ibi diserte et forma propria enarrat S. Paulus, alio loco in forma metaphorica (quæ semper et essentialiter est similitudo implicita) profert:—

*(b). "Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex: non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus." 2 Tim. iv. 6, &c.

*28. *Nota.* 1°. Dubium nullum esse potest quin eadem hic similitudo insinuetur, quæ aperte significatur 1 Cor. ix. (n. 24): neque ullum vidi auctorem id negantem. 2°. Probabilius illa verba "fidem servavi" significant "in stadio currens fideliter perseveravi." 3°. Mihi multo probabilius

est vocabula "certamen" et "cursum" duo diversa significare; alterum certamen pugnorum, alterum certamen cursus pedum. Sed de his, quod attinet ad sensum dogmaticum et nostrum argumentum, nihil refert.

*29. 1°. Redit argumentum jam datum, n. 26. Habemus enim hic pugnam et cursum vitæ Christianæ victricem, quorum intuitu eadem ratione reddenda, seu potius rependenda est (*αποδωσει*, supra, n. 14. "Shall *award*, more than *give*." ALFORD) corona justitiæ, qua vincenti in ludis decernitur corona laurea vel alia similis. 2°. Sicut justus judex iis qui in ludis vicerunt, ob merita et secundum merita (præter præmia enim prima alia erant inferiora), præmia distribuebat, ita Deus, infinite et per essentiam justus judex, propter merita et secundum ea, sua reddet præmia.

*30. Initio hujus argumenti, n. 23, dixi similitudinem istam, præter duos hos locos, in quibus diserte enarratur, sæpius in S. Scriptura maxime a S. Paulo insinuari. Textus quosdam indicabo, in quibus inveniuntur ista nomina quasi ludorum solemnia, *certamen, cursus,* &c.

*31. (a) *Certamen:* "Idem certamen habentes, quale et vidistis in me, et nunc audistis de me." Philip. i. 30. "Certa bonum certamen fidei." 1 Tim. vi. 12. Ita et Hebr. xii. 1, et alibi. (b) *Certo:* Col. i. 29. (c) *Cursus:* Act. xiii. 25. (d) *Curro:* Galat. ii. 2; v. 7. (e) *Corona:* Apoc. ii. 10; iii. 11. (f) *Corono:* 2 Tim. ii. 5.

*32. Quæ cum ita sint, dicendum est vel opera bona nostra vere et proprie merere, vel similitudinem istam non ad illustrandum adhiberi sed ad fallendum.

*33. ARGUMENTUM V. Ex locis in quibus salus æterna exhibetur ut opus a nobis efficiendum, finis nostro labore assequendus. Si autem opera nostra non vere mereant

vitam æternam, nullo modo, nulla ratione affirmari potest hæc inter opera et salutem relatio. Ponuntur enim opera ut causa *positiva* ex quibus (non physice quidem sed moraliter) effertur salus ut effectus; eodem modo quo opus aliquod labore manuum (physice) efficitur.

*34 (*a*). "Quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis [Gr. operatur nobis *κατεργάζεται ἡμιν*]." 2 Cor. iv. 17.

* (*b*). "Cum metu et tremore vestram salutem operamini." Philip. ii. 12.

35. ARGUMENTUM VI. Ex locis in quibus vita æterna, positis bonis operibus, et patenter intuitu eorum et ob ea, vocatur Merces, Bravium, Remuneratio, Retributio: *Μισθος*, *Βραβειον*, *Μισθαποδοσια*, *Ανταποδοσις*. Hæc omnia unum et idem clarissime sonant, nempe, præmium et mercedem operis, et, ut aiunt, "quid pro quo."

36. *Merces.* "Beati estis cum maledixerint vobis . . . . propter me. Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis." Matth. v. 12.

"Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum, in nomine discipuli . . . . non perdet mercedem suam." Ibid. x. 42.

"Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem." 1 Cor. iii. 8.

37. *Bravium.* "Ad destinatum prosequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu." Phil. iii. 14: supra, n. 24.

38. *Remuneratio.* "Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem." Hebr. x. 35.

"Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum

improperium Christi, aspiciebat [Moyses] enim in remunerationem." Ibid. xi. 26.

"Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est et inquirentibus se remmunerator sit." Ibid. 6.

Nota. 1°. Idem vocabulum, ibid. ii. 2, adhibetur ad significandam punitionem: vid. supra, n. 20, &c. 2°. Μισθαποδοσια, "Retributio seu solutio mercedis promeritæ seu stipendii. . . . . Remuneratio in utramque partem, h. e. et præmiorum largitio et distributio et pœnæ immissio." SCHLEUSNER. "Εχει μισθαποδοσιαν μεγαλην, jus habet ad magna præmia." ROSENMULLER, in x. 35. "Mercedis redditio." BENGEL, ibid.

39. *Retributio.* "Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino et non hominibus, scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis." Coloss. iii. 24.

40. *Retribuo:* *ανταποδιδωμι.* "Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos et cæcos: et beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione justorum." Luc. xiv. 13, 14.

Eodem sensu hoc vocabulum usurpatur in V. T. 2. Reg. xxii. 21; Psalm. xvii. 21. Et in V. et N. T. usurpatur ad significandam punitionem, ut in Rom. xii. 19; 2 Thess. i. 6; &c. Vid. supra, n. 20.

Argumenta ex SS. Patribus.

41. "Quomodo multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? Quomodo et stella a stella distabit in gloria [1 Cor. xv. 41], nisi pro diversitate radiorum?" TERTULLIAN. Adversus Gnosticos, c. 6.

42. Αμφοτεροι [δικαιος, πονηρος] γάρ το κατ' αξιάν

αποληψονται εκει, ὁ μεν τους στεφανους της ὑπομονης και της καρτεριας, ὁ δε τας κολασεις και τας τιμωριας της πονηριας. "Ambo [justus et improbus] siquidem pro dignitate [merito] recipient illic [in seculo futuro], hic quidem coronas patientiæ tolerantiæque, ille vero supplicia pœnasque improbitatis." S. JOAN. CHRYSOST. 4 Hom. in Lazarum, n. 2.

43. "Videas enim in Ecclesia imperitissimos quosque florere.... Et e contrario eruditum virum latere in obscuro, persecutiones pati.... Hæc autem fiunt, quia incerto statu feruntur omnia, et non est in præsenti retributio meritorum, sed in futuro." S. HIERON. in Ecclesiasten, ix.

44. "Post obitum utriusque, pauper erit in sinu Abrahæ requiem habens, dives in suppliciis. Nonne evidens est meritorum aut præmia aut supplicia post mortem manere?" S. AMBROSIUS, de Officiis, 1, 1s c. 15.

45. *Αυτοι* [*ἁγιοι*] *μεν θειων αναμεστοι χαρισματων, πονοις και ἱδρωσιν ἑλοντες το δωρον, και δια μυριων ὁσων αγωνων ελασαντες.* "Ipsi [sancti] revera divinis pleni sunt charismatis, laboribusque ac sudoribus hoc donum perceperunt, infinitaque certamina percurrerunt." S. CYRILLUS Alexand. de Adoratione in Spiritu, l. 4 (tom. 1, p. 117).

46. "Tanta est erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona; et pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus." S. PROSPER, Liber in quo proferuntur auctoritates &c. c. 9 (al. 12). Similiter S. AUGUST. Epist. 194, n. 19; Confess. l. 9, c. 13, n. 34; et alibi sæpius.

47. "De quibuslibet substantiis, quarum utique non una mensura est, potest esse par meritum, si inter diversas conferentium quantitates non sit minor cujusquam pietas quam facultas...,In die retributionis non modus judica-

bitur censuum, sed qualitas voluntatum." S. LEO M. Sermo 11, n. 2: est de eleemosynis quas Collectas vocabant.

48. "Hic merita comparari, ibi autem præmia reddi fatemini." S. AUGUST. contra Julian. l. 2, c. 101, et alibi sæpius.

§ 3. *Solvuntur Objectiones contra Argumenta.*

49. *Object.* 1: contra Argum. 1, n. 12. Alium alio majori in coelo gloria augeri ex ordinatione Dei est pure libera: ergo nullomodo ex merito diverso bonorum operum. LINFORD (olim Decanus Westmonasteriensis) apud GIBSON, x. 385.

50. *Resp.* 1°. Distinguo antecedens: Ex pure libera ordinatione Dei ordinantis ut bona opera remuneraret secundum eorum gradus excellentiæ, et propter eam: Concedo: Ordinantis ut majorem aut minorem gloriam daret, nulla habita ratione diversæ excellentiæ istorum operum: Nego: hoc enim aperte contradicit manifesto textuum sensui. Sermo est in textibus de operibus bonis, et in Matth. xix de iis solis: et dicitur in textibus gloriam dandam esse secundum opera ista. His diserte contradicit qui affirmat rationem non haberi operum in gloria impertienda.

51. 2°. Dist. consequens: Ex merito diverso bonorum operum in se spectatorum: Concedo: in se enim nullum meritum habent vel habere possunt: Quatenus opera dignitatem habent supernaturalem, utpote facta ex gratia a grato et filio Dei adoptivo et a Deo ut meritoria acceptata et coronata, quæ dignitas major aut minor est secundum

majorem aut minorem numerum et excellentiam operum: Nego: infra, n. 111.

52. *Urgetur.* Istis textibus tantum significatur bonos omnes esse salvandos, omnes malos damnandos. *Idem*, p. 386.

53. *Resp.* Nego: clare enim significatur omnes salvandos esse aut damnandos *propter* eorum opera et *secundum* ea.

54. Contra argumenta 2 et 3 nullam reperi allatam objectionem quæ responsione digna esset. Quod dicit ALFORD in Rom. ii. 6, nempe, S. Paulum in hac ipsa Epistola docere neminem operibus legis justificari posse (et ergo nulla opera meritoria esse posse) jam disjectum est: d. 10, n. 65, &c.

*55. *Object.* 2: contra Argum. 4, n. 23, &c. Nihil est in textu 2 Tim. iv. quod repugnet doctrinæ Calvinisticæ de fide sola justificante. ALFORD ex CALVINO.

*56. *Resp.* 1°. Non est sermo ullus in textu de justificatione peccatoris vel de modo quo hæc justificatio comparatur, sed de ipso Paulo, jam a multis annis viro eximie justo, et de ceteris jam justificatis. 2°. Esto, nihil esse in textu quod repugnet doctrinæ Protestanticæ de fide justificante; est autem quod directe et aperte repugnat doctrinæ Protestanticæ quæ meritum negat bonorum operum. Et ne unum quidem verbum profert aut Calvinus aut Alford, quo ista repugnantia vel tollatur vel minuatur.

*57. *Object.* 3: contra Argum. 5, n. 34. In Phil. ii. 12, Græcum vocabulum, κατεργαζεσθε, male redditur Anglice "work out" (operamini), quasi salus nostra a nobis efficienda esset: melius redderetur "carry out—bring to an accomplishment" (ad finem perducite—exsequimini). ALFORD.

*58. *Resp.* 1°. Ita nobiscum reddunt auctores Protes-

tantici passim, Versio Anglica, PARKHURST, ROBINSON, &c. 2°. Quid ista nova translatione suæ causæ lucrandum esse existimaverit hic scriptor videre non possum: in illa enim translatione, sicut in alia communi, clare significatur salutem nostram operatione nostra assequendam esse. 3°. "Quasi salus nostra a nobis efficienda esset:" Distinguo: Deo eam in nobis et nobiscum operantibus operante: Concedo: Aliter: Nego: statim enim subjungit Apostolus, "Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere."

59. *Object.* 4: contra Argum. 6, n. 35, &c. Merces, Matth. v., præmium est ex *gratia* non ex *debito:* quam distinctionem facit ipse Apostolus, Rom. iv. 4. LINFORD, l. c. p. 382; ALFORD.

60. *Resp.* 1°. Distinguo: Præmium est ex gratia et debito simul: ex gratia, in quantum ex gratia opus meritorium incipit et efficitur; ex debito, in quantum opus ita factum excellentiam suam coram Deo habet, et maxime in quantum Deus, qui operi bono vitam æternam ut verum præmium et mercedem promisit, promisso suo stare debet: Concedo: Est ex gratia, sine ullo intuitu boni operis et promissionis Dei: Nego. 2°. In isto loco Rom. loquitur S. Paulus de operibus naturalibus et sine gratia factis, uti ostendimus, d. 10, l. c.

*61. De objectione contra Coloss. iii. (n. 39), quam insinuat ALFORD, vid. infra, n. 76.

§ 4. *Solvuntur Objectiones contra Propositionem.*

62. *Object.* 5. Datur vita æterna ex misericordia:— "Qui coronat te in misericordia et miserationibus."

Psalm. cii. 4: item Matth. v. 7. Quod autem datur ex misericordia non datur ex debito seu propter meritum.

63. *Resp.* Dist. minorem: Non datur ex debito, quod ipsum non fundatur in misericordia: Concedo: Quod ipsum totum ex misericordia est: Nego. Quod homo ex peccatore fiat justus ex misericordia est: quod existens justus opus meritorium incipiat et exsequatur ex misericordia est. Omnia enim sunt ex gratia, opus ipsum ejusque initium. Quod Deus promiserit coronam pro bonis operibus, cum potuerit non promittere et nullo modo ad id tenebatur, ex misericordia est. Vita æterna est ergo et merces et misericordia. Vid. S. AUGUST. de Correptione et Gratia, c. 13, prope finem.

64. *Object.* 6. Vita æterna datur omnino gratis et sine ullo merito, ex Isai. lv. 1:—"Omnes sitientes venite ad aquas: et qui non habetis argentum, properate, emite et comedite: venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione, vinum et lac."

65. *Resp.* Sermo non est in isto loco de vita æterna sed de Ecclesia Christi et vocatione ad eam, ut manifestum est ex cap. liv. præcedente, quod totum in illis argumentis est, et ex sequentibus in hoc ipso capite, v. g. vers. 4:—"Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus." Vocatio autem ad fidem et Ecclesiam Christi fit sine ullo merito bono imo cum multis meritis malis: ut docet S. Paulus, Rom.

66. *Object.* 7. Servus inutilis non potest merere. Sed omnis justus, etiam positis operibus quæ meritoria vocantur, servus est inutilis:—"Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus." Luc. xvii. 10.

67. *Resp.* 1°. Dist majorem: Qui omni sub respectu inutilis est: Concedo: Qui, etsi domino suo inutilis, in quem nullum beneficium conferre potest, sibi tamen utilis est: Nego. 2°. Dist. minorem: Se pro inutili, sensu mox exponendo, habere debet—"*dicite,* servi inutiles sumus:" Concedo: Eum esse absolute et omni sub respectu inutilem affirmat Christus: Nego.

68. Tanta est infirmitas nostræ naturæ, tantaque nostra proclivitas ad vanam persuasionem de operibus nostris non tantum vere sed etiam simulate bonis habendam, quod summo et perpetuo studio nobis incumbendum est ut, in omnibus et singulis operibus bonis, et eo magis quo meliora sunt, non eorum bonitatem, quæ a Deo est, spectemus, sed nostram per nos et ex nobis vilitatem et indignitatem et absolutam impotentiam ad opus salutare quodcumque, etiam minimum, præstandum. Et hujusmodi consideratio et æstimatio, cum verissima sit et ab omni mendacio et falso judicio aliena, magnum est illud et efficax medium ad conservandam humilitatem et omnem sensum superbum et sibi complacentem reprimendum. Est medium quo usi sunt omnes sancti et quod commendarunt: quo neglecto tot animæ misere perierunt. Scripturæ scatent exemplis. Sic Abraham, cum esset jam eximie justus et post Angelos hospitio susceptos, dixit (et quod ore dixit imo corde sensit), "Quia semel coepi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis." Genes. xviii. 27. Sic et Moyses, cum esset magnis et naturæ et gratiæ donis auctus, solam suam infirmitatem spectavit et etiam Deo jubenti demisse objecit. Exod. iii. 11; iv. 10.

69. Ita, ut se securum a ruina servet, perseveranter agere debet homo, ita de seipso et operibus suis bonis judicium facere: idque est quod hic præcipit Christus. Longe

vero alia lege opera illa Deus, supremus judex, inspicit; et ut sunt in se tota, et ut sunt ex ejus gratia facta et elevata et exornata, ipso ea in nobis operante, ea coronabit. Qui enim per Apostolum (Jacob. iv. 10), monens nos, dixit, "Humiliamini in conspectu Domini," per eundem, promittens nobis, dixit, "Et exaltabit vos." Et qui, secundum præceptum Domini, se pro servo *inutili* habet, audiet ab eo dulcia verba illa, "Euge, serve *bone et fidelis.*" Matth. xxv. 23.

70. Hæc interpretatio hujus loci mihi verior esse videtur. Aliæ autem sunt interpretationes, quibus quoque funditus disjicitur objectio; quas, cui hæc displicet, videat apud MALDONATUM.

71. *Object.* 8. "Stipendia [οψώνια] peccati, mors: gratia [χαρισμα] autem Dei, vita æterna, in Christo Jesu." Rom. vi. 23. Si detur meritum, stipendium ejus est vita æterna, æque ac mors æterna peccati stipendium est. Sed sic res non est: quia 1°, S. Paulus vitam æternam vocat gratiam et non stipendium; 2°, *stipendio* mortis per antitheton opponit *gratiam* vitæ æternæ.

72. *Resp.* 1°. Nego majorem. Mors enim æterna est purum stipendium, puræ justititiæ opus, sine ulla gratia: vita autem æterna stipendium est quod in gratia totum fundatur, etiam quatenus in promissione Dei fundatur, hæc enim promissio pure gratuita est. Vid LESSIUS de Pefectionibus Divinis, l. 13, n. 194.

73. 2°. Dist. minorem: Vocat &c. opponit &c. quia voluit significare vitam æternam nullo modo vere stipendium esse: Nego: Ob alias graves rationes: Concedo. Res, quæ in quibusdam similes sunt, et ad idem quoddam genus pertinent, eodem nomine aut cum eodem apposito generico jure indicas: ut si opus aliquod Suarezii et opus

aliquod Platonis opera aurea vocares, aut si carmina Isaiæ et Homeri vocares aurea carmina, aut etiam carmina divina. Dantur autem circumstantiæ, in quibus, ad gravem errorem præcavendum, necessarium est ut ea diversis nominibus indices: ut si, in exemplis datis, quæstio esset de excellentia istorum operum et carminum in ordine theologico et sacro; tunc enim ea nec divina nec aurea vocare posses.

74. Non solum præter ejus propositum esset, sed isti proposito valde adversaretur, si S. Paulus ibi verbum faceret de operibus bonis ut stipendium merentibus Quoniam enim, ut dictum est, d. 10, multi tunc Romani, Judæi et Græci, adeo in doctrina Christiana peregrini erant, ut sibi jus ex eorum operibus naturalibus et legalibus vindicarent ad vocationem ad fidem Christi, totus est S. Paulus in ista parte Epistolæ ut ostendat istorum operum sterilitatem, et ruinam quam inferunt mala opera, qualia, ante eorum conversionem, fuere opera tam Judæorum quam gentilium. Quasi diceret in textu objecto cum præcedentibus conjuncto:—"Tantum abest ut, per opera vestra et alia jura prætenta naturalia merueritis vocationem ad fidem ut stipendium eis debitum; ut e contrario per opera quæ fecistis, utpote mala et pessima, meriti estis aliud stipendium, nempe, mortis. Vita autem æterna ad quam jam vocati estis, et quam habetis inchoatam ['nunc vero liberati a peccato.... habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam:' vers. 22], non est ejusmodi stipendium, sed est gratia quam Christus meritus est pro vobis." Cum de solo isto stipendio suis operibus debito cogitarent Romani, hinc (cum vita æterna est et stipendium et gratia, et hæc maxime et imprimis) recte et 'issime Apostolus eam non ut stipendium sed ut

gratiam spectat. Eam autem esse vere stipendium nostris argumentis jam demonstratum est.

75. *Object.* 9. Omnes justi sunt hæredes, et ipsis vita æterna per modum hæreditatis obvenit: ut constat ex Rom. viii. 17; Col. iii. 24, et aliis locis. Sed hæredi obvenit hæreditas ex solo jure hæreditario, sine opere meritorio.

76. *Resp.* 1°. Dist. majorem: Hæredes sunt, sicut et filii, per adoptionem: Concedo: Naturales: Nego: Christus solus est filius et hæres Dei naturalis. 2°. Dist. minorem: Hæredi naturali: Transeat: Hæredi adoptivo: Subdistinguo: Si nullam ejusmodi conditionem apposuerit adoptans: Concedo: Si apposuerit: Nego. Jamvero Deum apposuisse conditionem meriti pro adultis (infantes enim baptizati morientes sine merito proprio, cujus incapaces sunt, ex solo jure hæreditatis recipiunt vitam æternam: d. 9, n. 26), constat 1°, ex textibus in probatione allatis; 2°, ex textibus indicatis in objectione:—"Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, *si* tamen compatimur, *ut* et conglorificemur." Rom. "Quodcumque facitis, ex animo *operamini*, sicut Domino et non hominibus, scientes quod a Domino accipietis *retributionem* hæreditatis." Col. Simul hæredes sumus et servi seu operarii:—"Euge, *serve* bone et fidelis," &c. "Satagite, ut *per* bona *opera* certam vestram vocationem et electionem faciatis." Matth. xxv. 23; 2 Pet i. 10.

77. *Object.* 10. Ut opus sit vere meritorium, proportio inter illud et præmium existere debet. Sed nulla est proportio v. g. inter potum aquæ frigidæ pauperi sitienti datum et æternam gloriam coeli.

78. *Resp.* 1°. Dist. majorem: Debet esse proportio aliqua: Concedo: Proportio perfecta et æqualitatis, qualem

exigit justitia commutativa: Nego. 2°. Dist. minorem: Non est proportio perfecta et æqualitatis: Concedo: Non est proportio quædam vera etsi minus perfecta: Subdistinguo: Opere in se et physice spectato: Concedo: Spectatis circumstantiis quæ operis dignitatem efficiunt, maxime promissione Dei: Nego: vid. infra n. 111 et supra, n. 34–6.

79. Quod attinet ad exemplum potûs aquæ frigidæ; 1°, ipsum est exemplum operis meritorii a Christo propositum, Matth. x. 42. 2°. Exemplum est aptissimum ad ostendendam magnam vim gratiæ, quæ opus in se adeo leve tantùm elevat et exornat. Infinite enim præstantior est mutatio (ut ita dicam) operis naturalis etiam in suo ordine pretiosissimi in opus supernaturale etiam minimum, quam esset transmutatio glebulæ luti in aurum aut gemmam: d. 3, n. 48, &c..et 61.

80. Gloria coeli æterna excedit quidem opera meritoria excessu perfectionis actualis non autem excessu virtutis. "Gratia enim præsens est ad instar seminis. Semen autem, licet non sit æquale arbori quantum ad molem, est tamen æquale in virtute: est enim in eo virtus ad totum arborem [efferendum]. Ita similiter, licet gratia gloriæ sit perfectior actu quam gratia et opera viæ, est enim gratia consummata; hæc tamen ejus perfectio continetur in virtute gratiæ viæ, sicut perfectio arboris continetur in virtute seminis, quatenus per gratiam viæ virtus Spiritus Sancti qui habitat in nobis, est sufficiens causa gloriæ ad quam continuo tendit, sicut virtus generantis in semine tendit ad arborem ut ad terminum sibi commensuratum." BILLUART, d. 8, a. 3.

81. *Urgetur.* Diserte affirmat S. Paulus opera bona non esse digna præmio vitæ æternæ;—"Non sunt condignæ

passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis." Rom. viii. 18.

82. *Resp.* Distinguo verum sensum textus a falso: Passiones nostræ, ut *passiones* i. e. spectata earum acerbitate et spectato tempore quo durant exiguo, non sunt dignæ, imo quasi nihil sunt, cum gaudiis *æternis* coeli collatæ: Concedo: Ut opera supernaturalia, meritis et passionibus Christi elevata et aucta: Subdistinguo: Non sunt dignæ dignitate æqualitatis: Concedo: Dignitate proportionis: Nego. Hanc distinctionem alio in loco clare significat Apostolus:—"Id, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis." 2 Cor. iv. 17: supra, n. 33. "Sicut semen, licet in se exiguum, vim tamen et efficaciam seminalem habet producendi flores, frondes et fructus; ita tam passio quam actio manans ex gratia et charitate Dei, licet in se exigua sit, vim tamen habet et efficaciam producendi....moraliter et meritorie gloriam coelestem..... Sicut modicum auri valet equum aut bovem, tum sui valore et pretio, tum ex institutione et æstimatione hominum; sic modicum in se opus ex gratia factum meretur vitam æternam, tum sua ipsius dignitate et pretio, tum ex promissione et institutione Dei." A LAPIDE, in loc. Videatur LESSIUS, de Perfectionibus Divinis, l. 12, n. 79, &c., l. 13, n. 194–5, et de Summo Bono, l. 2, n. 5 et l. 4, c. 7, n. 3.

83. *Object.* 11. Opera nostra, quæ etiam optima esse videntur, sunt omnia aliquo modo mala; et potius misericordiæ et veniæ quam præmii objecta sunt. Ita multi in his regionibus scriptores Protestantici.

83a. *Resp.* Dist. primam propositionem: Omnia opera justorum (de solis enim justis hic sermo est) sunt aliquo

modo mala: Nego: Aliqua opera, et eorum qui non sunt conscientiæ timoratæ forsan plura aut pleraque, circumstantiis leviter malis subortis, ad substantiam operum non pertinentibus, plus minus maculantur: Subdistinguo: Et istæ maculæ minuunt meritum: Transeat: Tollunt: Nego. Sic, si quis gratia actus sese ad orandum per semihoram accingat, et per totum illud temporis spatium, quantum potest, attente et devote orationi incumbat—nisi quod momentanee mens ejus semideliberate aut etiam deliberate interdum distrahatur, ita ut omnes istæ mentis evagationes simul conjunctæ nonnisi quinque circiter momenta occuparent; poenam sane pro his distractionibus, in quantum voluntariæ sunt, meret; quis vero non videt ideo non extingui aut impediri meritum ceterorum viginti quinque momentorum? Hæc enim fuere opus Dei operantis in homine cooperante; illa autem purum opus hominis infirmi, varii et mutabilis. Non ergo tollitur meritum, sed an etiam minuatur? Dixi "transeat" contra præsentes adversarios: vid. infra, n. 195.

84. Quod urgent ex Jacob, iii. 2 nihil est:—"In multis offendimus omnes." *Resp.* Distinguo: In omnibus: Nego: In multis: Subdistinguo: Venialiter et ex infirmitate: Concedo: Graviter aut ex malitia: Nego.

85. Quod attinet ad hæresim Calvinistarum dicentium omnia opera nostra totidem esse peccata mortalia—1°. Evertitur argumentis ad hanc nostram propositionem firmandam allatis: si enim opera sint meritoria vere, ergo non sunt peccata mortalia. 2°. Convulso fundamento quo hæc nititur hæresis (d. 9), et ipsa illico corruit. 3°. Alibi a theologis directe disjicitur. De textu objecto ex Isai. lxv. 6 vid. A LAPIDE in loc.

86. *Object.* 12, ex dignitate et efficacia meritorum

Christi per nostram doctrinam derogata et diminuta. Hæc objectio, quam usque ad hunc diem tanti faciunt adversarii, revera non solum levissima est sed perabsurda. De ea dicit BELLARMINUS (l. 5, c. 5, *Octavo*) et post eum SUAREZ (c. 1, n. 16) :—" Hoc argumentum, quanto ab adversariis magis rhetorice vel potius tragice amplificatur, tantum, cum discutitur, inanius invenitur." Capita autem objectionis hæc sunt. 1°. Merita Christi sunt per se sufficientia, absque ullo opere nostro : doctrina Catholica facit ea insufficientia, et sic eorum dignitatem deprimit. 2°. Si opera nostra sint meritoria propter merita Christi, ergo sunt æque meritoria ac opera Christi (STILLINGFLEET apud GIBSON, xiii. 247). 3°. Doctrinâ Catholicâ dividitur gloria inter Deum et hominem; et 4°, fovetur superbia nostra et arrogantia.

87. *Resp.* Hæc omnia ab eodem BELLARMINO (quem sequitur SUAREZ, ibid.) adeo clare et invicte et funditus disjecta sunt, ut nihil addi necesse sit, et fere nihil addi possit. Ad *primum*. 1°. Merita Christi per se non solum sufficientia sunt, sed adeo sufficientia ut per ea et propter ea salvari possent omnes omnino homines absque ullo eorum opere meritorio vel etiam simplicitur bono, quomodo salvantur infantes baptizati, si ita Deus voluisset. Non ex insufficientia meritorum Christi oritur necessitas operum nostrorum, sed quia Deus lege positiva statuit ut vitam æternam non assequeremur nisi quibusdam mediis, inter quæ sunt opera meritoria, nobis ista merita applicarentur. Eodem modo in ordine naturali utitur mediis ad effectus efficiendos, v. g. sole ad mundum illuminandum, etsi sine illis mediis directe aut per alia media illos effectus producere posset.

88. 2°. " Merita justorum non opponuntur meritis

Christi, sed ab illis nascuntur ; et quidquid ipsa justorum merita laudis habent, id *totum* redundat in laudem meritorum Christi. Ipse est enim vitis, nos palmites: et, sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, sic et nos nihil possumus sine Christo facere. Et sicut nemo unquam ita desipuit, ut diceret detrahi de gloria vitis, si palmites ipsius multum fructum adferant. Ita nemo, nisi plane stultus, dicere potest detrahi de gloria Christi, si servi ejus, per gratiam ejus, per spiritum ejus, per fidem et caritatem, ab ipso inspiratam bona opera faciant, quæ ita vere sunt justa, ut eis debeatur a justo judice corona justitiæ."

89. 3°. Tantum abest ut meritis nostris gloriæ et efficaciæ meritorum Christi detrahatur, ut e contrario exinde his meritis specialis gloria et efficacia accedat. Nobis enim non solum meruit vitam æternam, sed etiam meruit ut opera nostra per eum in gratia facta tantam haberent dignitatem ut ipsa ejusdem meritoria essent. "Sicut quod causæ naturales possint aliquid efficere, non derogat infinitæ potentiæ et efficientiæ Dei, sed potius illius virtutem ostendit: quia non solum virtutem efficiendi habet, sed etiam potest alios efficientes efficere, servata sibi nihilominus semper propria excellentia primæ et universalis et independentis causæ." SUAREZ, l. c.

90. Ad *secundum*. 1°. Distinguo: Si merita nostra spectari possint ut meritis Christi opposita et ab iis ullo modo independentia: Transeat: Si sint tota ab iis derivata et tota in iis nixa, neque aliter aut esse aut spectari possint: Nego. 2°. Plura opera facere possumus propter potentiam Dei nobis ea faciendi potentiam impertientis: ergo æque potentes sumus ac Deus, i. e. omnipotentes sumus!

91. Ad *tertium*. Responsio patet ex dictis. "Nam

merita nostra dona sunt Christi: et, quamvis in opere bono, quod nos, Deo juvante, facimus nihil sit nostrum quod non sit Dei, neque aliquid sit Dei quod non sit nostrum, sed totum faciat Deus et totum faciat homo; tamen ratio, cur id opus sit dignum vita æterna, tota pendet a gratia." BELLARM.

92. Ad *quartum*. 1°. Doctrina divina nunquam ipsa creare seu excitare superbiam potest, etsi homines pravi et perversi ea male uti possint, et exinde, sicut ex aliis rebus bonis et optimis, desumere occasionem peccandi: quod hominibus, non doctrinæ, vitio vertendum est. 2°. Doctrina Catholica (ut nil jam dicamus de doctrina Protestantica) non solum apta non est ad superbiam ciendam, sed e contrario valde efficax est in humilitate fovenda. Quo magis enim aliquis gratiis et meritis exornatur, cum hæc omnia a Deo sunt, eo magis timere debet offendere Deum; *tum* quia sibi adeo bonus et beneficus fuit, *tum* ne a Deo deseratur, et in peccata prioribus pejora ruat. Hae est quod significat S. Paulus, Phil. ii. 12, 13 ("Cum metu et tremore &c. Deus est enim &c.); et ita egerunt omnes Sancti.

§ 5. *De conditionibus ad meritum de condigno necessariis.*

93. Conditiones sunt ex parte operis, ex parte operantis et ex parte Dei. I. Ex parte operis requiritur 1°, actus positivus, nec sufficit mera omissio seu carentia actus. Mera enim omissio non est voluntaria: alioquin dormiens mereret. Si quis autem actu positivo omittat malum ad quod tentatur, hæc non est *mera* omissio sed actus positivus voluntatis malum illud rejicientis. Et, etiamsi fieri posset ut malum evitetur per simplicem suspensionem

omnis actus, hæc "suspensio actûs boni non est laudabilis sed otiosa, imo et moraliter periculosa: ergo talis modus non operandi malum non potest esse meritorius." SUAREZ, c. 2, n. 8. STRUGGL. (q. 1, a. 2, n. 5) dicit hanc esse communem sententiam theologorum.

94. 2°. Actus debet esse liber non solum a coactione sed et a necessitate. Hoc, quoad ordinem præsentem, de fide est, ex prop. 3 Jansenii. An vero Deus, de potestate absoluta et in alio ordine, posset statuere ut opera etiam ex necessitate facta essent meritoria? Nihil de hoc definitum est. Communior autem et verior sententia negat: sicut enim opus malum necessarium non potest esse poena dignum, ita nec opus bonum necessarium potest esse præmio dignum. SUAR. c. 3, n. 6. Deus quidem in vitam æternam acceptare potest opera omnino involuntaria, sicut acceptavit martyrium sanctorum Innocentium: ast ea non acceptat ut meritoria; sed, cum Dominus sit gloriæ supremus, cui vult et quomodo vult eam elargiri potest. HENNO, q. 2, a. 2, conc. 2.

95. 3°. Opus meritorum debet esse moraliter bonum. Opus enim malum non præmio sed poena dignum est. Opus vero indifferens (si dari possit in individuo) "non est cur potius sit præmio quam poena dignum: nam, si non meretur poenam quia caret malitia, etiam non meretur præmium quia caret bonitate. Imo recte dicere possumus, eo ipso quod bonitate caret, mereri carentiam præmii: quod potius est demereri quam mereri." SUAREZ, c. 4, n. 2.

96. An vero opus in se bonum, si aliqua circumstantia mala vitietur, eo ipso careat merito? Vid supra, n. 83 et infra, n. 195.

97. Non solum non requiritur ad meritum ut opus sit

supererogationis; sed opus præceptum, per se et ceteris paribus, magis est meritorium quam idem opus non præceptum: in priori enim adest meritum tum operis in se tum obedientiæ

98. Imo opus in se indifferens, quod nec consilii nec præcepti est, potest effici meritorium, ut ambulatio, animi remissio. Hæc enim præstari possunt, v. g. a professore, confessario, &c. ut aptior reddatur ad officia sua exsequenda, ad majorem Dei gloriam et salutem animarum.

99. 4°. Debet esse supernaturale in principio, i. e. ex gratia procedere: alioquin ne quidem simpliciter salutare esset, nedum meritorium. In his quatuor conditionibus apponendis omnes, quod sciam, graves auctores unanimes sunt. Sed de hac quarta conditione duæ moventur quæstiones. 1°. Utrum sufficiat principium gratiæ habitualis, an vero requiratur etiam gratia actualis? Sententia affirmans necessitatem gratiæ actualis longe communior est et mihi probabilior: vid dicta d. 3. n. 119–121, et VASQUEZ, d. 217, n. 40, &c.

100. 2°. An opus meritorium debet esse supernaturale non tantum in principio sed etiam in motivo, i. e. fieri propter motivum ex fide, et non ex mera ratione naturali, cognitum et creditum? Sententia communior (et, ut mihi videtur, multo communior) affirmat: argumenta autem quæ ad eam probandam passim apud auctores, excepto SUAREZIO (c. 10, n. 16–18), inveniuntur mihi satis firma non sunt. Præcipui argumenti eximii doctoris summa hæc est. Fides exhibetur in Scriptura (Rom. iv. 3; Gal. v. 6; Jacob. ii. 21,22) ut radix et fundamentum omnis justificationis, non solum primæ sed secundæ, seu omnis augmenti gratiæ sanctificantis, et ergo omnis meriti: quod verum non esset, si opus ex motivo ratione sola seu fide pure

humana apprehenso factum, et ergo bonum tantum moraliter, esset meritorium.

*101. Contra hoc duo *objici* possunt. 1°. Conclusio ista nequaquam ex textibus indicatis sequitur. 2°. Sufficit ad opus in se tantum moraliter bonum elevandum ad ordinem supernaturalam et meritum, ut ex principio gratiæ, et quidem actualis in homine justo, procedat.

*102. His *responderi* potest: ad 1, Concedendum est istam conclusionem nec certo nec clare ex textibus sequi. Ad 2, Deus, in præsenti ordine saltem, non dat gratiam justificantem, sive primam sive secundam, nisi interposita fide supernaturali. Hoc affirmatur quidem, sed non probatur.

*103. Sententiam negantem cum aliis veteribus tenent VASQUEZ, l. c. n. 38; BECANUS, c. 5, q. 1, n. 13: SALMANTICENSES, d. 4, n. 117; eamque probabilem vocat ILLSUNG, Trac. 6, d. 6, n. 39. Secundum hanc sententiam, omnia opera moraliter bona hominis justi vitam æternam de condigno merent: quia sunt opera vere bona, facta ex gratia, et filii adoptivi.

104. Censeo istam controversiam, quod ad rem et factum attinet, non tanti momenti esse. Sermo enim est, vi termini, de homine non solum fideli sed justo. Vix autem fieri potest ut homo ille, faciens opus moraliter bonum ex motivo bono, non apprehendat motivum illud ut fide cognitum, si non actualiter, aut etiam virtualiter, saltem modo confuso, qui sufficit. Sic, si Petrus, Catholicus et justus, motium iræ aut invidiæ comprimat ex motivo turpitudinis, vel genericæ vel specificæ, horum peccatorum, etsi non cogitet de turpitudine illa ut ex fide nota, revera agitur ab hoc motivo ut sic noto et credito. Et sic, etsi rejicias principium VASQUEZII, propositionem ejus accipere potes, et cum eo dicere, omnia opera justorum moraliter bona

esse etiam meritoria—saltem justorum qui piam vitam ducunt.

105. Alia est controversia, de necessitate motivi charitatis ad opera meritoria, quam ad finem hujus sectionis tractandam remittimus.

106. II. Conditiones ex parte operantis. 1°. Debet esse viator. Ita, quoad præsentem ordinem, omnes; et patet ex Scriptura, Joan. x, 4; Gal. vi. 10; &c. et ex Patribus. Sola disputatio est utrum ita se res habeat ex natura rei, an vero ex solo decreto divino: de quo in varias abeunt partes theologi.

107. 2°. Debet esse in statu gratiæ. In hoc quoque, quod attinet ad præsentem ordinem, conveniunt omnes; et similiter patet ex Scriptura, 1 Cor. xiii. 3, &c. et ex Patribus. Quomodo BAIUS propositiones in eo damnatas congruenter suo systemati tenuerit vid. supra, d. 2, n. 34, et SUAREZ, c. 14, n. 1. Propositiones autem illæ sunt:—(12) "Pelagii sententia est: opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni coelestis meritorium." (13) "Opera bona, a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei; sed tantum ex eo quod sunt conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi." (17.) "Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum."

*108. An vero homo non habens gratiam habitualem posset de potentia Dei absoluta (seu in alio ordine) merere de condigno per opera facta cum gratia actuali, vid. SUAREZ, l. c. præsertim n. 16. Non placet tamen quod dicit HENNO (l. c. a. 1), nempe, se non videre "cur non potuisset Deus statuere ut homo solis naturæ viribus....mere-

retur vitam æternam." Deus quidem statuere potuit ut opera mere moraliter bona ponerentur ut *conditio* præmii conferendi; sed ejusmodi opera non haberent ullam rationem *meriti* supernaturalis.

109. III. Ex parte Dei requiritur ad meritum promissio. Hæc promissio mille locis in Scriptura significatur. An vero necessaria sit, ita ut nullum opus meritorium de condigno esse possit, nisi accedat hæc promissio—de condigno dico, eo sensu quod Deus teneretur dare præmium? Nihil de hac quæstione definitum est: sed longe communior et probabilior (mihi certa) sententia affirmat. Ratio est, quia, cum Deus suorum bonorum supremus est et absolutus dominus, absolute repugnat ut ulli puræ creaturæ obligari possit ad dandum præmium—et tantum præmium—propter opera quantumvis in se bona. Etsi vero Deus, seclusa promissione, non teneatur præmium tribuere, rectius tamen dicendum est opus esse in se et antecedenter ad promissionem dignum præmio: *tum* propter rationes jam dandas, n. 111; *tum* quia, secundum omnes, posita promissione, dignum est; jamvero mera promissio non potest ei hunc totum valorem impertire. Vid. LUGO de Poenitentia, d. 24, n. 13, a quo aliquantulum dissentio.

*110. Posita promissione, Deus quidem ex *justitia* præmium reddere tenetur: qui modus loquendi omnino congruit modo loquendi Scripturæ, Patrum et Conciliorum. SUAREZ, c. 30, n. 2. Impossibile esset, in opere compendioso, quæstionem de justitia quæ in Deo esse potest plene discutere. Ex altera parte videatur SUAREZ hic, c. 30, et de Incarnatione, d. 4, s. 6, maxime autem in Opusculo sexto, quod inscribitur "De justitia qua Deus reddit præmia meritis," &c. Ex altera vero parte, LUGO, de Incarnat. d. 3, s. 1; LESSIUS, de Perfect. div. l. 13, c. 2. Breviter

quæ nobis probaliliora esse videntur hic dicemus. 1°. Deus creaturæ nec tenetur, nec teneri potest, titulo ullius justitiæ proprie dictæ, sive commutativæ sive legalis sive distributivæ. 2°. Si vero promiserit, tenetur promissum facere; sed sibi tenetur, et ex sola fidelitate, quæ est justitia late dicta: justum est enim et decens ut Deus promissum servet. 3°. Si supponas, per impossibile, eum promisso non stare, nullum creaturæ jus proprie dictum violaret: creatura enim contra eum nullum ejusmodi jus habere potest.

111. Valde placet sententia ANTOINII (a. 1, § 2, *obj.* 5), condignitatem operis meritorii ex sequentibus conjunctis derivans:—1°, ex dignitate operis, utpote quod procedit ex isto dono gratiæ divino excitantis et adjuvantis, et quod Deus ipse in homine, eo cooperante, operatur: 2°, ex dignitate hominis operantis, utpote sancti et amici Dei, sed maxime quia filius Dei est adoptivus: 3°, ex dignitate Dei qui præmium promisit et elargitur; qui non solum promisso infinite fidelis est, sed remunerat ut decet Regem supremum omnium, infinite divitem, infinite potentem, infinite liberalem: 4°, ex dignitate Christi Dei et Hominis, cujus merita infiniti sunt valoris (saltem syncategorimatice, secundum omnes), qui non solum gratiam et gloriam pro nobis meritus est, sed meritus est ut et nos eadem mereremur. Hæc omnia conjuncta efficiunt condignitatem operis meritorii, maxime autem duo ultima.

§ 6. *De necessitate charitatis actualis vel virtualis ad meritum de condigno.*

112. Hanc quæstionem, utpote paulo latiorem disputationem postulantem, seorsum excutiendam seposui. Im-

primis dicendum est actus charitatis elicitos, secundum omnes, esse per se et intrinsece maxime meritorios: sunt enim actus omnium perfectissimi et Deo gratissimi. Opinionem autem quæ affirmat eos solos esse meritorios censet SUAREZ (c. 8, n. 9) "nullo modo probandam aut tolerandam esse." In alio opere (de ultimo Fine Hominis, d. 11, s. 2, n. 10) de ista opinione hæc habet:—"Revera illa opinio nullum habet fundamentum, neque in Scriptura, neque in Patribus, neque in ratione, nec ullam speciem probabilitatis aut pietatis."

113 Nec etiam requiritur ut actus eliciti aliarum virtutum sint imperati charitatis actualis; sed sufficit actualis charitas antea habita et virtualiter perseverans. SALMANT. d. 4, n. 2. Sed quæstio magna est inter theologos, an etiam ejusmodi imperium charitatis sit necessarium.

114. Prætermissis sententiis VASQUEZII (supra, n. 103) et aliorum, quos memorat SUAREZ (c. 10), duplex est sententia, quarum utraque et multos et graves habet auctores. Prima dicit ad omne opus meritorium præmii essentialis (præmium enim accidentale concedunt omnes) necessarium esse prædictum imperium charitatis. Ita SALMANTICENSES, l. c. n. 3; BELLARM. de Justif. l. 5, c. 15; TANNER, d. 6, q. 6, n. 89: ANTOINE, a. 4, *Dico* 5; BILLUART. a. 4; DARLMAN, obs. 1; AMORT, de Charitate, q. 5; SCHOLLINER, n. 223; HABERT, de Act. Human. c. 7, § 6; COLLET, ibid. c. 4, a. 3, s. 1; LAYMANN, de Charit. c. 1, n. 2; CHARMES, a. 2, concl. 2; GONET, n. 156-7; GOTTI, q. 2, dub. 4; SCHRAM, § 386, schol. 4; BOUDART, tr. 17, § 54; MEZGER, d. 9, a 4, n. 2; RENZ, d. 3, q. 3, a. 4; et inter theologos nunc aut nuperrime viventes BULSANUS, § 480, n. 7.

115. Altera sententia affirmat omnia opera supernaturalia justi, etsi nec actualiter nec virtualiter a charitate impe-

rata, esse meritoria essentialis præmii. Ita SUAREZ, c. 9, n. 4 et c. 10; VASQUEZ (a fortiori, ex dictis supra, n. 103); LUGO, de Fide, d. 10, n. 69 (a quo hæc sententia vocatur "certa"); GORMAZ, n. 118; VIVA, Pars 5, d. 5, q. 1, a. 2, n. 8; BECANUS, ubi supra, n. 103; WIGGERS, q. 114, n. 59; SYLVIUS, in 1. 2. quæst. 114, a. 4, concl. 2 (qui eodem fere modo interpretatur S. THOMAM, quo BALLERINI not. in GURY de Act. Hum. n. 32, 35; sed hic melius); KILBER, de Virt. Theolog. n. 307; STRUGGL, q. 2, a. 4, n. 3; MONTAGNE, § 2, q. 2; HAUNOLD. Theol. Speculativa, l. 2, n. 854; KICK, n. 268 ("probabilius"); HERINCX, n. 29 ("valde probabiliter," et "ita plerique recentiores, saltem extra scholam Scoti et Thomistarum"); HENNO, q. 2, a. 2 ("probabilius" et "satis communis")—hi tres auctores Scotistæ sunt—VALENTIA, punct. 3; RHODES, d. 4, q. 2, s. 2, § 2 ("probabilius"); ARAUJO, d. 14, n. 164; et inter theologos nunc aut nuperrime viventes iidem GURY et BALLERINI, l. c. SCHOUPPE, a. 3, § 3; JUNGMANN, n. 369, not. ARNOLD de Imitat. cordis Jesu, Direct. in l. 3, n. 2; LUPELLUS, de Castitate, Pars 2, s. 2, c. 1, a. 2,

116. Ex auctoribus quos præ manibus habeo, præter allatos, alii sunt qui recensentes conditiones ad meritum, hanc omnino prætermittunt, nullam ejus mentionem facientes, ut HERMINIER, pag. ult. REIFFENSTUEL, de Act Hum. d. 2, q. 2, n. 42; CASPENSIS, d. 6, n. 11: et hi jure inter patronos secundæ sententiæ numerari possunt. Alii vero media sequuntur, neutram sententiam amplectentes, ut GAZZANIGA, n. 50. Ita etiam primo obtutu PERRONE, de Charitate, qui tamen in fine, n. 328, secundam primæ sententiam plane anteponit.

117. Hanc secundam sententiam ut longe probabilioram amplectimur; imo, nisi obstaret auctoritas extrinseca,

eam pro certa haberemus. Nonnisi breviter dare possumus argumenta, seu potius capita argumentorum, quæ, cum solutionibus argumentorum adversæ partis, nobis id olim persuaserunt nosque hodie persuasos tenent.

*118. *Argumenta.* ARGUMENTUM I. ex Scriptura. Etsi charitati, utpote operi in se omnium perfectissimo (n. 112), vita æterna præcipue promittatur, sæpius tamen, et non minus diserte et definite, etiam aliarum virtutum operibus promittitur: Matth. x. 42; xix. 17–19; xxv. 34, &c.

*119. ARGUMENTUM II. ex eadem Scriptura: ex locis in quibus vita æterna dicitur dari propter opera et secundum ea, absque ulla distinctione facta inter opera. Vid. textus supra, n. 13, 18, 21, 34, 36.

*120. ARGUMENTUM III. ex Conc. Trident. sess. 6, c. 16:—"Cum ille ipse Christus Jesus, tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat: quæ virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent: nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est quominus plene illis operibus, quæ in Deo sunt facta .... vitam æternam .... vere promeruisse censeantur." In isto loco sermo est de operibus justorum quæ fiunt ex gratia actuali, sive fiant ex motivo charitatis elicientis aut imperantis actualiter vel virtualiter, sive ex alio motivo supernaturali. Sed diserte docet Concil. ista opera esse vere meritoria vitæ æternæ. Ergo omnia opera justorum, quæ fiunt ex gratia actuali, sive fiant &c. sunt meritoria. Ergo ad meritum non est necessarium imperium charitatis.

*121. Probatur major. 1°. In textu Joan. xv. 4, quem in fronte hujus definitionis indicat Concilium, signifi-

cantur non tantum opera facta ex motivo charitatis, sed omnia opera salutaria, seu facta ex gratia. Quod concedere tenentur adversarii: unanimes enim sunt theologi utriusque sententiæ ex hoc ipso textu, contra Pelagianos, necessitatem gratiæ ad *omnia* opera salutaria probantes (d. 3, n. 37). Vel ergo dicendum est Concilium loqui de omnibus operibus factis ex gratia, vel textum inepte proferre, et sensum ejus falsum insinuare. Opera quidem, quæ in justo meritoria sunt, talia non sunt in peccatore; non quia carent imperio charitatis, sed quia obstat peccatum: n. 107.

*122. 2°. Si conditio sit essentialis ad meritum ut opus a charitate saltem imperetur, debuit Concilium eam memorare: alioquin valde manca esset definitio et Concilio prorsus indigna—et id maxime quoniam 1°, conditio, si necessaria, onibus et singulis fidelibus tanti esset momenti, utpote, qua non posita, in nullo unquam haberetur meritum præmii essentialis: 2°, in *capitibus* doctrinam Catholicam in institutionem fidelium exponere suscipit, quam puram et integram tenere debent; sicut in *canonibus* errores fugiendos indicare suscipit: ut constat ex prooemio capitibus præposito:—"Exponere intendit [Concilium] omnibus Christi fidelibus veram sanamque doctrinam ipsius justificationis, quam ....Christus Jesus .... docuit, Apostoli tradiderunt, et Catholica Ecclesia....perpetuo retinuit; districtius inhibendo, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, prædicare aut docere, quam præsenti decreto statuitur ac declaratur." In fine capitum et immediate ante canones hæc habentur:—"Post hanc Catholicam de justificatione doctrinam .... placuit sanctæ Synodo hos canones subjungere, ut omnes sciant non solum quid tenere et sequi, sed etiam quid vitare et fugere debeant."

*123. 3°. "*Sine* qua [virtute Christi, i. e. gratia excitante et adjuvante] nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent [opera justorum]." Quibus verbis satis insinuatur opera illa *cum* ista virtute et grata et meritoria sunt. Insuper Concilium videtur uti vocabulis "grata, meritoria" ut hic idem sonantia.

*124. Minor propositio (n. 120) manifesta est. Diserte enim affirmat Concilium, "*nihil* ipsis justificatis *amplius* deesse" ad meritum vitæ æternæ. Jure ergo optimo dicit Perrone (l. c.):—"Multo minus pro hac sententia animum flectimus, cum Tridentina synodus .... ejusmodi conditionem, quæ tamen tanti momenti esset, minime constituerit."

*125. Valde augetur vis argumenti hujus ex verbis canonis, quæ 32 est:—" Si quis dixerit ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo, per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, ... fiunt, non vere mereri" &c. supra, n. 6. Ergo justus meretur *omnibus* operibus quæ ex gratia fiunt: alioquin vera esset propositio, canoni directe opposita, affirmans esse bona opera, per gratiam facta, quibus non meretur justus. Jamvero multa sunt opera ex gratia facta, quæ a charitate nec eliciuntur nec imperantur.

*126. Argumentum IV. Ex communi sensu fidelium. Censeo enim nullum unquam de necessitate hujus conditionis cogitare, nisi forsan postquam eam in libris theologicis affirmatam offenderit. Omnes sine ullo dubio credunt justos merere per actum fidei, per jejunium &c. etsi nullus intercesserit actus charitatis: vid. d. 8, n. 111–12.

*127. Argumentum V. Cum ceteræ conditiones, ab omnibus agnitæ, ad meritum necessariæ adsunt, nulla est ratio hanc novam conditionem imponendi: ut ex solutionibus objectionum patebit.

*128. OBJECTIONES. *Object.* 1: contra Argum. 1 et 2. In omnibus illis locis, in quibus tribuitur meritum operibus his et illis, quæ non sunt opera charitatis, aut tribuitur operibus in genere, semper supponitur ista opera imperari a charitate: "quæ in aliis locis sufficienter exprimitur ut necessaria ad meritum beatitudinis essentialis; sicut semper subintelligitur conditio operandi ex fide, et subintelligitur status gratiæ." ANTOINE, c. 7, a. 4, et alii.

*129. *Resp.* Distinguo: Subintelligi debet, si verum sit quod doctus hic auctor affirmat, nempe, in aliis locis significari, vel explicite vel implicite, imperium charitatis esse necessarium ad meritum; sicut affirmatur de fide et statu gratiæ: Concedo: Si id nusquam ullo modo significatur: Nego. Necessitas fidei non tantum ad meritum sed ad justificationem adeo aperta est in Scriptura, ut theologi disserentes de conditionibus meriti eam prætermittant, utpote in aliis conditionibus inclusam. Necessitas status gratiæ similiter manifesta est in Scriptura.

Plures textus proferunt theologi quos hic impugnamus, in quibus exhibentur opera charitatis ut Deo gratissima et summe meritoria. Sed textus illi omnes prorsus extra rem sunt: aliud est enim esse summe meritoria, aliud esse sola meritoria. Unum et alterum ejusmodi textum infra enodabimus. "Ratio cur promissio beatitudinis sæpius et communius charitati sit facta, habetur tum ex eo quod sine charitate .... habituali non habetur meritum condignum; tum quia virtutum actus sunt materia imperantis et exercentis se charitatis; tum quia charitas est perfectior aliis virtutibus: et hinc ad eam primario, ad alias virtutes secundario pertinet substantiale meritum." KILBER, n. 308.

*130. *Object.* 2: contra Argum. 3. Opera, de quibus

in textu definitio fit, sunt opera "quæ in Deo sunt facta." Sed de solis operibus charitatis dici potest, ea in Deo facta esse. (Eadem objectio urgetur contra argumentum ex textibus Scripturæ, in quibus locutio similis invenitur).

*131. *Resp.* Nego minorem, quæ apertissime falsa est: omne enim opus factum ex gratia, maxime justi, fit in Deo. Dicuntur homines in Deo seu in Domino sperare, gaudere, gloriari, nubere, testificari, obsecrare, &c. Phil. ii. 19; iii. 1; 1 Cor. i. 31; vii. 39; Ephes. iv. 17; 1 Thess. iv. 1. Locutio autem ista, "in Deo" seu "in Domino," significat "adjuvante Deo:" 1 Cor. xv. 58; 2 Cor. ii. 12; Gal. v. 10; Col. iv. 17.

*132, *Urget* ANTOINE. "Quibus verbis ['in Deo'] satis indicat [Concilium] requiri insuper aliquem affectum charitatis: nam hæ voces non significant ibi statum gratiæ, cum loquatur de justificatorum operibus, ideoque jam statum gratiæ supponat."

*133. *Resp.* Verbis istis Concilium quidem non significat *statum* gratiæ, seu gratiam habitualem, sed significat gratiam *actualem*, quæ, etiam in statu gratiæ et ultra eum, necessaria est ad meritum: n. 99. Et hoc constat 1°, ex verbis ipsius capitis, "illis quidem *operibus*, quæ in Deo sunt facta;" et 2°, clarius adhuc et clarissime ex canone 32, "ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo *per Dei gratiam* .... fiunt."

*134. *Object.* 3. "Si habuero omnem fidem .... charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas .... charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest." 1 Cor. xiii. 2, 3. Ergo sine charitate nullum est meritum. BULSANUS, l. c. citans ESTIUM.

*135. *Resp.* 1°. Ergo opera bona, nisi facta ex charitate,

nec etiam præmium accidentale merentur: "*nihil* sum—*nihil* mihi prodest:" quod ipsi adversarii negant. 2°. Distinguo sensum textus verum a falso: Si charitatem habitualem non habuero: Concedo: Si actualem: Subdistinguo: Quando urget præceptum charitatis, vel per se vel per accidens: Concedo: Extra illum casum, et in me justo in ordine ad meritum: Nego. Etsi pleraque quæ in hoc capite de charitate affirmantur, eam respiciunt in genere et abstrahendo ab actuali vel habituali, magis tamen respiciunt habitualem, activam tamen et efficacem. Propositum Apostoli est comprimere dissidia, quæ inter Corinthios orta sunt occasione charismatum, quibus quidam eorum aucti erant: et affirmat ejusmodi dona—linguarum, prophetiæ, &c. nullius esse meriti in eo qui non habet charitatem, imo qui, turbas et discordias concitando, eam aperte lædit et abjicit. Ad rem non erat ut loqueretur de necessitate imperii actualis charitatis in homine *justo* ad omne opus meritorium; nec de hoc verbum facit. Numquid voluit dicere fidem illam magnam aut martyrium in homine *justo* nihil ei prodesse?

*136. *Object.* 4. "S. Scriptura indicat vitam æternam solis actibus a charitate elicitis vel imperatis promissam, ita ut aliæ virtutes non sint meritoriæ vitæ æternæ, nisi a charitate imperentur. Sic Christus ipse ait:—'Qui diligit me diligetur a Patre meo: et manifestabo ei meipsum.' Joan. xiv. 21," *Idem*, ibid.

*137. *Resp.* Distinguo: Qui diligit me mandata mea servando i. e. qui est in statu gratiæ, et opera bona facit, diligetur: Concedo: Qui facit actus charitatis: Subdistinguo: Propter hoc opus diligetur: Concedo (etsi hoc nequaquam explicite in textu significetur): Propter hoc opus solum diligetur: Nego. Tantum abest ut conclusio

auctoris eruditi ex hoc textu cogi possit, ut conclusio omnino opposita ex eo quasi sponte fluat:—"Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo:" &c. ut supra. Justus ergo qui servat mandata, non solum mandatum charitatis sed omnia mandata, meret: nec ad rite servanda mandata v. g. fidei, spei, justitiæ, &c. necessarium est imperium charitatis; ergo neque ad meritum.

*138. Hæc sufficiant ut exempla argumentorum, quæ ex Scriptura proferuntur. Aliæ objectiones ex rationibus theologicis, &c. disjectæ videantur apud auctores supra memoratos, n. 115. Ex auctoribus, qui adversam sententiam tuentur, mihi videtur quosdam non satis diligenter perpendisse vim argumentorum ex alterutra parte; alios vero in eam inclinasse, quia existimabant principes suarum scholarum ita docuisse.

139. Omnibus denique consentientibus, valde suadendum est ut omnia nostra opera ex motivo charitatis exsequamur: non tantum quia hoc tutius est, sed quia, posita etiam absoluta certitudine nostræ sententiæ, opera facta ex hoc motivo sunt multo magis meritoria, imo, secundum nostram sententiam, duplex habent meritum.

*140. Dicit BELLARM. (l. c.), post S. BONAVENTURAM, "non sufficere ut opus virtute referri dicatur in Deum, si quis ad initium anni vel mensis vel etiam diei, generali quadam intentione referat omnia sua futura opera in Deum; sed necesse esse ut illud ipsum opus particulare referatur in Deum, quod postea faciendum est. Tunc enim dicuntur opera virtute in Deum relata, cum intentio præcedens est vera causa operum, quæ postea fiunt; ut si quis apud se certo constituat aliquam nummorum summam propter Deum pauperibus erogare; et postea summam illam oblata

occasione eroget. Is dicetur virtute referre opus suum in Deum, etiamsi, dum pecunias illas distribuit, nihil de Deo cogitet."

Sed de ista relatione operum in Deum, præter auctores citatos a PERRONE, n. 155, not. videantur et ipse PERRONE de Caritate, n. 259, &c. n. 275, &c. GREG. DE VALENTIA, d. 8, q. 6, p. 3; ARAUJO, d. 14, a. 15; HAUNOLD, l. 2, n. 907, &c. SCHOLLINER, n. 222; BILLUART, de Ult. Fine, d. 1, a. 5, et de Charit. d. 4, a. 8; HENNO, de Virtutibus, d. 6, q. 8; GURY, vol. 1, n. 31 et BALLERINI, ibid.

§ 7. *Conditiones ad meritum de congruo necessariæ.*

141. 1°. Ex parte operis requiruntur omnes conditiones meritum de condigno necessariæ, nempe, ut sit opus positivum, liberum, moraliter bonum, supernaturale in principio et motivo. 2°. Ex parte operantis requiritur tantum conditio prima, ut sit viator, non autem secunda, ut sit in statu gratiæ. 3°. Ex parte Dei non requiritur promissio.

142. Dixi non *requiri* aut statum gratiæ aut promissionem Dei: datur enim meritum de congruo sine illis. An et quid justus possit merere de congruo jam videbitur. Si adsit promissio, meritum vocatur de congruo infallibili; si desit, vocatur de congruo fallibili.

§ 8. *De Objecto Meriti.*

143. Non opus est hic verbum facere de prima gratia actuali: neminem enim eam sibi merere posse jam probatum est, contra Semipelagianos, d. 3. Peccator non potest merere de condigno; ad id enim necessarius est status gratiæ.

Quæstio ergo erit 1°, quid justus de condigno merere potest? 2°, quid aut justus aut peccator de congruo merere potest?

144. I. *Objectum meriti de condigno.* Ex supra dictis (n. 6, 7), de fide est justum vere merere 1°, augmentum gratiæ, 2°, gloriam, 3°, consecutionem gloriæ, si in gratia decesserit, et 4°, augmentum gloriæ.

145. Advertendum est "vitam æternam et vitæ æternæ consecutionem non esse duo præmia distincta: quia mereri mercedem et solutionem mercedis non sunt duæ mercedes; quia res ipsa non cadit sub meritum, nisi quatenus retribuenda est operanti; et e contrario meritum eo tendit, ut obtineatur præmium. Concilium vero illa duo distincte posuit, ut explicaret quomodo vita æterna sub meritum de condigno cadat. Nam, quia illud præmium non statim datur, neque omnes qui illud merentur illud consequuntur, explicare oportuit quo modo meritum illud certissimum et infallibile sit, utpote in divina promissione fundatum. Ad hoc ergo declarandum addidit Concilium mereri justos vitam æternam, non statim, neque omnibus aliquando infallibiliter reddendam absoluta infallibilitate, sed sub conditione 'si in gratia decesserint.' Quia sub hac conditione et non aliter propositum et promissum est illud præmium." SUAREZ, c. 29, n. 1.

146. Non est definitum 1°, justum alia præter hæc *vere* merere vel 2°, eum etiam hæc *ex condigno* merere: n. 8. Sunt tamen alia, de quibus quæstio moveri potest an sint objecta meriti de condigno: et in hac materia quædam conclusiones sunt certæ et communiter receptæ, aliæ vero sunt plus minus incertæ.

*147. *Quæritur.* 1°. Contritio perfecta, ut jam videbimus, justificationem de congruo tantum meret: sed

quæstio est an idem ille actus contritionis mereat primum gradum gloriæ de condigno—sive actus continuatus et in instanti secundo (ut vult BELLARM. c. 20), sive in eodem ipso instanti in quo actus hic cum persona eliciente sanctificatur et dignificatur (ut vult SUAREZ, c. 28, n. 24). Prima sententia, quæ inter theologos quos vidi et antiquos et recentiores multo communior est, affirmat. Ita iidem BELL. et SUAREZ; VIVA, n. 11; SCHOLLINER, n. 260; KICK, 278: HENNO, &c. et Thomistæ et Scotistæ; et, inter nunc viventes, SCHOUPPE et JUNGMANN. Sententiam negantem tenent LUGO, de Incarnat. d. 6, n. 59; HAUNOLD, l. c. n. 896; COLLET; &c.

*148. Præcipuum argumentum (aut saltem unum ex præcipuis argumentis) pro sententia affirmante educitur ex diverso modo quo loquitur Conc. Trid. de merito gratiæ et gloriæ can. 32, supra, n. 6. Loquitur enim de merito solius *augmenti* gratiæ, de merito autem *et* gloriæ *et* augmenti gloriæ: gloria illa, ut quid distinctum ab augmento ejus, aliud esse non potest quam primus ejus gradus. Quæ huic argumento reponunt theologi secundæ sententiæ (et sane non temnenda) apud eosdem videantur, et etiam ap. HERINCX, n. 58.

*149. Ceterum hæc controversia plus subtilitatis quam utilitatis, in præsenti saltem materia, habet. Quoniam enim gloria datur duplici titulo, nempe, hæreditatis et præmii, hic justificatus si statim moriatur, eam recipiet saltem titulo priori, ut hæres et filius adoptivus: supra, n. 76.

150. *Quæritur* 2°. An perseverantia potest esse objectum hujus meriti? *Resp.* negative: quia 1°, de neutra perseverantia, sive activa sive passiva, extat divina promissio. 2°. Quoad passivam, nullum est opus aut series operum,

quibus eam mereamur, jus habentes ut Deus nos ad se e vita eripiat quo tempore in gratia constituti sumus. Quoad activam, similiter nullum est opus, nulla sunt opera, quibus jus acquiramus ut deinceps gratiis dandis ita cooperemur, ut in mortale non incidamus. Hinc non pauci, qui diu vitam eximie sanctam egerunt, tandem misere prolapsi sunt. Hæc responsio communis omnium est et certa.

151. *Quæritur* 3°. An possit justus merere gratias actuales? *Nota.* 1°. De solo merito condigno hic sermo est. 2°. Quæstio est de solis gratiis *necessariis* ad vitanda mortalia et ideo perseverandum in gratia. 3°. Quæstio non est de gratiis efficacibus: justum enim eas merere non posse certum est; alioquin mereret cooperationem ad gratias et ideo perseverantiam.

152. Ad quæstionem affirmative respondet VALENTIA, p. 4, quem citat et sequitur BECANUS. q. 6, n. 2: ita et TANNER, n. 232. Alii negant: sed plures auctores quæstionem omnino prætermittunt. SUAREZ hæc habet (c. 26, n. 27):—"De auxiliis sufficientibus ac necessariis, quæ, post aliquid meritum de condigno augmenti gratiæ, dantur vel offeruntur, *probabile* est concomitanter cadere sub idem meritum de condigno augmenti gratiæ. Nam qui meretur de condigno aliquam formam, meretur quicquid connaturaliter sequitur ex tali forma, vel ei connaturaliter debetur ....Sed hæc auxilia necessaria debentur gratiæ et cuilibet gradui ejus: ergo qui meretur *de condigno* gratiæ augmentum, consequenter etiam, et *eodem modo*, hæc auxilia meretur." Idem docent PERRONE, n. 668, 3°; ANTOINE. a. 6, qui pressius rationem ponit:—"Nam ejusmodi auxilia sunt ei [augmento gratiæ] connaturaliter debita, et faciunt cum illa unam moraliter mercedem;" &c.

153. Quæ addit SUAREZ, n. 28, huic doctrinæ (mihi) aliquantulam obscuritatem obducit. Insuper, quomodo probabilis tantum vocatur hæc doctrina, cum omnino certum est dari opus meritorium, nempe, orationem petitionis, quo infallibiliter obtinentur ista auxilia? Sed quod eximius doctor hic subobscurius proferre videtur, in alio opere (de Oratione, l. 1, c. 22, 23) clare explicat. LUGO, de Poenitentia, d. 24, n. 10, 11. Vid et de Incarn. d. 5, n. 156.

154. Omne ergo opus quod habet conditiones requisitas ad satisfactionem, meritum et impetrationem, hunc triplicem valorem distinctum in se habet; et ita habet, ut valor unus ceteris valoribus nec minuatur nec augeatur. Sic, si Petrus vir justus graviter tentatus roget Deum (modo debito, ut hic semper suppono) pro auxilio ad tentationem *superandam*, hæc oratio 1°, est satisfactoria, et minuit poenam peccatis jam remissis debitam, si quæ sit; est meritoria, et auget gratiam nunc habitam et gloriam postea habendam; est impetratoria, et obtinet gratiam ad tentationem vincendam. 2°. Est satisfactoria, quatenus (cum ceteris conditionibus) est poenalis, quæ conditio est operis satisfactorii propria; est meritoria et impetratoria, quatenus habet conditiones ejusmodi operibus proprias: sunt enim conditiones omnibus communes et singulis propriæ (quas habes in tractatibus de poenitentia, gratia et oratione): et, etsi promissio Dei sit omnibus communis, singulis tamen facta est propria et distincta ratione et titulo. 3°. Si supponas Joannem bonum aliquod a Deo petere, quod tamen Deus videns ei minus expedire, et bonum ejus majus volens, non dabit (v. g. *liberationem* a tentatione, ut in casu S. Pauli: "ter Dominum rogavi," &c. 2 Cor. xii. 7-9); et si supponas Deum ei nihil aliud elargiri ratione petitionis, tunc nihil obtinet modo *impetrationis*. Et si supponas

eundem nullam poenam habere luendam pro peccato, tunc nihil obtinet modo *satisfactionis*. Sed obtinet augmentum gratiæ et gloriæ respondens valori operis *meritorio:* nec majus obtinet ex eo quod nihil obtinuit per opus ut impetratorium aut satisfactorium; nec minus obtinuisset, si et impetrasset et satisfecisset.

155. Quicquid ergo dicitur de isto modo *merendi* gratias actuales (n. 152), certum est omne opus meritorium, quatenus est impetratorium, *impetrare* gratias necessarias ad vitanda gravia peccata. Hoc de oratione imprimis, ex dictis, manifestum est. Sed, sicut convenit inter theologos omne opus meritorium esse satisfactorium (LUGO, ibid. n. 41), ita censeo omnia, aut saltem pleraque, opera meritoria esse etiam, in actu exercito si non in actu signato, impetratoria. Qui enim facit opus meritorium (fidei, amoris, contritionis, mortificationis, &c.), eo ipso significat se velle Deo obsequi non solum hic et nunc sed in posterum, et vitam ducere Deo gratam, et ideo vitare omnia peccata saltem gravia, quod bene novit se sine auxiliis idoneis non posse. Opera ergo illa pia et meritoria tot sunt virtualiter petitiones pro auxiliis gratiæ ad bene vivendum. Imo censeo fideles justos in bonis operibus faciendis multo magis cogitare et sollicitos esse de vita futura bene agenda et de vitando peccato quam de præsenti meritorum incremento.

156. *Quæritur* 4°. An possit justus de condigno merere remissionem venialium? Supponitur non solum reatum poenæ in peccato veniali esse sed etiam maculam culpæ. *Resp.* affirmative. Nihil enim obstat quominus peccator, per actum contritionis perfectæ, mereat de condigno remissionem peccatorum, nisi quod non sit in statu gratiæ. Hoc autem non obstat in præsenti casu. Hanc sententiam

dicit DICASTILLO (de Poenit. d. 2, n. 370) esse "fere omnium," contra LUGONEM, de Poenit. d. 9, n. 16, &c.

157. Non est opus de aliis objectis quæstiones movere. Ista enim alia, quæ meriti de congruo objecta sunt, fere omnes graves auctores tenent non esse objecta meriti de condigno.

158. Ex dictis sequitur 1°, certum non esse an, præter tria memorata a Concilio Tridentino, ullum aliud sit objectum meriti condigni: 2°, certum esse quædam objecta meriti congrui non esse objecta meriti condigni.

159. II. *Objectum meriti de congruo. Primo:* Objectum hujus meriti in *justo* pro *seipso. Quæritur* 1°. An justus possit sibi merere reparationem post lapsum? *Resp.* 1°. Ejusmodi meritum non repugnare sed possibile esse bene probat SUAREZ, c. 38, n. 4: *tum* quia etsi peccato mortali merita præcedentia mortificantur, non sequitur tamen ea non retinere aliquid congruum—mortificato enim titulo justitiæ qui est in merito condigno, non ideo mortificatur omnis titulus: *tum* quia "homo in peccato existens potest mereri de congruo apud Deum etiam auxilia quibus eamdem remissionem peccatorum consequi valeat; ergo eadem ratione opera viva prius facta possunt post lapsum hominis retinere rationem aliquam meriti de congruo ad similia auxilia a Deo obtinenda." SUAREZ, ibid., a quo quæ in contrarium opponuntur bene diluuntur.

160. *Resp.* 2°. Quod ad factum attinet, id aliquando fieri "sententia pia et probabilis videtur" (Idem. n. 6), "satis communis" (HENNO, q. 4, concl. 3). Etenim "bona merita præcedentia postive placent Deo, et in ejus acceptatione manent; et ita possunt movere Deum ad miserendum peccatoris ex positiva decentia, quæ ad meritum de congruo sufficiat. Non video igitur cur hoc generaliter

negandum sit: quamvis nec de quocumque merito, nec de omni peccato id videtur universaliter affirmandum, sed proportionem aliquam prudenti arbitrio esse observandam. Possunt enim præcedentia merita esse tam pauca, et tot peccata postea multiplicata, ut omnino obruant merita, et efficiant ut nullo modo Deum ad miserendum provocent. Secus vero erit, si e contrario merita magna fuerint, et peccatum subsequens et rarum sit et excusationem aliquam ex ignorantia vel infirmitate habeat." SUAREZ, n. 7. Quandonam et quousque hæc ita se in casibus particularibus habeant prorsus incertum est. Sine dubio autem oratio justi ut, si ceciderit, iterum a Deo erigatur, bona at laudabilis est; et cum vero odio peccati et vero proposito non peccandi bene constare potest.

161. *Quæritur* 2°. An justus possit merere perseverantiam finalem? *Resp.* 1°. Perseverantia activa finalis nullo modo merere potest per opera singularia communia, aut per eadem opera ad tempus definitum continuata, ita ut quis per hæc mereat ut deinceps ad finem non amittat gratiam sanctificantem. Per opera communia significo opera eorum qui curant tantum ut peccata gravia devitent, sed de altiori gradu sanctitatis consequendo parum solliciti sunt. Si quis v. g. per annum aut decem annos ita vivat, et ejusmodi tantum opera ponat, etsi per ea augmenta gratiæ et gloriæ mereat, quæ omnibus operibus justorum supernaturalibus communia sunt, nullomodo tamen magnum illud donum perseverantiæ meret.

162. 2°. Potest tamen quis, per opera eximia, præsertim si in iis diu exercitus fuerit, merere de congruo fallibili perseverantiam finalem. *Nota* 1°. Dicendo eum per ista opera ita merere, nequam significare volo quod, elapso tempore quo meruit, v. g. decennio, vitam deinceps otiosam

degere possit, quasi meritis illis præteritis innixus. Imo e contrario, quod meruit, si quid, quod ad perseverantiam attinet, meruit, id est definite, ut in ejusmodi operibus exsequendis perseveret, et vitam priori similem vel etiam perfectiorem ducat. *Nota* 2°. Per opera eximia non sola heroicæ virtutis opera significo sed alia, ut jam infra, multa præsertim oratione quotidiana et petitionis et contemplationis interposita.

163. Ratio est 1°, quia, etsi nulla sit promissio talis præmii, et opera illa nullam ad it condignitatem habeant quoddam tamen habent pretium, cujus intuitu erogetur 2°. De facto innumeri fuerunt, qui hoc modo perseverantiam adepti sunt.

164. Dixi "de congruo *fallibili*:" quia 1°, nulla est promissio. 2°. Tenemur omnes salutem nostram cum metu et tremore operari. S. Paulus, post tot labores apostolicos et tot animas Christo lucratas, corpus suum castigavit et in servitutem redegit, ne reprobus efficeretur: 1 Cor. ix. 27. 3°. Etsi multi (longe plures, ut puto), qui diu istam sanctam vitam degebant, in finem perseveraverint, bene multi tamen a recto exciderunt et damnati sunt.

165. 3°. "Dicimus justum perseverando debito modo in orationis instantia et frequentia, posse successive infallibiliter obtinere perseverantiam usque ad mortem.....Perseverantia orationis, in tali materia requisita, est ut non semel tantum aut iterum fiat, sed ut toto tempore vitæ duret.....Sic enim fiet ut, procedendo ab uno actu ad alium, bene operando et convenienter orando, infallibiliter perseverantiam consequatur." SUAREZ, c. 38, n. 16. Notat ibid. (n. 17) hanc promissionem factam non esse operibus justorum tanquam meritoriis, sed perseverantiam tantum impetrari petitione; et ideo semper pro ea petendum esse.

Ultima verba tractatus brevioris S. ALPHONSI de Oratione hæc sunt:—"Si oraveris [cum debitis conditionibus, et ideo, inter alia, perseveranter], certo salvaberis; si non oraveris, certo damnaberis."

166. Multos auctores de hac quæstione diligenter exploravi, quorum plerique eam strictim nec satis clare tractant. SUAREZIUM ceteris omnibus anteponerem. Censeo responsiones datas, n. 161–4, quoad rem a mente doctoris eximii, prout eam ex hoc capite et ex aliis capere potui, alienas non esse.

167. Multi theologi dant *signa* quædam, quibus quis possit, plus minus probabiliter, judicare se esse in statu gratiæ, vel, saltem conjecturaliter, se esse prædestinatum. His non multum absimilia sunt *media* ad perseverantiam finalem assequendam. Quoniam res est summi momenti, horum præcipua hic proferam.

168. *Primum* medium est conscientia timorata seu facile sentiens (quam S. IGNATIUS *delicatam* vocat: "Regulæ de Scrupulis"), qua magno horrore habetur omne peccatum, non solum mortale (quod etiam conscientia aliquatenus laxa horret), sed quodcumque veniale plene deliberatum, præsertim habituale; cum fuga diligenti occasionum peccati.

169. *Secundum* est humilitas sincera et cordis et intellectus (supra, n. 68): quam comitatur, aut ex qua facile enascetur, fuga dignitatum, saltem evitatio ambitus dignitatum, mansuetudo, patientia et tolerantia calumniarum, contumeliarum et aliarum injuriarum, earumque venia et remissio ex corde: Matth. v. 4, 10-12, 24; xi. 29; 2 Tim. iii. 12; &c.

170. *Tertium* est frequentatio sacramentorum poenitentiæ et eucharistiæ. *Quartum* est devotio magna erga

B. V. Mariam, ejusque propagatio, quantum commode fieri potest, in cordibus aliorum. *Quintum* est oratio, secundum dicta n. 165. De qua duo tantum hic breviter noto. 1°. Frequens esse debet oratio specialis pro hac ipsa gratia perseverantiæ finalis definite. 2°. Præter orationes solemniores, quæ statutis formis et temporibus quotidie fiunt, valde commendandus est usus per diem frequens precum quas vocant ejaculatorias seu aspirationes, quæ in momento temporis et inter quæcumque negotia facile fieri possunt.

171. Alia sunt media: sed qui hæc bene et constanter adhibet impossibile est ut ea non habeat. Quoniam vero hoc opus in usum eorum conscribo, qui, se præparantes ad sacerdotium, in disciplinis theologicis incumbunt, vel etiam eorum qui sacerdotio jam insigniti in vinea Domini exercentur—ex quorum perseverantia activa pendet perseverantia tot millium et activa et passiva; illos omnes enixe rogare et monere vellem, ut aliud et medium perseverantiæ certum et signum (si permaneat) prædestinationis vix minus, ne dicam non minus, certum perpendant serio, et in pectora alte demittant. Medium hoc et signum zelus est pro salute animarum, maxime autem pro conversione peccatorum. Zelum dico purum (ex motivo puro), fervidum, suavem, sapientem, indeficientem. Ex altera parte, defectus hujus zeli, saltem permanens et nisi sanetur, gravis et culpabilis, in iis qui curam animarum utcumque habent, parentum, magistrorum, confessariorum, parochorum, Episcoporum, signum est reprobationis non minus certum.

172. Hæc ego non ex proprio cerebro coxi, sed ex auctoribus gravissimis depromsi. Duos tantum testes proferam, unum ex iis qui inter secula recentiora floruerunt, alterum ex antiquis Patribus. Prior est S. ALPHONSUS, qui in Praxi Confessarii, n. 1, hæc habet:—"Magna

utique erit merces, qua in æternitate compensabuntur boni confessarii; et *de sua prædestinatione* ita *securi* sunt ii qui se ad animarum salutem occupant, ut Jacobus Apostolus (v. 20) perspicuè hoc testetur his verbis: 'Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus' (nempe ejus qui converti fecerit, et ut loquitur textus Græcus, 'animam suam') 'a morte, et operiet multitudinem peccatorum.' Sed luget atque lamentatur Ecclesia," &c.

173. Testis antiquus est S. JOANNES, aurei oris doctor, qui tot et tam egregie de sacerdotii officiis, periculis, &c. scripsit. Etiam unius hominis salutem adipisci maxime æstimandum esse ait: Concio 5 de Lazaro, n. 2. Imo non dubitat affirmare se id credere non valere, "posse quempiam salutem consequi, qui ad proximi sui salutem nihil unquam egerit." *Ουδε γαρ αυτος τουτο πιστευειν εχω, ὁτι σωζεσθαι ενεστι τον ουδεν εις την του πλησιου καμνοντα σωτηριαν.* De Sacerdotio, l. 6, n. 10. E contrario, "hoc nostræ salutis argumentum erit et occasio, si non solum pro nobis ipsis solliciti, sed et proximo utiles fuerimus, et ipsum ad viam veritatis deducamus." *Τουτο γαρ ἡμιν και σωτηριας ὑποθεσις γενησεται, ὁταν μη ὑπερ ἑαυτων μονον σπουδαζωμεν, αλλ' ὁταν και τον πλησιον ωφελωμεν, και προς την της αληθειας ὁδον χειραγωγωμεν.* Homil. 3 in Genes. n. 4. Imo, "quod sanctis maxime proprium est, non gloriam non honorem, non aliud quidquam proximorum saluti anteponere." *'Οπερ μαλιστα εστιν ἁγιων ιδιον, μη δοξαν, μη τιμην, μηδεν αλλο προτιμᾷν της του πλησιου σωτηριας.* Homil. 4 in Matth. n. 11. Alios similes textus ejusdem S. J. CHRYSOSTOMI et aliorum Patrum videas apud eundem S. ALPHONSUM, Selva, p. 1, c. 9.

174. Signa enumerant theologi vocationis ad sacer-

dotium, ut sunt vitæ sanctitas vel conservata vel recuperata, scientia idonea, &c. Sed hæc sunt potius signa negativa, quæ, etsi in omni candidato ecclesiastico inveniri debent, in multis aliis, qui ad sacerdotium non vocantur, inveniuntur. Censeo autem signum magnum positivum (semper supponitur externa vocatio debita et legitima) esse hunc ipsum zelum.

175. *Quæritur* 3°. An justus bona temporalia merere possit? *Resp.* Illa bona spectantur vel ut ad salutem utilia, vel ut in se et pure temporalia. Si priori modo spectentur, omnes conveniunt ea mereri posse, aut saltem impetrari posse. VASQUEZ, in q. 114, a. 10 (post d. 222), et SUAREZ, c. 38, n. 20, tenent ea de congruo mereri. SALMANT. d. 6, n. 109, meritum condignum affirmant. Quidam alii affirmant meritum condignum, si bona illa sint necessaria ad salutem. Sed quæ sunt bona temporalia, quæ ad salutem *necessaria* esse possunt? Si altero modo spectentur, conveniunt omnes ea non cadere sub meritum theologicum et supernaturale.

176. *Secundo:* Objectum meriti de congruo in *justo* pro *aliis*. Omnia quæ justus pro seipso de congruo merere potest etiam pro alio merere potest de congruo, sed semper fallibili; seu potius per orationem impetrare potest, sed impetratione semper fallibili. Potest ergo hoc modo justus pro alio obtinere 1°, reparationem post lapsum. Sed inter hoc meritum et simile pro seipso discrimen est quod "lapsus alterius non mortificat meritum justi, sicut lapsus proprius; et ideo minor est difficultas in merendo alteri reparationem post lapsum, quam in merendo sibi ipsi." SUAREZ, ibid. n. 22.

177. 2°. Potest pro alio obtinere perseverantiam activam et etiam passivam, sed eodem tantum modo ab isto habendam

quo sibi obtinere potest : n. 161, &c., et semper fallibiliter. 3°. Simili modo potest pro alio obtinere bona temporalia ad salutem utilia.

178. 4°. Potest etiam pro alio in peccato existente, sed fallibiliter, primam gratiam actualem etiam efficacem merere. Hoc modo, secundum multos, S. Stephanus obtinuit conversionem S. Pauli, et S. Monica S. Augustini. Imo censeo hoc esse valde commune, et quoddam ordinarium, medium a Deo constitutum, quo peccatores fideles ad justificationem, et acatholici ad fidem, ducantur: quod constat ex variis locis Scripturæ (Gen. xviii. 23, &c. xx. 17; Exod. xxxii. 11–14; Num. xvi. 44–48; Job, xlii. 7–10; 1 Tim. ii. 1–3 ; Jacob. v. 16; &c.), ex precibus ab Ecclesia probatis, ex sensu et usu universali fidelium. Vid. A. Lapide in Jacob. l. c. S. Alphonsus, Selva, pars 1, c. 9, n. 27.

179. "Adverto tamen non posse justum mereri alteri primam gratiam habitualem immediate, et sine prævia dispositione sufficiente in adulto, vel sine sacramento in parvulo: quia hoc est contra ordinariam legem Dei, ac proinde quasi miraculosum in ordine gratiæ." Suarez, l. c. n. 21. Obtinet ergo mediate, obtinendo gratias actuales. Eodem modo potest justus pro alio justo obtinere augmentum gratiæ, impetrando gratias actuales, quibus hic excitetur et adjuvetur ad opera meritoria facienda.

180. Theologi non semper satis clare distinguunt inter meritum et impetrationem: et revera pro praxi haud ita refert. De ista vero distinctione hæc notanda sunt. 1°. Opus potest esse impetratorium, etiam infallibiliter, sine ullo merito condigno, ut in causu peccatoris, infra, n. 182–3; imo sine ullo merito etiam congruo, quales sunt orationes Sanctorum quas Deo pro nobis adhibent. Impe-

trant gratias pro nobis, non eas precatione nunc facta merendo, sed propter eorum dignitatem et amicitiam cum Deo, qua digni sunt quorum preces audiantur, vel etiam ut multi dicunt, propter merita præterita, quæ compararunt dum essent in via—et revera tota ratio illius dignitatis et amicitiæ in meritis istis radicatur et ab iis inseparabilis est.

181. 2°. Quicquid dicitur de incremento meriti ex majore dignitate hominis merentis (infra, n. 190), sine dubio, quo sanctior aliquis est eo efficacior est ejus petitio ad impetrandum sive pro aliis sive pro seipso. Hinc est quod Sancti sacerdotes at alii, dum his in terris erant, tot peccatorum conversiones suis precibus consecuti sunt. Hinc præ omnibus Sanctis conjunctim tantum apud Deum pollet oratio B. Virginis Mariæ.

182. *Tertio:* Objectum meriti de congruo in *peccatore.* Justus potest et aliis sicut et sibi merere; peccator sibi soli. SUAREZ, c. 37, n. 1. Pro seipso merere potest de congruo etiam infallibili, 1°, primam gratiam justificantem. Quia peccator potest, per gratiam Dei, elicere actum contritionis perfectæ. Actus autem ille aliquo modo meritorius est: quoniam ad meritum etiam condignum ipsi deest una tantum conditio, nempe, status gratiæ in eliciente. Deus enim (ceteræ conditiones supponuntur) vere et perfecte contritis remissionem peccatorum absolute promisit. Ergo ejusmodi perfecte contritus meritum habet justificationis, ex natura actus congruum, ex promissione Dei infallibile.

183. Hic modus loquendi communis et receptus est. Si quis tamen vellet meritum isti actui omnino negare, eumque vocaret tantum dispositionem positivam, qua posita Deus infallibiliter elargitur justificationem, non

læderet doctrinam Catholicam, sed tantum hunc modum loquendi desereret. "Meritum hoc de congruo non aliud est quam dispositio: dispositio autem proprie non dat meritum nec vim justificandi, sed tantum est dispositio ad justitiam, quia Deus ita voluit, cum posset aliter statuere:" &c. A. LAPIDE in Rom. ix. 16. Vid. Conc. Trident. S. 6, cap. 8; PERRONE, n. 525.

184. 2°. Peccator per orationem impetrare potest non solum gratiam contritionis perfectæ, quæ ultima est et proxima dispositio ad justificationem, sed etiam gratias necessarias ad vincendas tentationes graves in materia gravi, et si quæ aliæ essent impedimenta conversioni ejus perfectæ objecta. SUAR. n. 21, 26. Et has quidem gratias si necessariæ sint, impetrat infallibiliter: quia Deus debito modo orantes necessaria ad salutem ex promisso semper audit. Si vero necessariæ non sint sed utiles tantum, impetrat fallibiliter.

§ 9. *Quæstiones Quædam solvuntur.*

185. *Qæritur* 1°. Operari cum intentione merendi et intuitu mercedis nequaquam nocere merito, imo utile et laudabile esse posse, dogma Catholicum est: Conc. Trid. Sess. 6, can 31; Prop. 10 Alexand. VIII. Sed quæstio est an intentio merendi, sive actualis sive virtualis, sit necessaria ad meritum assequendum? *Resp.* negative: nusquam enim significatur hæc necessitas; neque ulla ratione probabili suadetur.

186. *Quæritur* 2°. An opus factum ex metu, ceteroquin meritorium, eo ipso merito careat—metum dico qui non perimit libertatem? *Resp.* ex SUAR. c. 13, sed summatim et breviter. 1°. Timor est vel culpæ vel poenæ. Si sit

culpæ timor filialis, nec tollit nec minuit meritum: hic enim timor "est et optimus, et nascitur ex amore Dei, cujus offensa est culpa." 2° Nec merito obest timor culpæ sub ratione imperfectiori, ut ob ejus moralem turpitudinem: quia bonus et honestus est timor ille. 3°. Idem, et propter eandem rationem, dicendum est de timore poenæ spiritualis, ut gehennæ. 4°. Certissimum quoque est non impediri meritum operis facti ex timore poenæ temporalis immissæ a Deo, ut si quis graviter ægrotus pie oret Deum aut eleemosynas elargiatur, ut convalescat. Quia, "licet malum illud temporale sit, potest bonum illi contrarium honeste appeti; vel quia per se est consentaneum naturæ rationali, ut est vita vel sanitas vel alia similia bona, quæ cum debita moderatione propter se appeti possunt; vel quia, licet bonum illud sit de se indifferens, potest ad ulteriorem finem honestum ordinari." Ibid. n. 6.

187. 6°. Idem dicendum est etiam de metu incusso ab homine ad bonum opus sive directe sive indirecte extorquendum. Hinc "filius vel famulus, qui audit missam, ne incurrat comminatam poenam si non audierit, nihilominus, si id faciat modo debito et in cultum Dei, opus virtutis et meritorium facit." Ibid. n. 9. Si tamen opus esset præceptum (v. g. auditio missæ in Dominica), et si quis statueret id non facere, nisi metu ab homine incusso coactus, hujusmodi voluntas non solum tollit bonitatem operis sed est positive peccaminosa. Dixi "ab homine:" aliud enim dicendum esset de timore poenæ a Deo irrogandæ, saltem in præceptis positivis; ut si quis diceret "hodie non jejunarem, si non esset dies jejunii præcepti."

188. *Quæritur* 3°. Supposita doctrina Catholica de inæqualitate justitiæ in justis (d. 11, n. 24); supposita etiam sententia supra propugnata (n. 117); supposito quoque

augmento meriti ex operibus meritoriis numerice diversis; undenam unius et ejusdem operis augeatur meritum? *Resp.* In genere augetur meritum per ea quæ bonitatem operis augent. Sequentia sunt, de quibus communiter inter theologos convenit—semper tamen supposita conditione *ceteris paribus.* 1°. Operis continuatio. Hinc magis quis meret continuando orationem per semihoram quam sistendo post quadrantem. Difficultates quædam subtiles videantur apud SUAREZ, c. 21, et opusculum 5, d. 2, s. 3, brevius apud HERINCX, n. 92. 2°. Major intensitas seu fervor: sed de hoc vid. monita sapientia BLOSII, Canon Vitæ Spiritualis, c. 26, et S. ALPHONSI, Exercitatio Amoris Jesu Christi, c. 17 § 2, et Praxis Confesarii, n. 125 et in aliis suis opusculis. 3°. Excellentia major operis objective spectati. 4°. Excellentior finis operantis, v. g. si agat ex motivo charitatis. 5°. Major libertas in agendo. 6°. Major operis difficultas. Quidam negant difficultatem operis per se augere meritum. Censeo hoc omnino falsum esse, et contra communem sensum fidelium. Sic qui tentationi gravi resistit æque fortiter ac feliciter ac levi sane, pro ratione gravitatis tentationis, magis meret: est enim pro ea ratione opus melius et præstantius.

189. *Quæritur* 4°. An ad meritum requiratur quidam gradus intensitatis; ita ut opus remissum, i. e. carens intensitate, *nihil* præmii essentialis mereat? *Resp.* 1°. Ex jam dictis, major intensitas auget meritum; et ergo minor intensitas meritum minuit. 2°. Præter illam intensitatem (si ita loqui liceat), seu conatum, qui necessarius est ad substantiam operis ponendam, alia ad meritum non requiritur: et sententia opposita jure a TANNER (n. 103) vocatur "prorsus falsa et improbabilis." Vid. SUAREZ, l. 9, c. 3, et de Poenitentia, d. 4, s. 4, n. 9.

190. *Quæritur.* 5°. An meritum sit majus ex eo solo quod merens sit sanctior: seu an augeatur meritum ex majori dignitate merentis? *Resp.* 1°. De Christo Domino omnes affirmant; et doctrina negans videtur esse damnata in Baio, prop. 19. Vid. FRANZELIN, de Incarn. s. 4, Prænot. 4. 2°. De merito autem hominis scinduntur theologi. Ex parte affirmante vid. SUAREZ, c. 22; LUGO, de Incarnat. d. 6, s. 2; VIVA, q. 3, a. 2, n. 11; &c. Ex parte negante (quæ mihi multo probabilior est) vid. SALMANTIC. d. 4, n. 58; GORMAZ, n. 185; STRUGGL, q. 2, a. 3, n. 6; &c.

191. *Quæritur* 6°. An, auctâ gratiâ per opera meritoria, augeantur ceteræ virtutes infusæ? "*Resp.* affirmative. Ita eximius SUAREZ, l. 9, c. 4 [et l. 12, c. 25, n. 5], et communior aliorum contra VASQUEZ [d. 220, n. 56], qui putat non augeri habitum fidei et spei [nisi ex propriis actibus illarum virtutum], sed solum virtutum moralium, et alios, qui putant solum augeri cum gratia illum habitum cujus est actus. Ratio hujus est, quia homo justus per singula opera supernaturalia meretur de condigno augmentum gratiæ et gloriæ: ergo etiam meretur augmentum omnium virtutum infusarum; ut pote quæ gratiam habitualem tanquam proprietates morales concomitantur, aut eidem subordinantur." STUGGL, q. 3, a. 1, n. 1.

192. *Quæritur* 7°. Quo sensu intelligendum est dictum illud, apud theologos receptum:—"Deus opera justorum ultra condignum remunerat?" *Resp.* 1°. Hoc dictum non firmatur ulla definitione Ecclesiæ. Quidam, ait SUAREZ (c. 31, n. 1), solebant proferre prop. 14 Baii:—"Opera bona justorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio mereantur accipere." "Hæc autem propositio," ait idem, "si præcedens

et subsequens considerentur, non damnatur quia negaret præmium ultra condignum respectu operum, prout a gratia procedunt, sed quia dicebat ille auctor opera non remunerari secundum valorem, quem habebant ex Spiritu adoptionis et gratiæ, ut in præcedenti propositione dixerat, et repetit in sequenti: et in hoc sensu dicit in illa 14 quod in die judicii non recipient mercedem, nisi juxta meritum, quod ex se et ex bonitate sua morali habent: quod merito damnatur quia nimium ad Pelagianum dogma accedit."

193. 2°. Tenet idem SUAREZ ut verisimilius, nullum dari sanctis in coelo gloriæ gradum quem non meruerunt in hæc vita. Hanc sententiam variis argumentis, quæ mihi gravia esse videntur, firmat; et argumenta pro sententia opposita bene solvit.

194. 3. Sex dat sensus, in quibus dictum illud intelligi potest, qui omnes isti suæ sententiæ consentanei sunt. Quosdam dabimus: 1°. Non est proportio perfecta et æqualitatis inter opera nostra et eternam beatitudinem coeli: supra, n. 77–82. 2°. Etsi opera nostra sint ex se condigna, Deus non tenebatur ea remunerare: ultra condignum ergo remunerat, se ad hoc ligando: supra, n. 109, 110. 3°. Præter præmium essentiale, dat præmia accidentalia omnino gratis: supra, n. 9.

195. *Quæritur* 8°. An circumstantia mala in opere meritum aut tollat aut minuat? Hic accommodari possunt principia tradita in tract. de Actibus Humanis de circumstantiis et fine operum: quæ videantur apud GURY, n. 27, 30, et alios auctores passim.

INDEX.

TRACTATUS DE GRATIA.

PARS PRIMA: PRÆNOTIONES.

PARS SECUNDA: DE GRATIA ACTUALI.

FINIS

1

Notulae aliquot in S. ALPH. LIGUORI, *l.* 6, *n.* 459–464, *de peccatore recidivo ex fragilitate* intrinseca.

---

§ 1. *Positio casûs.*

1. Recidivus, simpliciter et in genere, is est qui, post adeptam remissionem peccati (loquimur hic de peccato gravi solo), iterum in peccatum relabitur.

2. Recidivus, de quo hic est sermo specialis, is est qui iterum in *idem* peccatum relabitur.

3. Recidivus iste duplici modo relabi potest: 1°, eodem seu quasi eodem modo quo antea lapsus est, et ergo sine ulla emendatione: 2°, cum aliqua emendatione, et ergo non eodem modo.

4. Uterque recidivus spectari potest ut recidens prima tantum vice, vel altera, vel tertia, et ita porro.

5. Recidentiæ cum aliqua emendatione plures esse possunt gradus, prout emendatio major aut minor est.

6. Quæstio est hic de recidivo, qui in *idem* peccatum reincidit, *eodem* modo aut etiam pejore, sine *ulla* emendatione.

7. Ut absolvantur meri habituati, et multo magis non habituati, sufficit, secundum sententiam communissimam, etsi *nulla* præcesserit emendatio, ut eam serio proponant: quia "ipsa spontanea confessio est signum contritionis, nisi obstet aliqua positiva præsumptio in contrarium." S. ALPH. n. 459.

8. Quæritur an, ut absolvatur recidivus noster, quod attinet ad signum doloris (ceteris suppositis), sufficiat ista confessio spontanea?

§ 2. *Principia solutionis.*

9. Respondet S. A. eam non sufficere. Quia is qui in idem peccatum eodem modo sine ulla emendatione reincidit, gravem præbet suspicionem suæ indispositionis: "qui enim firme proponit rem sibi moraliter possibilem, non ita facile sui propositi obliviscitur, sed saltem per aliquod tempus perseverat, et difficilius aut rarius cadit." S. A. ibid. vers. *Ratio est*, ex Lug. d. 14, n. 160.

10. Signum contritionis, quod præter (*extra*) confessionem voluntariam exigit S. A., et quod ipse *extraordinarium* vocat, Lugo (ibid. n. 166) *peculiare* vocat. Ex infausto illo vocabulo censeo perturbationem quæ tot lectorum mentes invasit maxime ortam esse. Imo quosdam novi, in theologicis disciplinis haud parum excultos, qui putabant S. A. exigere extraordinarium *dolorem:* quod falsum est, cum nonnisi extraordinarium *signum* doloris requirat. Neque alius est dolor sufficiens pro recidivis, alius pro ceteris peccatoribus: sed idem dolor verus sufficit pro omnibus.

11. Alia est causa istius perturbationis ex eo quod S. A. nihil dicit de officio confessarii eum qui indispositus accedit dispositum faciendi. Imo verbis ejus aliquatenus insinuari videretur nullum ejusmodi recidivum, nisi *accedat* cum signo extraordinario, absolvendum esse. Dicit enim (n. 459, vers. *Secunda*):—"Unde quoties poenitens *affert* signa extraordinaria doloris," &c., et iterum ibid.

12. Verum est S. Alphm. nihil *in hoc loco*, disserentem de recidivis, clare de isto officio confessarii habere, quod valde desiderandum esse censeo. (Dixi *clare:* insinuatur enim in nono signorum quæ enumerantur n. 460). Sed in

alio loco (n. 608) diserte et strenue officium illud declarat et asseverat de omni pœnitente, qui quocumque modo indispositus ad confessionem accedit:—"Confessarius tenetur quantum potest ad disponendum suum poenitentem, qui indispositus accedit. Quocirca nescio quomodo a culpa excusari possint desides illi confessarii, qui statim ac noverint pœnitentem non satis dispositum, dimittunt, nulla aut valde modica præmissa diligentia ad eum curandum. Dico enim quod confessarius tenetur *ex rigorosa obligatione charitatis* eum disponere quantum valet, exponendo ipsi deformitatem peccati, valorem divinæ gratiæ, periculum damnationis, et similia, etiamsi multum temporis in hoc impendere debeat. Nec ei curæ esse debet quod alii pœnitentes expectent: nam tunc confessarius non tenetur attendere ad bonum aliorum, sed tantum sui pœnitentis, pro quo tantum illo [ille ?] tunc, non vero pro aliis, rationem est Deo redditurus."

13. Vera ergo doctrina S. Alphonsi (et, ut puto, omnium aut fere omnium gravium auctorum) hæc est. (i.) Recidivus qui ad confessionem sine *ulla* emendatione accedit, quamdiu in illo statu in quo accedit existit, absolvi non debet. (ii.) Et idem dicendum de ejusmodi recidivo ita accedente etiam post unam confessionem: Praxis Confessarii, n. 71. Ratio ibi allata mihi invicta videtur. (iii.) Dixi "quamdiu in illo statu," &c. Eum enim qui sic indispositus *accedit* confessarius scientia theologica morali et ascetica bene instructus et charitate flagrans, "non sine fusis ex intimo corde ad Deum precibus" (Leo XII., Encycl. *Charitate Christi*, 25 Decemb. 1825) ex indisposito dispositum facere potest. (iv.) Quivis recidivus, si extraordinara signa doloris afferat, absolvi potest.

14. Sed, ut jam dixi, infelix est istud vocabulum, *extra-*

ordinarium. Re enim vera quædam signorum illorum satis ordinaria sunt. Extraordinaria signa ergo non opponuntur hic ordinariis quibuscumque signis sed tantum isti *uni* universaliter ordinario signo, nempe, voluntario accessui ad confessionem. In ordinariis enim confessionibus, et extra casum recidivi istius (n. 6), ipsa confessio spontanea et sincera, in pœnitente satis instructo, signum est sufficiens eum esse rite dispositum, nisi, ut ait S. A., obstet aliqua præsumptio in contrarium (n. 7). In recidivo obstat talis præsumptio. Ergo, præter signum illud, aliquod aliud requiritur.

15. Hæc interpretatio doctrinæ S. Doctoris magis adhuc firmatur ex verbis ejus in eodem n. 459 :—"Nec verum est quod sola temporis probatio unicum sit signum mutatæ voluntatis.....Imo aliquando alia signa præsentis dispositionis multo melius manifestant mutationem voluntatis quam experientia temporis .... Propterea, *quoties* pœnitens affert [seu confessus, excitante bono confessario, jam habet, secundum dicta n. 12] vera signa doloris et propositi, *toties* bene absolvi poterit." Unde patet doctrinam S. Alphonsi omnino convenire cum ea quam Struggl (q. 4, n. 29) et alii vocant *communem*.

16. Recidivo ergo jam disposito, sive dispositus accesserit sive non, et a fortiori ceteris peccatoribus similiter dispositis, nunquam absolute *neganda* est absolutio. Sed an aliquando *differri* possit aut debeat? Resp. 1°. Certum est confessarium non debere differre absolutionem, nisi prudenter judicet dilationem pœnitenti salutarem fore. 2°. Quandonam vero ita judicandum sit optime dicit S. A. (n. 463) "quod certa regula in hoc statui non possit, sed confessarius ex circumstantiis occurrentibus se dirigere debet, et, postquam Deo se commendavit, ut erit a Deo inspiratus,

absolutionem differat vel impertiatur." 3°. Et optime subjicit :— "*Raro* puto differendam esse absolutionem recidivo sufficienter disposito per signum extraordinarium . . . . quia in tali pœnitente magis sperandum profuturam fore gratiam sacramenti quam dilationem absolutionis."

17. Spectata firma at ardenti fide popularium nostrorum Hiberniæ ; spectato summo obsequio et amore quo Ecclesiam et ministros ejus prosequuntur ; spectatis et aliis, quæ hic prætermitto, non levis momenti ; censeo, an in hac regione recidivi toties quoties absolvi possint regulariter, totum vel fere totum ex scientia et zelo et charitate confessarii pendere, et in manu ejus esse. V. g. ex annotatione Patris HARINGER, quam suæ editioni theologiæ S. A. post n. 464 apposuit, patet quam late horrendum illud scelus blasphemiæ in aliis quibusdam regionibus grassetur : quod tamen in hac nostra insula prorsus inauditum et ignotum est.

18. Capita hæc sunt enarrationis doctrinæ quam de hac materia, quantum jam memoria teneo, hos ultra triginta annos, datis occasionibus, in schola mea constanter tradidi.

19. Romæ an. 1766 editum est opusculum inscriptum "Confessarius recidivi," &c. auctore R. P, ANDREUCCI S. J.: quod iterum ibidem recentius (an. 1844) editum est, in Appendice ad Medullam R. P. BUSEMBAUM, ex typis Sac. Congreg. de Propaganda Fide, Dignum est hoc aureum opusculum quod interum interumque diligenter legatur, Sed duo sunt documenta summæ et infallibilis auctoritatis, ex quibus hic quædam proferam.

20. In Rituali Romano hæc habentur :—"Videat diligenter sacerdos quando et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces : *quales* sunt qui *nulla* dant signa doloris, qui

odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut *alio modo* peccata derelinquere, et vitam in melius emendare *nolunt:* aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publico satisfaciant, et scandalum tollant." Nota 1°, peccatores ibi memoratos (casus publici scandali speciali modo tractandus est) dari ut *exempla* peccatorum qui absolutionis incapaces sunt; 2°, et eos tales esse, eosque solos, qui peccato jam adhærent, qui hic et nunc *nolunt* facere quod hic et nunc facere tenentur.

21. Leo XII. in Encyclica supra, n. 13, textu isto ex Rituali Romano integre prolato, statim his verbis gravissimis prosequitur:—"Quæ quidem [citata ex Rituali] nemo non viderit quam longe ab eorum ratione distent, qui, ut gravius aliquod audiunt peccatum, aut aliquem sentiunt multiplici peccatorum genere infectum, statim pronuntiant se non posse absolvere: iis nempe ipsis mederi recusant quibus *maxime* curandis ab eo sunt constituti qui ait, 'non est opus valentibus medicus, sed male habentibus;' aut quibus vix ulla scrutandæ conscientiæ diligentia, aut doloris ac propositi satis videtur significatio, ut absolvere se posse existiment; ac tum demum *tutum* se cepisse consilium putant, *si homines in aliud tempus absolvendos dimiserint.* . . . . Sistunt se quidem *multi* sacramenti pœnitentiæ ministris *prorsus imparati, sed persæpe tamen hujusmodi ut ex imparatis parati fieri possint, si modo sacerdos viscera indutus misericordiæ Christi Jesu,* qui non venit justos vocare sad peccatores, sciat *studiose, patienter* et *mansuete* cum ipsis agere. Quod si præstare prætermittat, profecto non magis ipse dicendus est paratus ad audiendum, quam cæteri ad confitendum accedere. Imparati enim TANTUMMODO sunt judicandi, NON qui vel gra-

vissima admiserint flagitia, vel qui plurimos etiam annos abfuerint a confessione. . . . vel qui rudes conditione, aut tardi ingenio non satis in seipsos inquisierint, ***nulla fere industria sua id sine sacerdotis ipsius opera assecuturi***, SED qui, adhibita ab eo necessaria, ***non qua præter modum graventur***, in iis interrogandis diligentia, ***omnique*** in iisdem ad detestationem peccatorum excitandis, non sine fusis ex intimo corde ad Deum precibus, ***exhausta charitatis industria***, sensu tamen doloris ac pœnitentiæ, quo saltem ad Dei gratiam in sacramento impetrandam disponantur, carere prudenter judicentur. *Quocumque* autem animo sint qui accedant ad ministrum pœnitentiæ ***nihil ei magis cavendum est***, quam ne sua culpa diffisus quispiam Dei bonitati, aut sacramento reconciliationis infensus discedat. Quare, si justa sit causa cur differenda sit absolutio, verbis, quoad poterit, humanissimis persuadeat confessis necesse est, id et munns officiumque suum et *eorum ipsorum salutem omnino postulare*, eosque ad redeundum QUAMPRIMUM blandissime alliciat, ut iis fideliter peractis, quæ salubriter præscripta fuerint, vinculis soluti peccatorum gratiæ cœlestis dulcedine reficiantur." Bullarii Romani Continuatio, Romæ, 1853, tom. 16, pag. 368–9. Nimis longum esset analysim hujus loci conficere: cujus fere singula verba studiose pensanda sunt.

PATRICIUS MURRAY.

Coll. S. Patricii ap. Maynooth,
Die 27 *November*, 1872.

